continet Homeri verbum compositum ποικιλομήτης, verbum simplex primum apud Hesiodum (theog. 511). || v. 213 ἦθος apud Homerum „sedes, stabulum“ est.[1]) Vis tralaticia primum occurrit apud Hesiodum. || v. 233 ἀκρόπολις, hoc loco eodem sensu occurrit, quo Aiax apud Homerum (Od. 11, 556) πύργος Ἀχαιῶν nominatur. || v. 283 πιστός, apud Homerum „certus, fidus“, hoc loco „πισυνός“ est. Eodem sensu apud Aeschyl. Prom. 917: τοῖς πεδαρσίοις κτύποις πιστός et Pers. 55 τοξουλκῷ λήματι πιστούς. || v. 360 κηδεμών is est qui curam habet alicuius rei, apud Homerum is qui funus curat. || v. 413 θωρήσσομαι (πίνων) hoc loco = vino repleor. || v. 414 ἐξάγειν „educere“, hoc loco „impellere, incitare“. || v. 418 ὑπερτερίη apud Homerum est superior pars in curru, hoc loco pro ὑπεροχή (praestantia) accipitur. cfr. Hesych. IV, p. 207 ὑπερτερίῃσι· νεωτερισμοῖς. ὑπερηφανίαις. || v. 581 περίδρομος, apud Homerum „rotundus“ est. Hoc loco „circumcursans“ vocatur mulier corpus vulgans. Ceterum cfr. Phoc. 3, 3 sq. ἡ (sc. γυνὴ) δ' ἵππου χαιτηέσσης· εὔφορος ἥδε, ταχεῖα, περίδρομος, εἶδος ἀρίστη. || v. 581 μάργος apud Homerum stultum et dementem hominem significat, hoc loco = μάχλος || v. 582 ἄρουραν ἀροῦν. Haec imago, quam saepissime apud tragicos poetas legimus, hoc loco primum occurrit in litteris Graecis. || v. 761 φθέγγεσθαι lyra primum dicitur in h. Merc. 484. || v. 761 μέλος, quo vocabulo artus hominum vel bestiarum exprimuntur, de cantu primum usurpatur h. 19, 16. || v. 766 διάγειν „transducere“, hoc loco „vitam agere“, ut in h. 20, 7. —

2. Non leguntur apud Homerum, sed apud Hesiodum:

a) substantiva appellativa haec: v. 29 ἔργμα: erg. 801 || v. 54 νόμος: erg. 276 || v. 66 πίστις: erg. 372 || v. 98 ὀργή: erg. 304 ||

---

ignaro. Illis enim non solum, quod iam observavit Bergk, inaudita est forma activa ἐπαυρίσκειν, sed etiam, quod vel peius est, metri angustiae versificem coegerunt, ut contra omnium usum et certam vocabuli vim μνῆμα δ' ἔχουσι diceret pro μνήμην sive μνείαν δ' ἔχουσι.“

[1]) cfr. Curtius Etym. p. 236: „Auffallend ist für ἦθος die alte, bei Homer ausschliessliche, bedeutung wohnung, stall, welche an skt. dhâ-man haus erinnert, nach dem gesagten also bedeutete es wohl ‚eigenes haus‘.“

v. 239 *θοίνη*: sc. 114. (Batrach. 40) || v. 343 *ἄμπαυμα*: theog. 55 (Hom. *ἀναπαύω*) || v. 401 *καιρός*: erg. 694 || v. 409 *θησαυρός*: erg. 719 || v. 766 *μέριμνα*: erg. 178 || v. 787 *τέρψις*: theog. 206. sc. 273 (Hom. *τερψίμβροτος, τερπωλή*) || v. 831 *ἀπιστίη*: erg. 372. (Hom. *ἀπιστέω, ἄπιστος*) || v. 833 *κόραξ*: frgmt. 125, 1. (Hom. *Κόρακος πέτρη*) || v. 975 *αὐλητήρ*: sc. 283. 299. (Hom. *αὐλός*) || v. 1149 *κτέανον*: erg. 315. (Hom. *κτέαρ*) || v. 1166 *ἐμπορίη*: erg. 646. (Hom. *ἔμπορος*) || v. 1189 *δυσφροσύνη*: theog. 528 || v. 1226 *μάρτυς*: erg. 371. (Hom. *μάρτυρος*) ||

b) adiectiva haec: v. 29 *ἄδικος*: erg. 260 (Hom. *οὐδὲ δίκαιος*) || v. 46 *οἰκεῖος*: erg. 457 *οἰκήϊος*, theog. 330 *οἰκεῖος* || v. 109 *ἄπληστος*: theog. 315 e coniectura Hermanni[1]) || v. 149 *πάγκακος*: erg. 813 || v. 188 *πλούσιος*: erg. 22 || v. 307 *δύσφημος*: erg. 735 || v. 331 *ἥσυχος*: erg. 119. (Hom. *ἡσύχιος*) || v. 457 *σύμφορος*: erg. 302 || v. 615 *μέτριος*: erg. 306 (Hom. *μέτρον*) || v. 653 *εὐδαίμων*: erg. 826 || v. 769 *περισσός*: theog. 399 || v. 870 *χαμαιγενής*: theog. 879 || v. 965 *ἐπίκλοπος*: erg. 67 || v. 1194 *σκληρός*: theog. 839 || v. 1199 *ὡραῖος*: erg. 32. 307. (Hom. *ὥριος*). ||

c) verba haec: v. 19 *σοφίζομαι*: erg. 649.[2]) || v. 146 *πλουτεῖν*: erg. 313 || v. 192 *μαυρόω*: erg. 325 || v. 219 *ἀσχάλλω*: frgmt. 93, 3. (Hom. *ἀσχαλάω*) || v. 362 *αὔξειν*: theog. 493. (Hom. ubique *ἀέξειν*) || v. 363 *κωτίλλω*: erg. 374 || v. 440 *ἐπιστρέφομαι*: theog. 753. (Hom. *ἐπιστρέφω*) || v. 797 *μέμφομαι*: erg. 186.

3. In hymnis primum leguntur:

a) substantiva appellativa haec: v. 778 *κιθάρη*: h. Merc. 509. 515 (Hom. *κίθαρις*) || v. 823 *τύραννος*[3]): h. 7, 5. (Sim. Am. 7, 69) || v. 1150 *σύμβολον*: h. Merc. 30.

b) adiectiva et adverbia haec: v. 25 *θαυμαστός*: h. Cer. 10. (Hom. *θαυμάζειν*) || v. 65 *σπουδαῖος*: h. Merc. 332. (Hom. *σπουδή*) || v. 132 *ὅσιος*: epigr. Hom. 6, 6 || v. 250 *ἰοστέφανος*:

---

[1]) cfr. Hermanni opusc. VI 1 p. 172. 202.

[2]) sed cfr. Goettlingii adn. ad erg. 646—662: „adiecti, inquit, hi versus a . . . rhapsodo videntur . . . Non esse Hesiodi persuasum erat Pausan. IX, 31, 3, ut ex eius verbis patet."

[3]) cfr. Schömann, griechische alterthümer I[3], p. 170 adn. 1.

h. 6, 18 || v. 523 *μάτην*: h. Cer. 309 (Hom. *ματίη*) || v. 549 *ἄφθογγος*: h. Cer. 198. 282 || v. 550 *τηλαυγής*: h. 31, 13 || v. 565 *σοφός*: Marg. 3. (Hom. *σοφίη* [1])) || v. 1128 *δειμαλέος* loco corrupto; vide Bergk PL p. 553. Ceterum *δειμαλέος* legitur Batr. 289 || v. 1154 *ἀβλαβέως*: h. Merc. 83. (Hom. *βλάπτω*.)

c) verba haec: v. 370 *μιμεῖσθαι*: h. Ap. Del. 163 || v. 541 *δειμαίνω*: h. Ap. Pyth. 226. (Hom. *δεῖμα*.)

4. Apud alios poetas lyricos leguntur:

a) substantiva appellativa haec: v. 51 *στάσις*: Sol. 4, 19 || v. 52 *μούναρχος*: Sol. 9, 3 *μόναρχος* || v. 78 *διχοστασίη*: Sol. 4, 38 || v. 417 *βάσανος*: Sim. C. 99, 1 || v. 452 *εὐρώς*: Sim. C. 4, 4 || v. 556 *ἔκλυσις*: Sol. 13, 70 || v. 576 *χοιράς*: Archil. 128 || v. 779 *παιάν*: Alcm. 19, 3 (Hom. *παιήων*) || v. 798 *μνήμη*: Sim. C. 149, 1 || v. 964 *τρόπος*: Sim. Am. 7, 78 || v. 1152 *ῥῆμα*: Archil. 50.

b) adiectiva et adverbia haec: v. 50 *δημόσιος*: Sol. 4, 12. 27 || v. 147 *συλλήβδην*: Phocyl. 17 in eadem sententia || v. 193 *κακόπατρις*: Alc. 37 || v. 295 *κωτίλος*: Tzetz. ad Hesiod. op. v. 374: *κωτίλη ἡ χελιδὼν διὰ τὸ λάλος εἶναι παρά τε Ἀνακρέοντι καὶ Σιμωνίδῃ καλεῖται* || v. 406 *εὐμαρέως* et v. 845 *εὐμαρές*: Sim. C. 128, 5 *εὐμαρές* || v. 422 *ἁρμόδιος*: Sol. 24, 6 || v. 626 *δυνατόν*: Sim. C. 5, 16 || v. 896 *ὀδυνηρός*: Mimn. 1, 5.

c) verba haec: v. 185 *μελεδαίνω*: Archil. 8, 1 || v. 529 *προδίδωμι*: Sim. C. 140, 4 || v. 642 *ἀντιτυγχάνω*: Sim. C. 132, 1.

5. Primum apud Theognidem leguntur:

a) *ἅπαξ εἰρημένα* haec: v. 67 *πολυπλοκίη* ab adiectivo *πολύπλοκος*, apud Theogn. v. 215 *πουλύπου* epitheto || v. 175 *βαθυκήτης* pro Homerico *μεγακήτης*. De significatione huius verbi cfr. de Leutsch in Philol. XXX, p. 196 sq. || v. 225 *κακοκερδῖη*. *ι* terminationis in *ιη* praeter hunc locum ter producitur apud Theognidem (v. 703 *πολυιδρῖῃσιν*, v. 831 *ἀπιστῖῃ*, v. 1169 *κακεταιρῖης*). Apud Homerum legimus Il. 9, 73 *ὑποδεξῖη*. Od. 21, 284 *ἀκομιστῖη*. Od. 22, 374 *κακοεργῖη*. Od. 24, 251 *ἀεργῖη*; apud Hesiodum erg. 311 *ἀεργῖη*.[2]) || v. 244 *πολυκώ-*

[1]) sed cfr. Kochii adn. ad Il. 15, 412.

[2]) cfr. Bekker, hom. bl. I, p. 140. Spitzner, de versu Graecorum heroico p. 83.

κυτος. Apud Homerum leguntur *κωκύω* et *κωκυτός* || v. 287 *κακόψογος*. Bergk coniecit *φιλόψογος* (vid. PL p. 504); fortasse recte: cfr. Eur. El. 904 *δυσάρεστος ἡμῶν καὶ φιλόψογος πόλις* || v. 551 *ταχύπτερνος*. (Hom. Il. 22, 397 *πτέρνη*) || v. 613 *λεσχάζω* (Hom. et Hes. *λέσχη*) || v. 781 *λαοφθόρος*. (Hom. et Hes. *θυμοφθόρος*. Verba similiter composita apud Homerum sunt *λαοφόρος, λαοσσόος*) || v. 1169 *καχεταιρίη*. cfr. supra ad v. 225 || v. 1181 *δημοφάγος* pro Homerico *δημοβόρος* (Il. 1, 231) || v. 1226 *ἀληθοσύνη*.

b) nomen proprium hoc: v. 1126 *Πηνελόπη* (Hom. *Πηνελόπεια*).

c) nomina appellativa haec: v. 19 *σφρηγίς*.[1]) || v. 40 *εὐθυντήρ* || v. 55 *δορά* || v. 60 *γνώμη* || v. 62 *χρείη* (Hom. *χρέος, χρεῖος*) || v. 70 *πρῆγμα* (Hom. Hes. *πρῆξις*) || v. 118 *εὐλαβίη* || v. 126 *ὑποζύγιον* (Hom. *ὑποζεύγνυμι*) || v. 152 *χώρη*.[2]) || v. 174 *ἠπίαλος* || v. 218 *ἀτροπίη* || v. 226 *δολοπλοκίη*. (Sapph. 1, 2 Aphrodite *δολόπλοκος* appellatur) || v. 241 *αὐλίσκος* || v. 284 *φιλημοσύνη*, v. l. *συνημοσύνη*[3]) || v. 286 *ἔγγυος* (Hom. *ἐγγύη, ἐγγυάω*) || v. 297 *ἐπίμιξις* (Hom. *ἐπιμίσγω, ἐπιμίξ*) || v. 302 *λάτρις* || v. 309 *σύσσιτος* (Hom. *σιτέω, σῖτος*) || v. 324 *διαιβολίη* || v. 325 *ἁμαρτωλή* || v. 394 *χρημοσύνη* (Tyrt. *χρησμοσύνη*) || v. 417 *μόλιβδος* (Hom. *μόλιβος*) || v. 453 *ἀνοίη* (Hom. *ἄνοος*) || v. 458 *ἄκατος* || v. 459 *ἄγκυρα* || v. 453 *γνώμων* || v. 571 *πεῖρα* (Hom. *πειράω*) || v. 592 *λάχος* (Hom. *λαγχάνω*) || v. 600 *φιλίη* (Hom. *φιλέω, φιλότης*) || v. 712 *πολυφροσύνη* (Hom. *πολύφρων*) || v. 758 *ἀπημοσύνη* (Hom. *ἀπήμων*) || v. 805 *τόρνος* || v. 807 *θεωρός*, cfr. Welcker l. c. p. XVII || v. 833 *φθόρος* (Hom. *φθείρω*) ||

---

[1]) v. 19 videntur imitati esse Critias (4, 3) *σφραγὶς δ' ἡμετέρης γλώσσης ἐπὶ τοῖσδεσι κεῖται* et Lucianus Anth. Pal. 10, 42, 1: *ἀρρήτων ἐπέων γλώσσῃ σφραγὶς ἐπικείσθω*.

[2]) Ego et hoc loco et v. 822 malim *ὥρη*, praesertim comparatis his locis:

Hes. erg. 30 sq. *ὥρη γάρ τ' ὀλίγη πέλεται . . . . . ᾧτινι μὴ βίος ἔνδον*.

Tyrt. 10, 11 *εἰ δ' οὕτως ἀνδρός τοι ἀλωμένου οὐδεμί' ὥρη*.

Sed etiam sic versus illos Theognideos medicina egere docent hiatus.

[3]) cfr. van Herwerden, l. c. p. 21.

v. 838 *μέθυσις* (Hom. *μεθύω*) || v. 860 *ἀσπασμός* (Hom. *ἀσπάζομαι, ἀσπάσιος, ἀσπαστός*) || v. 896 *ἀγνωμοσύνη* (Hom. *γιγνώσκω, γνωτός*) || v. 964 *ῥυθμός* || v. 1077 *ὄρφνη* (Hom. *ὀρφναῖος*) || v. 1099 *βρόχχος* (ita Scaliger) || v. 1107 *κατάχαρμα* (Hom. *χάρμα*) || v. 1167 *ἀπόκρισις* (Hom. *ἀποκρίνω*) || v. 1188 *δυστυχίη* || v. 1193 *ἀσπάλαθος* || v. 1193 *στρῶμα* (Hom. *στορέννυμι*) || v. 1201 *κύφων* || v. 1222 *πταῖσμα*.

d) adiectiva et adverbia: v. 7 *τροχοειδής*. (Hom. *περίτροχος*) || v. 11 *θηροφόνος* (Hom. *πατροφόνος, ἀνδροφόνος*) || v. 73 *ὅλως* || v. 105 *μάταιος*. (Hom. *ματίη*. h. Cer. 309 *μάτην*) || v. 117 *κίβδηλος* || v. 122 *ψυδρός* (ita codex A recte, teste Noltio) || v. 195 *εὔδοξος* et *κακόδοξος*. (Hom. *δόξα*) || v. 215 *πολύπλοκος* || v. 233 *κενεόφρων* || v. 269 *ἐπίμυκτος* (Hom. *ἐπιμύζω*) || v. 288 *ἄνολβος* (Hes. *ἀνολβίη*) || v. 290 *ἐκτράπελος* || v. 296 *ἀδαής*, loco corrupto, cfr. PL p. 505 || v. 302 *ἀγχίθυρος* (Hom. *πρόθυρον*) || v. 329 *εὔβουλος* (Hom. *βουλή, βουλεύειν*) || v. 352 *λήν* Bergk scripsit, non recte mea quidem sententia. Ego malim Bekkero assentiri, qui *μὴ δή μ'* scripsit. cfr. PL p. 508 || v. 399 *ὀλεσήνωρ* (Hom. *φθισήνωρ*) || v. 406 *χρήσιμος* || v. 422 *ἀμέλητος* (Hom. *ἀμελέω*) || v. 429 *ῥᾷον* (Hom. *ῥηΐτερος*) || v. 431 *σώφρων*. (Hom. ubique *σαόφρων*) || v. 433 *ἀτηρός* || v. 442 *ἐπίδηλος* || v. 447 *ἀμίαντος*. (Hom. *μιαίνω*) || v. 449 *ἄπεφθος* || v. 455 *ζηλωτός* (Hom. *ζηλήμων*. Hes. *ζηλόω, ζῆλος*) || v. 548 *ἀρειότερος*[1]) || v. 559 *λῷστος* (Hom. *λωΐων, λωΐτερος*) || v. 584 *ἀργός* (Hom. *ἀεργός*) || v. 615 *παμπήδην* (Hom. *πάμπαν*) || v. 641 *εὔνοος* || v. 715 *ὠκύτερος* (Hom. et Hes. *ὤκιστος* et *ὠκύτατος*) || v. 766 *εὐφροσύνως* (Hom. *εὔφρων, εὐφροσύνη*) || v. 770 *φθονερός* (Hom. *φθονεῖν*) || v. 785 *δονακότροφος* || v. 799 *ἄψεκτος* || v. 849 *φιλοδέσποτος*. (Hom. *δέσποινα*) || v. 859 *παυράκι* || v. 896 *ὀδυνηρός* (Hom. *ὀδύνη*) || v. 971 *ἐπιοίνιος* || v. 1026 *ἰθύτερος* (Hom. *ἰθύντατα*) || v. 1078 *ξυνετός* || v. 1097 *πετεινός* (Hom. ubique *πετεηνός*) || v. 1126 *ἔμφρων* || v. 1157 *ἄμαχος* (Hom. *ἀμαχητί*) || v. 1177 *ἀπαθής* || v. 1180 *ἀσεβής*.

---

[1]) Apud Mimnermum (14, 9) legitur *ἀμεινότερος*. cfr Wecklein, l. c. p. 27.

e) verba: v. 21 ἀλλάσσειν || v. 31 προσομιλεῖν (Hom. ὁμιλεῖν) || v. 98 συμβουλεύειν (Hom. βουλεύειν) || v. 47 ἀτρεμίζειν (Hom. ἀτρέμας. Hes. ἀτρεμεῖν) || v. 55 κατατρίβειν (Hom. τρίβειν) || v. 73 ἀνακοίνεο, loco corrupto, cfr. PL, p. 489 || v. 77 ἀντερύεσθαι (Hom. ἐρύειν) || v. 82 μετέχειν (Hom. ἔχειν) || v. 87 στέργειν || v. 108 ἀντιλαμβάνειν. Bergk coniecit ἄν τι λάβοις || v. 141 νομίζειν || v. 145 εὐσεβεῖν || v. 196 ἐντύειν (Hom. ἐντύνειν) || v. 303 κιγκλίζειν || v. 348 ἀποσείεσθαι (Hom. σείειν) || v. 359 ἐπιφαίνειν (Hom. φαίνειν) || v. 372 προσέλκεσθαι (Hom. ἕλκειν) || v. 404 παράγειν (Hom. ἄγειν, ἐξάγειν) || v. 593 ἀσᾶν || v. 609 προσομαρτεῖν (Hom. ὁμαρτεῖν) || v. 611 ψέγειν || v. 620 ὑπερτρέχειν (Hom. τρέχειν, ἐπιτρέχειν) || v. 621 ἀτίειν (Hom. τίειν, ἀτίζειν) || v. 629 ἐπικουφίζειν (Hom. κοῦφα, κουφότερον. Hes. κουφίζειν) || v. 642 ἀντιτυγχάνειν (Hom. τυγχάνειν) || v. 771 μῶσθαι[1]) || v. 886 κωμάζειν (h. Merc. 181 κῶμος) || v. 961 θολοῦν || v. 1097 ἐπαίρομαι (Hom. αἴρω) || v. 1129 ἐμπίνειν (Hom. πίνειν) || v. 1144 προσμένειν || v. 1158 ὑπερχορεννύναι (Hom. χορεννύναι) || v. 1191 ἐγκατακεῖσθαι (Hom. ἐγκατατιθέναι . ἐγκεῖσθαι . κατακεῖσθαι).

V.

De similitudinibus.

Similitudines, quas apud poetas elegiacos ceterosque poetas lyricos legimus, differunt ab eis, quas Homerus et, qui eum secuti sunt, poetae epici exhibent. Homerus enim, ut heroici carminis generi dicendi convenit, longioribus saepe similitudinibus utitur, poetae lyrici autem eis rarius et plerumque ita utuntur, ut tota similitudo paucis verbis contineatur.[2]) Poetae elegiaci, quantum ex eorum reliquiis intellegi potest,

a) aut brevioribus similitudinibus ex Homero haustis utuntur:

---

[1]) cfr. Deiters, l. c. p. 5, adn. 5.

[2]) Longiorem similitudinem Solo carminibus suis inseruit. vid. Sol. 13, 18 sqq.

Call. 1, 20 *ὥσπερ γάρ μιν πύργον ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρῶσιν*
cfr. Od. 11, 556 *τοῖος γάρ σφιν πύργος ἀπώλεο.*
Mimn. 5, 4 sq. *ἀλλ' ὀλιγοχρόνιον γίγνεται ὥσπερ ὄναρ ἥβη*
cfr. Od. 11, 207 *σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ.*
Theogn. (Mimn.?) 985 *αἶψα γὰρ ὥστε νόημα παρέρχεται ἀγλαὸς ἥβη*
cfr. Od. 7, 36 *ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα.*
Theogn. 949 *λέων ὣς ἀλκὶ πεποιθώς*: Il. 5, 299 *λέων ὣς κτλ.*

b) aut longiores similitudines Homericas in angustum cogunt:

Tyrt. 6, 1 *ὥσπερ ὄνοι μεγάλοις ἄχθεσι τειρόμενοι.*
cfr. Il. 17, 742 sqq. *οἱ δ', ὥσθ' ἡμίονοι κρατερὸν μένος ἀμφιβαλόντες*
ἕλκωσ' ἐξ ὄρεος κατὰ παιπαλόεσσαν ἀταρπὸν
ἢ δοκόν, ἠὲ δόρυ μέγα νήϊον· ἐν δέ τε θυμὸς
τείρεθ' ὁμοῦ καμάτῳ τε καὶ ἱδρῷ σπευδόντεσσιν.
Mimn. 2, 1 *ἡμεῖς δ' οἷά τε φύλλα φύει πολυανθέος ὥρη*
ἔαρος, ὅτ' αἶψ' αὐγῇς αὔξεται ἠελίου
cfr. Il. 6, 146 sqq. *οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.*
φύλλα τὰ μέν τ' ἄνεμος χαμάδις χέει, ἄλλα δέ θ' ὕλη
τηλεθόωσα φύει, ἔαρος δ' ἐπιγίγνεται ὥρη.

c) aut novas fingunt similitudines. In quibus Theognis, cuius similitudines maximam partem e rebus navalibus et maritimis haustae sunt:

v. 56 (*λαοί*) *ἔξω δ' ὥστ' ἔλαφοι τῇσδ' ἐνέμοντο πόλευς.*
v. 106 *ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.*
v. 114 (*κακὸν ἄνδρα*) *αἰεὶ φεύγειν ὥστε κακὸν λιμένα.*
v. 458 sqq. (*γυνή*) *οὐ πηδαλίῳ πείθεται ὥστ' ἄκατος*
οὐδ' ἄγκυραι ἔχουσιν· ἀπορρήξασα δὲ δεσμὰ
πολλάκις ἐκ νυκτῶν ἄλλον ἔχει λιμένα.
v. 576 (*τόν γ' ἐχθρὸν ἀλεῦμαι*) *ὥστε κυβερνήτης χοιράδας εἰναλίας.*
v. 856 (*πόλις*) *ὥσπερ κεκλιμένη ναῦς παρὰ γῆν ἔδραμεν.*

v. 970 νῦν δ' ἤδη ναῦς ἅθ' ἑκὰς διέχω.[1])
v. 1097 ἤδη καὶ πτερύγεσσιν ἐπαίρομαι ὥστε πετεινόν
ἐκ† λίμνης μεγάλης κτλ.

VI.

De copia sententiarum.

Sententiae, quibus Theognis a) Homerum, b) Hesiodum, c) alios poetas videtur imitatus esse, hae sunt[2]):

a)

v. 91 sq. ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ' ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος
δειλός, Κύρν', ἐχθρὸς βέλτερος ἢ φίλος ὤν.
et v. 95 sq. τοιοῦτός τοι ἑταῖρος ἀνὴρ φίλος οὔτι μάλ' ἐσθλός,
ὅς κ' εἴπῃ γλώσσῃ λῷα, φρονῇ δ' ἕτερα.
cfr. Il. 9, 312 sq. ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.

---

v. 139 οὐδέ τῳ ἀνθρώπων παραγίνεται, ὅσσ' ἐθέλῃσιν.
et v. 617 οὔτι μάλ' ἀνθρώποις καταθύμια πάντα τελεῖται.
cfr. Il. 18, 328 ἀλλ' οὐ Ζεὺς ἄνδρεσσι νοήματα πάντα τελευτᾷ.

---

v. 239 sq. . . . θοίνης δὲ καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσσῃ
ἐν πάσαις, πολλῶν κείμενος ἐν στόμασιν.
*cfr. Il. 10, 212 sq. et 217 . . . . μέγα κέν οἱ ὑπουράνιον
κλέος εἴη
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους . . .
αἰεὶ δ' ἐν δαίτῃσι καὶ εἰλαπίνῃσι παρέσται.

---

v. 245 sq. οὐδὲ τότ' οὐδὲ θανὼν ἀπολεῖς κλέος, ἀλλὰ μελήσεις
ἄφθιτον ἀνθρώποις αἰὲν ἔχων ὄνομα.

---

[1]) Locus corruptus est. Varias virorum doctorum coniecturas vide apud Bergk PL p. 545.

[2]) Multas Welcker l. c. et de Leutsch l. c. contulerunt. Asterisco notatas ipse adieci.

*cfr. Od. 24, 93 sq. ὥς σὺ μὲν οὐδὲ θανὼν ὄνομ' ὤλεσας, ἀλλά τοι αἰεὶ
πάντας ἐπ' ἀνθρώπους κλέος ἔσσεται ἐσθλόν . . .

---

v. 329 καὶ βραδὺς εὔβουλος εἷλεν ταχὺν ἄνδρα διώκων
cfr. Od. 8, 329 . . . κιχάνει τοι βραδὺς ὠκύν.

---

v. 444 sqq. . . . . ἀθανάτων δὲ δόσεις
παντοῖαι θνητοῖσιν ἐπέρχοντ', ἀλλ' ἐπιτολμᾶν
χρὴ δῶρ' ἀθανάτων, οἷα διδοῦσιν, ἔχειν.
et v. 591 τολμᾶν χρή, τὰ διδοῦσι θεοὶ θνητοῖσι βροτοῖσιν.
et v. 1033 sq. . . . . θεῶν δ' εἱμαρμένα δῶρα
οὐκ ἂν ῥηϊδίως θνητὸς ἀνὴρ προφύγοι.
*cfr. Il. 20, 265 sq. ὡς οὐ ῥηΐδι' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα
ἀνδράσι γε θνητοῖσι δαμήμεναι οὐδ' ὑποείκειν.
et Il. 3, 65 sq. οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα
ὅσσα κεν αὐτοὶ δῶσιν, ἑκὼν δ' οὐκ ἄν τις ἕλοιτο.
et h. Cer. 147 sq. . . . θεῶν μὲν δῶρα καὶ ἀχνύμενοί περ ἀνάγκῃ
τέτλαμεν ἄνθρωποι.

---

v. 596 πλὴν πλούτου παντὸς χρήματός ἐστι κόρος.[1])
*cfr. Il. 13, 636 πάντων μὲν κόρος ἐστίν.

---

v. 629 ἥβη καὶ νεότης ἐπικουφίζει νόον ἀνδρός.
cfr. Il. 3, 108 αἰεὶ δ' ὁπλοτέρων ἀνδρῶν φρένες ἠερέθονται.

---

v. 547 τῆς εὐεργεσίης οὐδὲν ἀρειότερον.
cfr. Od. 22, 374 ὡς κακοεργίης εὐεργεσίη μέγ' ἀμείνων.

---

v. 687 οὐκ ἔστιν θνητοῖσι πρὸς ἀθανάτους μαχέσασθαι
cfr. Il. 6, 129 οὐκ ἂν ἔγωγε θεοῖσιν ἐπουρανίοισι μαχοίμην.

---

[1]) Videtur hunc locum imitatus esse Aristoph. in Plut. v. 189 sq.: ὥστ' οὐδὲ μεστὸς σοῦ (sc. Πλούτου) γέγον' οὐδεὶς πώποτε. τῶν μὲν γὰρ ἄλλων ἐστὶ πάντων πλησμονή.

v. 1168 τῶν δὲ κακῶν ἄνεμοι δειλὰ φέρουσιν ἔπη.
*cfr. Od. 8, 408 sq. . . . ἔπος δ' εἴπερ τι βέβακται
δεινὸν ἄφαρ τὸ φέροιεν ἀναρπάξασαι
ἄελλαι.

---

b)

v. 151 sq. ὕβριν, Κύρνε, θεὸς πρῶτον κακὸν ὤπασεν ἀνδρί,
οὗ μέλλει χώρην μηδεμίαν θέμεναι.
cfr. Hes. erg. 214 ὕβρις γάρ τε κακὴ δειλῷ βροτῷ.

---

v. 155 sq. μήποτέ τοι πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ χολωθείς,
μηδ' ἀχρημοσύνην οὐλομένην πρόφερε.
cfr. Hes. erg. 717 μηδέποτ' οὐλομένην πενίην θυμοφθόρον ἀνδρὶ
τέτλαθ' ὀνειδίζειν . . .

---

v. 171 sq. θεοῖς εὔχου, θεοῖς ἐστιν ἔπι κράτος· οὔ τοι ἄτερ
θεῶν
γίνεται ἀνθρώποις οὔτ' ἀγάθ' οὔτε κακά.
cfr. Hes. erg. 669 ἐν τοῖς (sc. θεοῖς) γὰρ τέλος ἐστὶν ὁμῶς
ἀγαθῶν τε κακῶν τε.

---

v. 401 sq. μηδὲν ἄγαν σπεύδειν· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν ἄριστος
ἔργμασιν ἀνθρώπων.
cfr. Hes. erg. 694 μέτρα φυλάσσεσθαι· καιρὸς δ' ἐπὶ πᾶσιν
ἄριστος.

---

v. 421 sq. πολλοῖς ἀνθρώπων γλώσσῃ θύραι οὐκ ἐπίκεινται
ἁρμόδιαι.
*cfr. Hes. erg. 719 sq. γλώσσης τοι θησαυρὸς ἐν ἀνθρώποισιν
ἄριστος
φειδωλῆς.

---

v. 466 μηδέ σε νικάτω κέρδος, ὅ, τ' αἰσχρὸν ἔῃ.
cfr. Hes. erg. 352 μὴ κακὰ κερδαίνειν· κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσιν.

v. 1089 sq. *εἴ ποτε βουλεύσαιμι φίλῳ κακόν, αὐτὸς ἔχοιμι·*
εἰ δέ τι κεῖνος ἐμοί, δὶς τόσον αὐτὸς ἔχοι.

*cfr. Hes. erg. 708 sqq. . . . . *μή μιν πρότερος κακὸν ἔρξῃς.*
. . . . *εἰ δέ σέ γ' ἄρχῃ*
ἤ τι ἔπος εἰπὼν ἀποθύμιον ἠὲ καὶ ἔρξας,
δὶς τόσα τίνυσθαι μεμνημένος.

---

v. 1135 *Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποις μούνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν*

cfr. Hes. erg. 96 sq. *μούνη δ' αὐτόθι Ἐλπὶς ἐν ἀρρήκτοισι δόμοισιν*
ἔνδον ἔμιμνε πίθου ὑπὸ χείλεσιν [1])

v. 1136 sqq. *ἄλλοι δ'* (sc. *θεοί*) *Οὔλυμπόνδ' ἐκπρολιπόντες ἔβαν·*
ᾤχετο μὲν Πίστις, μεγάλη θεός, ᾤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη· Χάριτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.

cfr. Hes. erg. 197, 199 sq. *καὶ τότε δὴ πρὸς Ὄλυμπον ἀπὸ χθονὸς εὐρυοδείης*
ἀθανάτων μετὰ φῦλον ἴτον προλιπόντ' ἀνθρώπους
Αἰδὼς καὶ Νέμεσις.

---

v. 1197 sqq. *ὄρνιθος φωνήν, Πολυπαΐδη, ὀξὺ βοώσης*
ἤκουσ', ἥτε βροτοῖς ἄγγελος ἦλθ' ἀρότου
ὡραίου· καί μοι κραδίην ἐπάταξε μέλαιναν.

*cfr. Hes. erg. 448 sqq. *φράζεσθαι δ', εὖτ' ἂν γεράνου φωνὴν ἐπακούσῃς*
. . . *ἥτ' ἀρότοιό τε σῆμα φέρει* . . . .
. . . . . *κραδίην δ' ἔδακ' ἀνδρὸς ἀβούτεω.*

---

[1]) cfr. Goettlingii adn. ad hos versus: „aliter de hac fabula sensisse videtur Theognis . . . aliter Aeschylus . . .“. — Franciscus Harder (in sententiis controversis post libellum „de alpha vocali apud Homerum producta“, Berolini 1876) haec contendit: „Theognis versibus inde a 1135 (cfr. Ov. ex Pont. 1, 6, 28 sqq.) vetustiorem formam eiusdem fabulae videtur alludere, quae exstat ap. Hesiod. in Op. et Dieb. 96 sqq.“

c)

v. 24 ἀστοῖσιν δ' οὔπω πᾶσιν ἁδεῖν δύναμαι.
*cfr. Sol. 7 ἔργμασιν ἐν μεγάλοις πᾶσιν ἁδεῖν χαλεπόν.

---

v. 41 sq. . . . . . ἡγεμόνες δὲ
τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.
*cfr. Sol. 4, 7 δήμου θ' ἡγεμόνων ἄδικος νόος.

---

v. 43 sqq. οὐδεμίαν πω, Κύρν', ἀγαθοὶ πόλιν ὤλεσαν ἄνδρες·
. . . . . μούναρχος δὲ πόλει μήποτε τῇδε ἅδοι.
cfr. Sol. 9, 3 sq. ἀνδρῶν ἐκ μεγάλων πόλις ὄλλυται· εἰς δὲ μονάρχου
δῆμος ἀϊδρίῃ δουλοσύνην ἔπεσεν.

---

v. 145 sq. βούλεο δ' εὐσεβέων ὀλίγοις σὺν χρήμασιν οἰκεῖν,
ἢ πλουτεῖν ἀδίκως χρήματα πασάμενος.
*cfr. Sol. 13, 7 sq. χρήματα δ' ἱμείρω μὲν ἔχειν, ἀδίκως δὲ πεπᾶσθαι
οὐκ ἐθέλω.

---

v. 153 τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν κακῷ ὄλβος ἕπηται.[1])
cfr. Sol. 8 τίκτει γὰρ κόρος ὕβριν, ὅταν πολὺς ὄλβος ἕπηται.

---

v. 167 sq. . . . . τό δ' ἀτρεκὲς ὄλβιος οὐδεὶς
ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.
cfr. Sol. 14 οὐδὲ μάκαρ οὐδεὶς πέλεται βροτός, ἀλλὰ πονηροὶ πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ.

---

v. 1075 sq. πρήγματος ἀπρήκτου χαλεπώτατόν ἐστι τελευτὴν
γνῶναι, ὅπως μέλλει τοῦτο θεὸς τελέσαι.
cfr. Sol. 13, 65 sq. πᾶσιν τοι κίνδυνος ἐπ' ἔργμασιν, οὐδέ τις οἶδεν,
ᾗ μέλλει σχήσειν χρήματος ἀρχομένου.

---

[1]) cfr. ad h. vers. p. 8 adn. 3.

v. 105 sq. δειλοὺς εὖ ἔρδοντι ματαιοτάτη χάρις ἐστὶν
ἶσον καὶ σπείρειν πόντον ἁλὸς πολιῆς.
cfr. Pseudophoc. 152 μὴ κακὸν εὖ ἔρξῃς· σπείρειν ἴσον ἔστ' ἐνὶ πόντῳ.[1])

v. 189 χρήματα γὰρ τιμῶσι:
cfr. Alc. 50 χρήματ' ἀνήρ
et Hes. erg. 686 χρήματα γὰρ ψυχὴ πέλεται δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Cum Homeri carminibus magna copia gnomarum sive sententiarum contineatur, fieri non potuit, cum haec poesis in memoria et ore hominum versaretur, quin alii poetae eas respicerent.[2]) Ex hoc communi omnium fonte Theognidem quoque hausisse exempla ea probant, quae supra congessimus. Neque minus apparet in ethicis praeceptis Hesiodi carmina, praecipue opera et dies animo eius obversata esse, cum praesertim magna pars huius carminis „antiquissima praecepta practicae Graecorum philosophiae" contineat.[3]) Quamquam etiam in aliis rebus Theognis Hesiodi auctoritatem videtur secutus esse: Hesiodus enim in ethicis potissimum praeceptis saepe per apostrophen ad Persem fratrem se convertit. Idem Theognis facit, cum Cyrnum saepe eisdem fere verbis appellet quibus Hesiodus Persem:
Theogn. 1050 σὺ δ' ἐν θυμῷ καὶ φρεσὶ ταῦτα βάλευ.
cfr. Hes. erg. 107 σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Theogn. 27 σοὶ δ' ἐγὼ εὖ φρονέων ὑποθήσομαι·
cfr. Hes. erg. 286 σοὶ δ' ἐγὼ ἐσθλὰ νοέων ἐρέω·
Theogn. 755 αἰεὶ τῶνδ' ἐπέων μεμνημένος·
cfr. Hes. erg. 298 ἀλλὰ σύ γ' ἡμετέρης μεμνημένος αἰὲν ἐφετμῆς.

[1]) Recte ad hunc versum Bergk PL p. 470: „ceterum fortasse antiquioris est poetae."

[2]) cfr. Bergk, griech. literaturgeschichte I, p. 833: „Homers gnomen, wie sie des griechischen volkes stimme aussprachen, erfreuten sich allgemeiner geltung, sie waren in jedermanns munde, wurden überall angewendet, auch wohl variirt und abgeändert oder nach belieben gedeutet."

[3]) cfr. etiam Fietkau, de carminum Hesiodeorum atque hymnorum quattuor magnorum vocabulis non Homericis, p 29.

Theogn. 99 sq. . . . *σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ' ἐνὶ θυμῷ φράζευ.*
cfr. Hes. erg. 687 sq. . . *ἀλλά σ' ἄνωγα φράζεσθαι τάδε πάντα μετὰ φρεσίν.*

E numero poetarum elegiacorum Solonem[1]) maxime et eum quidem in eis potissimum elegiis Theognis imitatus est, quibus, quod Solo fecerat, „perditum civitatis statum depinxit.“[2]) Quod non solum sententiae ex Solonis elegiis haustae probant, sed etiam multa verba, quae ad res civiles pertinent, apud Theognidem leguntur, quibus Solo primum in carminibus usus videtur. Velut *μόναρχος* Sol. 9, 3. Theogn. 52 ‖ *διχοστασίη*: Sol. 4, 38. Theogn. 78 ‖ *δημόσιον κακόν*: Sol. 4, 27. Theogn. 50 ‖ *στάσις ἔμφυλος*: Sol. 4, 19. *φόνος ἔμφυλος*: Theogn. 51, etc.

VII.

Observationes de pentametro

postremo loco addam, ut de arte Theognidea iudicium fieri possit.

1. De dactylorum et spondeorum usu in priore pentametri parte:

Binos dactylos in priore pentametri parte praebent:

Ex	11	Callini . . . . . . pentametris	2
„	22	Archilochi . . . . . „	7
„	73	Tyrtaei . . . . . . „	14
„	41	Mimnermi . . . . . „	14
„	106	Solonis . . . . . . „	21
„	34	Xenophanis . . . . . „	4
„	466	Theognidis[3]) . . . . „	101
„	133	gnomologiae Theognideae, qui versus aliorum poetarum esse videntur . .	25
„	25	Anacreontis	6
„	134	Simonidis C.	30
Ex	1045	pentametris	224 = 21,5 %.

[1]) Zeller, geschichte der griech. philosophie I, p. 93: „Theognis allgemeiner sittlicher standpunkt steht dem solonischen nahe.“

[2]) cfr. Welcker, l. c. p. XXXIX. [3]) Omissis eis versibus qui aliorum poetarum videntur esse. cfr. p. 6 adn. 2.

Binos spondeos in priore pentametri parte praebent:

Ex	11 Callini . . .	pentametris	3
„	22 Archilochi . .	„	4
„	73 Tyrtaei	„	14
„	41 Mimnermi . .	„	5
„	106 Solonis . . .	„	36
„	34 Xenophanis . .	„	15
„	466 Theognidis . .	„	120
„	133 gnomol. Theogn.	„	26
„	25 Anacreontis . .	„	4
„	134 Simonidis C. .	„	27
Ex	1045 pentametris		254 = 24,3 %.

Spondeum in primo, dactylum in altero versus pede praebent:

Ex	11 Callini . . .	pentametris	1
„	22 Archilochi . .	„	5
„	73 Tyrtaei . . .	„	20
„	41 Mimnermi . .	„	12
„	106 Solonis . . .	„	20
„	34 Xenophanis . .	„	8
„	466 Theognidis . .	„	108
„	133 gnomol. Theogn.	„	50
„	25 Anacreontis . .	„	6
„	134 Simonidis C. .	„	30
Ex	1045 pentametris		260 = 24,8 %.

Dactylum in primo, spondeum in altero versus pede praebent:

Ex	11 Callini . . .	pentametris	5
„	22 Archilochi . .	„	6
„	73 Tyrtaei	„	25
„	41 Mimnermi . .	„	10
„	106 Solonis . . .	„	29
„	34 Xenophanis . .	„	7
„	466 Theognidis . .	„	137
„	133 gnomol. Theogn.	„	32
„	25 Anacreontis . .	„	9
„	134 Simonidis C. .	„	47
Ex	1045 pentametris		307 = 29,4 %.[1]

[1]) In 1045 vss. dactyli 1017 = 48,6 %.
„ „ „ spondei 1073 = 51,4 %.

Ex his numeris intellegi potest nonnullos poetas in metro prioris pentametri partis struendo valde inter se discrepare. Nam apud Mimnermum tertia pars pentametrorum in priore parte ex binis dactylis componitur, octava tantum pars ex binis spondeis; e contrario apud Xenophanem octava pars ex binis dactylis et fere dimidia ex binis spondeis. Apud Archilochum tertia pars ex binis dactylis, quinta ex binis spondeis; e contrario apud Solonem quinta pars ex binis dactylis, tertia ex binis spondeis. Apud reliquos poetas prioris pentametri partis forma maxime usitata componitur ex dactylo in primo et spondeo in altero versus pede.

2. De syllaba ancipiti et de hiatu in commissura pentametri.

a) Syllaba anceps in commissura pentametri legitur in his versibus:

Theogn. 2 *λήσομαι ἀρχόμενος | οὐδ' ἀποπαυόμενος.*

Apud Homerum $\overline{ος}$ syllaba ante vocalem posita saepe pro longa syllaba in certis hexametri sedibus usurpatur.[1]) $\overline{ος}$ syllaba producta legitur etiam apud Theogn. v. 329 ante caesuram penthemimeren *καὶ βραδὺς εὔβουλος εἷλεν ταχὺν ἄνδρα διώκων*. Sic Bergk cum libris scripsit, alii *εὔβουλος δ'* vel *ὢν εὔβουλος ἕλεν*. cfr. PL p. 507.

Theogn. 440 *τὸν δ' αὐτοῦ ἴδιον | οὐδὲν ἐπιστρέφεται.*

Locus corruptus est. Quae viri docti coniecerunt vide apud Bergkium PL p. 513.

b) Hiatus in commissura pentametri legitur in his versibus:

Theogn. 478 (Euen. Par.?) *οὔτε τι γὰρ νήφω | οὔτε λίην μεθύω.*

Sed Athenaeus eundem versum sic tradidit:

οὔτε τι νήφων εἴμ' | οὔτε λίαν μεθύων.

Varias virorum doctorum coniecturas vide apud Bergkium PL p. 516.

Theogn. 992 in *A* sic legitur:

χαιρῆισι δύναται· ἄλλοτε δ' ἄλλος ἀνήρ.

---

[1]) cfr. Hartel, homerische studien I, p. 103. Praeterea cfr. Rossbach und Westphal, griech. metrik II², p. 352 adn. 1.

Sed recte Bergk scripsit:

χαιρήσεις· δύναται δ' | ἄλλοτε ἄλλος ἀνήρ.[1])

Simon. C. 96, 2 κυάνεον θανάτου | ἀμφεβάλοντο νέφος.

Quae viri docti coniecerunt vide apud Bergkium PL p. 1150. Ceterum Bergk, Schneidewin, Hartung hoc epigramma Simonidi abiudicant.[2])

Constat igitur antiquiores poetas elegiacos rarissime syllabam ancipitem in pentametri commissura, hiatum autem fortasse nusquam admisisse.

3. De elisione in commissura pentametri.

Elisiones in commissura pentametri i. e. in diaeresis sede inveniuntur his locis[3]):

ο eliditur quinquies: Tyrt. 5, 4. 12, 2. Sol. 13, 60. Anacr. 104, 2.

Theogn. 982: ἀλλ' ἔρδων φαίνοι' | εἴ τι δύναι',[4]) ἀγαθόν.

ι eliditur sexies: Call. 1, 9. Sol. 26, 2. Theogn. 660. 1142.

26 οὔθ' ὕων πάντεσσ'[5]) | ἁνδάνει οὔτ' ἀνέχων

522 ξείνια δὲ πλεόνεσσ'[6]) | οὐ δυνατὸς παρέχειν.

---

[1]) Nam ἄλλοτε ἄλλος non offendit. cfr. Homericum ἄλλοτε ἄλλῳ (Od. 4, 236) et Hes. erg. 713 ἄλλοτε ἄλλον, h. Merc. 558 ἄλλοτε ἄλλῃ, Phocyl. 15, 1 ἄλλοτε ἄλλοι. Sol. 13, 76 ubi Bergk recte ἄλλοτε ἄλλος ἔχει.

[2]) cfr. Bergkii adn. ad epigr. 95 (PL p. 1149 sq.).

[3]) Eorum tantum versuum ipsa verba Graeca describam, de quorum lectione aliquid monendum est.

[4]) φαίνοι' et δύναι' teste Noltio, cuius collatione codicis Mutinensis Studemund utitur, habet *A* post rasuram, idem ante rasuram habebat φαίνοιτ' et δύναιτ'.

[5]) „πάντεσσ', quod Porson coniecerat, *A*." Sic Bergk. Sed teste Noltio πάντεσσί potius in *A* exstat. Quod si recte testatur Nolte, vix recte πάντεσσ' in hoc versu Theognidi tribuitur; cfr. tamen vs. 522. Dindorf (cfr. Steph. thes. I, 2 p. 636 C) πᾶσιν requirit. Legitur πάντεσσι etiam in vs. 373, sed in clausula Homerica. Praeterea Bergk hos vss. Theognidi abiudicat. Alias Theognis constanter forma πᾶσιν utitur: cfr. vss. 24. 63. 73. 251. 401. 449. 622. 718. 802. 804. Praeter vs. 522 terminatio -εσσι(ν) nusquam apud Theognidem ceterosve antiquiores poetas elegiacos exstat ante pentametri diaeresin.

[6]) πλέον ἔστ' *AO*.

α eliditur decies: Archil. 8, 2. Tyrt. 10, 24. Mimn. 12, 4. Sol. 5, 6. Theogn. 294. 512. 780. 1102. 1124. Simon. C. 120, 2.

ε eliditur quinquagies semel[1]: Call. 1, 2. 1, 19. Archil. 3, 2. 9, 4. 9, 8. Tyrt. 10, 18. 10, 30. 11, 8. 11, 10. 12, 22. Mimn. 2, 12. Sol. 2, 6. 4, 38. 13, 22. 13, 28. Xenophan. 1, 2. 7, 4. Anacr. 103, 2. 105, 2. 108, 2. 109, 2. Simon. C. 130, 4. 145, 2. Theogn. 20. 122. 130. 164. 282. 290. 328. 344. 362. 390. 418. 452. 464. 468. 484. 500. 544. 742. 790. 886. 1012. 1094. 1112. 1138. 1160. 1214.

280 *μηδεμίαν κατόπισθ'*[2] | *ἀζόμενον νέμεσιν.*
1180 *ἄλλοι δ' Οὔλυμπόνδ'*[3] | *ἐκπρολιπόντες ἔβαν.*

4. De formis vocabulorum.

Exemplis supra[4] propositis probavimus poetas elegiacos longioribus et vetustioribus genetivi singularis et dativi pluralis terminationibus in *οιο, οισι, ησι* saepius in hexametro quam in pentametro usos esse. Eadem valent etiam de aliis formis epicis: saepius enim formae longiores in hexametro, breviores eorundem verborum formae in pentametro occurrunt. Quod nonnullis exemplis illustremus:

1) Apud Simonidem C. (139, 3. 100, 3) legitur in hexametro *νῆας*, in pentametro (142. 6) *ναῦς* pro forma epica *νῆας*, apud Theognidem (680) in pentametro *ναῦν* pro forma epica *νῆα*.

2) Theogn. 350 et 898 legimus in pentametro *νοῦν* pro usitato *νόον*. Sed legimus *νοῦς* etiam in prima hexametri thesi apud Theognidem v. 1183. Eandem formam praebent Homerus in tertia, Hesiodus in prima versus thesi (cfr. Od. 10, 240 et Hes. frgmt. 222, 2).[5]

---

[1] Et quidem quadragies quinquies in *δὲ* et *τε* particulis, sexies in aliis vocabulis.

[2] *κατόπισθ'* A, *κατόπιν* rel.

[3] *Οὔλυμπονδ'*, e Brunckii coniectura, Bergk scripsit; libri *Οὔλυμ πον*. Disseruit de hoc loco de Leutsch in Philol. XXIX, p. 515.

[4] cfr. p. 20.

[5] Attamen Theogn. 641 non *εὔνουν* sed, quod Bergk coniecit, *εὔνοον* legendum est. Sane formae contractae verborum e *νόος* alioque verbo compositorum neque apud epicos neque apud elegiacos poetas

3) In hexametro legitur *στήθεσσι(ν)* (Theogn. 121. 387. 507. 899); in pentametro *στήθεσιν* (Theogn. 396. Simon. C. 85, 6).

4) In hexametro: Archil. 14 *τόσσον*. Sol. 5, 1 *ὅσσον*. Theogn. 83 *τόσσους*. 93 *ὅσσον*; in pentametro: Mimn. 2, 8. Tyrt. 6, 3 *ὅσον*. Sol. 14, 2 *ὅσους*. Theogn. 606 *ὅσους*.

5) In hexametro: Tyrt. 11, 13. Theogn. 735 *ὀπίσσω;* in pentametro: Sol. 13, 22 *ὀπίσω*.

6) In hexametro: Sol. 27, 5 *ἀεξομένων*. Theogn. 1031 *ἀέξων*. Simon. C. 84, 5 *ἀέξει;* in pentametro: Mimn. 2, 2 *αὔξεται*. Theogn. 362 *αὔξεται*.

7) In hexametro: Theogn. 323 *ἀπολέσσαι*. 831 *ὄλεσσα*; in pentametro: Theogn. 54 *ὄλεσεν*. 568 *ὀλέσας*. 664 *ὤλεσε*. 894 *ὀλέσειε*.

8) In hexametro: Theogn. 511 *ἀνύσσας*, in pentametro: Theogn. 954 *ἤνυσα* et *ἀνύσας*.

9) In hexametro: Theogn. 953 *ἐτέλεσσα* et *τελέσσας*; in pentametro: Theogn. 70. 690. 1076. 1160 *τελέσαι*.

Praeterea cfr. quae Renner[1]) dixit: „*εε* et *εει* vocales elegiaci epicorum more et solutas relinquunt et contrahunt. Quodsi videntur, cum numerum formarum solutarum exiguum, magnum contractarum respicis, Homeri vestigia deseruisse, non neglegendum est, permulta exempla inveniri in pentametris, ubi longiores formae non commode adhiberi poterant.“

Nonnusquam autem poetae elegiaci metri causa vetustiores

---

leguntur. Dignissimi autem qui respiciantur, hi sunt loci, quibus formae non contractae verbi simplicis eadem versus sede occurrunt:

Theogn. 91 *ὃς δὲ μιῇ γλώσσῃ δίχ᾽ ἔχει νόον, οὗτος ἑταῖρος*
„ 109 *ἄπληστον γὰρ ἔχουσι κακοὶ νόον· ἢν δ᾽ ἓν ἀμάρτῃς*
„ 125 *οὐ γὰρ ἂν εἰδείης ἀνδρὸς νόον οὐδὲ γυναικός*
„ 367 *ἀστῶν δ᾽ οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ὅντιν᾽ ἔχουσιν*
„ 395 *τοῦ μὲν γὰρ τὰ δίκαια φρονεῖ νόος, οὗ τέ περ αἰεί*
„ 397 *τοῦ δ᾽ αὖτ᾽ οὔτε κακοῖς ἕπεται νόος οὔτ᾽ ἀγαθοῖσιν*
„ 439 *νήπιος, ὃς τὸν ἐμὸν μὲν ἔχει νόον ἐν φυλακῇσιν*
„ 631 *ᾧ τινι μὴ θυμοῦ κρέσσων νόος, αἰὲν ἐν ἄταις*

Certissime igitur scribendum est:

vs. 641 *οὔτοι κ᾽ εἰδείης οὔτ᾽ εὔνοον οὔτε τὸν ἐχθρόν.*

1) l. c. vol. I fasc. II p. 38.

formas in altera potissimum pentametri parte admittunt. Cuius rei haec contuli exempla: Mimn. 11, 6 *κεῖαται*. Sol. 4, 8. Theogn. 1124 *ἤλυθε*. Theogn. 152 *θέμεναι*. 544 *δόμεν*. 806 *φυλασσέμεναι*. 924 *ἐχέμεν*. Simon. C. 140, 4 *προδόμεν*. 142, 2 *ἀνθέμεναι*.

„Est Theognidis farraginis proprium, ut in ea permulti versus legantur, qui toti aut partim, prorsus iisdem aut fere similibus verbis, bis vel saepius repetuntur. Verisimillimum est hanc crebram repetitionem inde ortam esse, quod et Theognis et quicunque alii poetae ex indigesta mole protrahuntur, vocem vel sententiam aliquam a se excogitatam adeo adamaverint, ut identidem uterentur.“ Sic van der Mey.[1]) Recte, sed addendum est, quod A. R.[2]) dixit: „Von anfang an fand das alterthum in Homer unzählige selbstwiederholungen und zwar bei weitem nicht nur in den sogenannten stehenden epischen versen, — was theilweise eben aus der entstehungsart der homerischen gedichte zu erklären ist; — und was das ideal der dichtkunst darbot, musste nachahmungswerth sein.“ Ut igitur apud Homerum in fine potissimum hexametri, ita apud elegiacos poetas in altera pentametri parte certae formulae inveniuntur, quae saepius et apud plures poetas repetuntur. Et revera in pentametro magis quam in hexametro struendo inter se consentiunt poetae elegiaci. Nam hexametri quidem leges Homerus praescripserat, cuius exemplum alius ex poetis elegiacis aliter sequebatur; in pentametro autem struendo poetam elegiacum posteriorem imitatum esse elegiacos priores non solum ex certis formulis, quae omnium communes sunt, sed etiam e constanti multorum verborum collocatione intellegi potest.[3]) Quamquam haec non ad vivum resecanda esse e natura lyricae poesis apparet. Restat, ut quae supra diximus exemplis illustremus:

---

[1]) Studia Theognidea, p. 19.

[2]) Philolog. anzeiger 1872, 4. heft, p. 200.

[3]) Hanc constantem multorum verborum collocationem si respexeris, fortasse nonnulli versus in integrum restitui poterunt. Velut Theogn. vs. 172 legitur *γίνεται ἀνθρώποις οὔτ' ἀγάθ' οὔτε κακά*. Suspicio

Call. 1, 15 ἔρχεται, ἐν δ' οἴκῳ μοῖρα κίχεν θανάτου.
Tyrt. 7, 2 εὖτέ τιν' οὐλομένη μοῖρα κίχοι θανάτου.
Mimn. 6, 2 ἑξηκονταέτη μοῖρα κίχοι θανάτου.
Sol. 20, 4 ὀγδωκονταέτη μοῖρα κίχοι θανάτου.
Theogn. 340 εἴ μ' ἀποτισάμενον μοῖρα κίχοι θανάτου.
Simon. 119, 2 Κλεισθενες, Εὐξείνῳ μοῖρ' ἔκιχεν θανάτου.
Theogn. 820 Κύρνε, συναμφοτέρους μοῖρα λάβοι θανάτου.
Sol. 27, 18 οὐκ ἂν ἄωρος ἐὼν μοῖραν ἔχοι θανάτου.
Sol. 13, 30 αὐτοί, μηδὲ θεῶν μοῖρ' ἐπιοῦσα κίχῃ.
Anacr. 112, 4 ναίειν αἰῶνος μοῖραν ἔχοντ' ἀγαθήν.[1])

Call. 1, 7 γῆς πέρι καὶ παίδων κουριδίης τ' ἀλόχου.
Tyrt. 10, 6 παισί τε σὺν μικροῖς κουριδίῃ τ' ἀλόχῳ.
Theogn. 1126 Πηνελόπης ἔμφρων, κουριδίης ἀλόχου.
Simon. 115, 4 ἤϊθεον, πρὶν ἰδεῖν κουριδίην ἄλοχον.

Tyrt. 12, 38 πολλὰ δὲ τερπνὰ παθὼν ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.[2])

subnascitur scribendum esse οὔτ' ἀγάθ' ἀνθρώποις γίνεται οὔτε κακά. Vide enim verborum collocationem in vss.

1114 οὔτ' ἀγαθῶν μνήμην εἰδότες οὔτε κακῶν
136 ἐς τέλος εἴτ' ἀγαθὸν γίνεται εἴτε κακόν.
60 οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες οὔτ' ἀγαθῶν.

Quem ad locum Bergk recte „poeta, inquit, videtur scripsisse οὔτ' ἀγαθῶν γνώμην εἰδότες οὔτε κακῶν." De collocatione coniunctionum οὔτε — οὔτε apud Theognidem cfr. praeterea vss.

26 οὐθ' ὕων πάντεσσ' ἁνδάνει οὔτ' ἀνέχων.
166 οὔτε κακὸς νόσφιν δαίμονος οὔτ' ἀγαθός.
268 οὔτε γὰρ εἰς ἀγορὴν ἔρχεται οὔτε δίκας
368 οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς.
54 οἳ πρόσθ' οὔτε δίκας ᾔδεσαν οὔτε νόμους.

Praeterea γίνεται, ubi in pentametro apud Theognidem legitur, praeter hunc locum constanter in primo alterius pentametri partis pede positum est: cfr. vss. 136. 162. 170. 218. 270. 334. 462. 474. 798. 832. 988. 1004. 1020. 1030. 1118. 1182. 1194.

[1]) cfr. etiam Aristot. πέπλ.
29, 2 νέρθ' ὑπ' ἐμοὶ κεῖται μοῖραν ἔχων θανάτου.
31, 2 ἐνθάδ' ἐνὶ Τροίῃ μοῖραν ἔχουσι βίον.
33, 2 ἐνθάδ' ἐνὶ Τροίῃ μοῖρα κατέσχε βίον.
42, 2 κεῖται, ἐπεὶ παντὸς μοῖραν ἔπλησε βίον.

[2]) de Leutsch hunc versum Mimnermo tribuit.

Mimn. 2, 14 *ἱμείρων κατὰ γῆς ἔρχεται εἰς Ἀΐδην.*
Sol. 24, 8 *χρήματ' ἔχων οὐδεὶς ἔρχεται εἰς Ἀΐδεω.*
Theogn. 802 *ὅστις πᾶσιν ἁδὼν δύσεται εἰς Ἀΐδεω.*
Simon. C. 96, 2 *κυδαίνουσ' ἀνάγει δώματος ἐξ Ἀΐδεω.*

Tyrt. 3, 3 *χρυσοκόμης ἔχρη πίονος ἐξ ἀδύτου.*
Theogn. 808 *ὀμφὴν σημήνῃ πίονος ἐξ ἀδύτου.*

Theogn. 594 *τερφθῇς ἐξαπίνης, πρὶν τέλος ἄκρον ἰδεῖν.*
Simon. C. 123, 2 *γαῖ', ἐρατῆς ἥβης πρὶν τέλος ἄκρον ἰδεῖν.*

Tyrt. 11, 2 *θαρσεῖτ', οὔπω Ζεὺς αὐχένα λοξὸν ἔχει.*
Theogn. 536 *ἀλλ' αἰεὶ σκολιή, καὐχένα λοξὸν ἔχει.*

Tyrt. 11, 18 *ἀνδρὸς φεύγοντος δηΐῳ ἐν πολέμῳ.*
Simon. C. 146, 4 *πυκνὰ κραδαινομένα δαΐῳ ἐν πολέμῳ.*

Tyrt. 10, 30 *ζωὸς ἐών, καλὸς δ' ἐν προμάχοισι πεσών.*
Simon. C. 105, 4 *παισὶ λιπεῖν, αὐτοὶ δ' ἐν προμάχοισι πεσεῖν.*

Theogn. 396 *ἰθεῖα γνώμη στήθεσιν ἐμπεφύῃ.*
Simon. C. 85, 6 *ἀνδρῶν ἤτε νέων στήθεσιν ἐμφύεται.*

Mimn. 12, 2 *οὐδέποτ' ἄμπαυσις γίγνεται οὐδεμία*
Theogn. 170 *ἀνδρὸς δὲ σπουδὴ γίνεται οὐδεμία*
„ 462 *χρήμασι τῶν ἄνυσις γίνεται οὐδεμία*
„ 1182 *οὐ νέμεσις πρὸς θεῶν γίνεται οὐδεμία.*

Sol. 14, 2 *πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ*
Theogn. 168 *ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ*
„ 616 *τῶν νῦν ἀνθρώπων ἠέλιος καθορᾷ*
„ 850 *ἀνθρώπων ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.*

Tyrt. 10, 4 *πτωχεύειν πάντων ἔστ' ἀνιηρότατον.*
Theogn. 124 *καὶ γνῶναι πάντων τοῦτ' ἀνιηρότατον.*
„ 812 *τῶν δ' ἄλλων πάντων, Κύρν', ἀνιηρότατον.*

Theogn. 210 τῆς δὲ φυγῆς ἐστιν τοῦτ' ἀνιηρότατον.[1])
„ 258 ἄνδρα φέρω, καί μοι τοῦτ' ἀνιηρότατον.

Sol. 11, 6 σύμπασιν δ' ὑμῖν κοῦφος ἔνεστι νόος.
Theogn. 580 σμικρῆς ὄρνιθος κοῦφον ἔχουσα νόον.
„ 498 πίνῃ ὑπὲρ μέτρον κοῦφον ἔθηκε νόον.
„ 622 πᾶσιν δ' ἀνθρώποις αὐτὸς ἔνεστι νόος.
„ 74 εἴ με φιλεῖς καί σοι πιστὸς ἔνεστι νόος.
„ 698 συγκύρσῃ, παῦροι πιστὸν ἔχουσι νόον.
„ 792 καὶ μετὰ τῶν ἀγαθῶν ἐσθλὸν ἔχοιμι νόον.
„ 814 εἰδήσω καὶ τῶν ὅντιν' ἔχουσι νόον.
„ 1016 ἐξετάσαι τε φίλους, ὅντιν' ἔχουσι νόον.

Theogn. 182 ἢ ζώειν χαλεπῇ τειρόμενον πενίῃ.
„ 684 ζητοῦσιν χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ.
„ 752 τρύχονται χαλεπῇ τειρόμενοι πενίῃ
„ 180 δίζησθαι χαλεπῆς, Κύρνε, λύσιν πενίης.

Theogn. 140 ἴσχει γὰρ χαλεπῆς πεῖρατ' ἀμηχανίης.
„ 1080 οὐ ξυνετὰ θνητοῖς πεῖρατ' ἀμηχανίης.
„ 392 ἡ γὰρ καὶ χαλεπὴν τίκτει ἀμηχανίην.
„ 632 Κύρνε καὶ ἐν μεγάλαις κεῖται ἀμηχανίαις.
„ 646 κείμενος ἐν μεγάλῃ θυμὸν ἀμηχανίῃ.

Substantiva in ῡνη apud elegiacos poetas plerumque in fine pentametri leguntur:
Theogn. 1226 μάρτυς ἐγώ, σὺ δ' ἐμοὶ γίνου ἀληθοσύνης.
„ 758 αἰεὶ δεξιτέρην χεῖρ' ἐπ' ἀπημοσύνῃ.
„ 230 χρήματά τοι θνητοῖς γίνεται ἀφροσύνη.

[1]) ἀνιηρότατον pro ἀνιηρότερον, quod hoc loco omnes codices praebent, scribendum esse, non solum A, qui post vs. 332 ἀνιηρότατον praebet, sed etiam alii loci, quos supra attuli, probant, quibus hic pentametri exitus tanquam sollemnis formula occurrit. Ceterum superlativi et comparativi formae simili modo quo hoc loco saepius permutatae sunt: cfr. e. g. Finsler, kritische untersuchungen zur geschichte der griech. anthologie p. 53 et Jacobsii adn. ad anthol. Pal. II p. 188. cfr. etiam van Herwerden l. c. p. 10.

Sol. 13, 70 *συντυχίην ἀγαθήν, ἔκλυσιν ἀφροσύνης.*
Theogn. 1114 *φεύγομεν, ἀργαλέη δ' οὐκ ἔπι δουλοσύνη.*
Simon. C. 100, 2 *ἤρκεσαν ἀργαλέην πατρίδι δουλοσύνην.*
Sol. 4, 18 *εἰς δὲ κακὴν ταχέως ἤλυθε δουλοσύνην.*
„ 11, 4 *καὶ διὰ ταῦτα κακὴν ἔσχετε δουλοσύνην.*
„ 26, 2 *καὶ Μουσέων, ἃ τίθησ' ἀνδράσιν εὐφροσύνας.*
Anacr. 94, 4 *συμμίσγων ἐρατῆς μνήσκεται εὐφροσύνης.*
Theogn. 776 *τῆσδε πόλευς, ἵνα σοι λαοὶ ἐν εὐφροσύνῃ*
„ 1068 *τερπωλὴ νικᾷ πάντα σὺν εὐφροσύνῃ.*
„ 1100 *ὕστερον ἡμετέρην γνώσῃ ἐπιφροσύνην*
„ 712 *ἐς φάος ἠελίου σφῇσι πολυφροσύναις.*
„ 284 *μήθ' ὅρκῳ πίσυνος μήτε φιλημοσύνῃ.*

Sol. 4, 6 *ἀστοὶ βούλονται χρήμασι πειθόμενοι.*
Theogn. 194 *εἰς οἴκους ἄγεται χρήμασι πειθόμενος.*
Sol. 4, 11 *πλουτοῦσιν δ' ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενοι.*
„ 13, 12 *ἔρχεται, ἀλλ' ἀδίκοις ἔργμασι πειθόμενος.*
Theogn. 380 *ἀνθρώπων ἀδίκοις ἔργμασι πειθομένων.*
„ 948 *τρέψας οὔτ' ἀδίκοις ἀνδράσι πειθόμενος.*
„ 1152 *δειλῶν ἀνθρώπων ῥήμασι πειθόμενος.*
Simon. 92, 2 *κείμεθα τοῖς κείνων ῥήμασι πειθόμενοι.*
„ 140, 2 *εὐτόλμῳ ψυχῆς λήματι πειθόμενοι.*
Theogn. 756 *αἰνήσεις μύθῳ σώφρονι πειθόμενος.*

Archil. 1, 2 *καὶ Μουσέων ἐρατὸν δῶρον ἐπιστάμενος.*
Sol. 13, 52 *ἱμερτῆς σοφίης μέτρον ἐπιστάμενος.*
Theogn. 564 *ἄνδρα χρεών, σοφίην πᾶσαν ἐπιστάμενον.*
„ 652 *ἐσθλὰ μετ' ἀνθρώπων καὶ κάλ' ἐπιστάμενον.*
„ 772 *τί σφιν χρήσηται μοῦνος ἐπιστάμενος;*

Sed haec hactenus. Quod igitur Rumpel[1]) de tragicis poetis dicit, qui, postquam plura verba apud tragicos poetas constanter fere eadem versus sede legi exemplis demonstravit,

---

[1]) Philol. XX, p. 147.

pergit: „auch für andere wörter liessen sich wohl bestimmte stellungen bei den tragikern ermitteln, woraus man nachweisen könnte, dass sie wie die epiker und besonders Homer, stereotype stellungen und verbindungen für gewisse oft vorkommende ausdrücke hatten, welche, wenn auch die freiheit des dichterischen schaffens beschränkend, doch geeignet waren ihnen bei der handhabung des versmasses vielfach erleichterung zu gewähren", — id suo iure de elegiacis poetis dici potest.

Postquam hunc libellum amplissimo philosophorum ordini Argentoratensi tradidi, partem eorum, quae ipse congesseram, edoctus sum praeoccupatam esse ab Ioanne G. Roschero in programm. gymnasii Freibergensis a. 1871 et 1872. Typis tamen exprimendam curavi eam formam libelli mei, qua is tum erat, cum amplissimo illi ordini traditus est.

Lipsiae typis Poeschelii et Treptii.

DE

SYLLOGIS THEOGNIDEIS

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNVS SCHNEIDEWIN

GOTTINGENSIS

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXVIII.

PIIS · MANIBVS

F · W · SCHNEIDEWINI

PATRIS · CARISSIMI

SACRVM

I.

Diu multumque a viris doctis cogitatum est disputatumque, qua ratione ea quae hodie Theognidea circumferuntur, congesta essent et digesta. Atque cum non pauci de certa quadam, qua fragmenta illa elegiarum ordinata essent, ratione indaganda desperarent, exstitere qui nimis argute certo ordine Theognidea composita esse contenderent. In quibus fuit Nietzschius, qui in dissertatione Mus. Rhen. Nov. vol. XXII p. 161 sqq. inserta (‚Zur Geschichte der Theognideischen Spruchsammlung. Cap. I. Die letzte Redaction der Theognidea') sententiam olim a Welckero[1]) prolatam denuo commendavit sagaciterque excultam defendit. Atque Welckerus cum eum qui in adornanda fragmentorum dispositione versatus fuisset ‚interiore poëtae cognitione atque recta singulorum locorum aestimatione omnino caruisse' haberet persuasum, ad externam Theognideorum speciem adiit contemplandam, si quid forte ab ea in re tam difficili repeti posset auxilii. Itaque imperitum quendam grammaticastrum ‚ob inanem aliquam speciem verbum aliquod aut formulam dicendi vel in fine unius sententiae et initio alterius vel in binorum initio communem' fragmenta copulasse contendit. Cuius vestigia secutus Nietzschius disputationem ita ingressus est, ut a versibus in Theognidea farragine repe-

---

[1]) Theognidis reliquiae. Novo ordine disposuit, commentationem criticam et notas adiecit Fr. Theoph. Welcker. Francof. a. M. 1826. — cfr. p. CV sq.

titis ordiretur. Constat enim certum quendam numerum versuum fragmentorumque semel saepiusve in Theognidis codicibus repeti idque modo eisdem fere verbis servatis modo sententiis paullum variatis. Causam autem, qua librarius, quisquis fuit, perductus esset, ut fragmenta nonnulla saepius in idem collectionis corpus reciperet, inde repetendam esse coniecit vir doctissimus, quod cum nullum continuum in tumultuaria illa congerie sententiarum nexum invenisset, verborum quodam filo pertexere eam voluisset, atque ubi verbum illud conectens defuisset, ex eis quae iam scripsisset versibus illud sibi accivisset subsidium.

Sententiam illam de singulis vocabulis binis fragmentis communibus propositam primus quod sciam retractavit Th. Fritzschius commentatione Philol. vol. XXIX (p. 526—546) inserta, quam inscripsit: ‚Das Stichwort als Ordnungsprincip der Theognideischen Fragmente.' Qui cum alias rationes Nietzschio obstare sagaciter docet tum (p. 531, adn. 2) recte monet ex tredecim quas Nietzschius (p. 167 et 168) statuerit repetitionibus in quattuor tantum eam quam is opinetur repetendi causam cum aliqua probabilitatis specie agnosci posse. Hoc uno fere argumento Nietzschii coniectura ad irritum redigitur, ut alia quae Fritzschius recte proposuit, hoc loco repeti opus non sit.

Itaque nos aliam ingressi viam, qua ratione corollarium illud elegiacum compositum sit, adsequi conabimur. Cuius viae vestigia iam monstravit Nietzschius, cum (l. l. p. 169 sq.) singulas perlustrans sententias commemoraret, quibus omnino fieri potuisset causis, ut tot versus repetiti in Theognidis codices irreperent. Quod enim monuit repetitiones illas ita facile posse explicari, ut collectionem nostram ex compluribus syllogis conglutinatam esse statueremus, a vero non videtur aberrasse; quamquam ipse hac ratione syllogam Theognideam consarcinatam esse minus probat. Eandem sententiam paullo ante protulerat Rintelenus, qui in libelli ‚de Theognide Megarensi poëta' Monasterii 1863 editi p. 45 . . . ‚qui nostram' inquit, ‚farraginem congessit, procul dubio non summa cum sagacitate ex compluribus libris sua descripsit. Sic propter

copiam versuum, qui paene nihil mutati repetuntur, totus mihi locus inde a versu millesimo fere ex altera collectione assutus videtur.' Similiter H. W. van der Meyus in quinto Studiorum Theognideorum capite (Lugduni Batavorum 1869) quaestionem, quo pacto chrestomathia nostra, quam dicit, orta sit, solvendam esse suspicatur; nam ,is', inquit, ,qui has copias redegit, . . . e tribus saltem chrestomathiis excerpta congessit et novam inde chrestomathiam concinnavit.' Quam ad muniendam opinionem locos quosdam repetitos exempli causa proponit, sed, ut ipse ait, ne argumentatio ultra propositum ducat, in hac re acquiescit.

Itaque quod a viris doctis strictim et occasione data propositum est neque causis satis firmatum, ex compluribus syllogis Theognidis quae feruntur fragmenta conflata esse, id paullo fusius nunc atque apertius retractare atque pro viribus nostris ad certum quendam finem perducere conabimur.

II.

Atque primum quidem de codicibus,[1]) quibus fragmenta Theognidea servata sunt, paucis videtur esse praemonendum.

Quorum omnium praestantissimus est Mutinensis *A* saeculo X aut XI exaratus. Inscribitur carmen *θεόγνιδος ἐλεγείων α'* continetque versus a primo usque ad v. 1220 Bergkianae editionis (Poët. lyr. ed. III), exceptis duobus versibus (1157. 1158), qui in ceteris quoque Theognidis codicibus omissi et a Turnebo primum ex Stobaeo (qui XCI 26 versus 1157—1160 recte exscripsit) inserti sunt. Absunt item a Mutinensi et a ceteris codicibus versus 1221—1230, ex quibus versus 1221—1228

[1]) De auctoritate librorum manuscriptorum exposuit Bergkius in commentatione de crisi Theognidea, quae legitur in Mus. Rhen. Nov. III p. 206 sqq. et p. 396 sqq. Hunc secuti sunt Nietzschius in Mus. Rhen. Nov. XXII p. 162 sqq., qui p. 162 stemma quoddam proposuit, ex quo codicum familiae et genera facile cognoscerentur, et Zieglerus in praef. editionis Tubingae a. 1868 curatae p. V sqq.; cfr. ibidem p. VII adn. 4.

Stobaeo debentur, versus 1229. 1230 Athenaeo; versus autem 1227. 1228 Mimnermo potius vindicandos esse monuit Bergkius.

Tum qui sequuntur versus inde a versu 1231 usque ad finem totius collectionis solus servavit *A* codex, ubi inscripti sunt: *ἐλεγείων Β'*.

Praeter Mutinensem cum alii et multi libri manuscripti cogniti sint atque collati, nullus illius vel antiquitatem vel praestantiam adaequat. Proxime ad eum accedit codex Vaticanus *O* bombycinus saeculo XIV ineunte exaratus,[1]) iam Camerario notus atque a Zieglero fere ea qua par fuit diligentia excussus; continet autem eosdem versus ac Mutinensis[2]) excepto ut supra diximus libro altero. Ex codice *O* librum Venetum *K* minus praestantem descriptum esse docuerunt Adolfus Hartius[3]) et Zieglerus.[4]) Cum ceteri codices, ex quibus Bekkerus, si recte numeravi, quindecim, Bergkius septendecim lectiones vel integras vel selectas Theognideis subscripserunt, plus minusve inferioris sint notae ac multifariam interpolati, nullum fere fructum ad crisin Theognideam promovendam inde capi posse viri docti consentiunt.

III.

Iam vero, unde argumentatio nostra debet proficisci, summarium versuum libri *ἐλεγείων α'* inscripti, qui in codicibus optimis *A* et *O* repetiti leguntur, congeremus, ut simul et versus variatos codicumque discrepantias cognoscas, et quo quisque loco versus repetiti sint perspicias:

---

[1]) Sequor Hugonem Hinckium in annal. philol. 1868 p. 339.

[2]) nisi quod versus 985. 986 in *A* per errorem omissi sunt (teste H. Noltio).

[3]) In annal. philol. 1868 p. 333 sqq.

[4]) ibid. p. 329 sqq.

Versus	qui repetuntur: non variati	paullum immutati	satis mutati	in codicibus: *AO*	*A*	eidem sunt atque
39. 40			39. 40	*AO*		1081. 1082
41. 42		41. 42		*AO*		1082^{a-b}
57—60		57—60		*AO*		1109. 1110; 1113. 1114
87—90		87—90		*AO*		1082^{c-f} [1])
97—100		97—100		*AO*		1164^{a-d}
115. 116		115. 116		*AO*		643. 644
209. 210		209. 210			*A*	332^{a-b} [2])
211. 212		211. 212		*AO*		509. 510
213. 214		213. 214		*AO*		1071. 1072
217. 218			217. 218	*AO*		1073. 1074
367. 368		367. 368		*AO*		1182^{a-b} [3])
409. 410			409. 410	*AO*		1161. 1162
415—418		415—418		*AO*		1164^{e-h}
417. 418			417. 418	*AO*		1105. 1106
441—446		441—446		*AO*		1162^{a-f}
555. 556		555. 556		*AO*		1178^{a-b}
571. 572		571. 572		*AO*		1104^{a-b}
619. 620		619. 620		*AO*		1114^{a-b}
853. 854	853. 854			*AO*		1038^{a-b} [4])
877. 878		877. 878		*AO*		1070^{a-b}
1095. 1096		1095. 1096		*AO*		1160^{a-b} [5])

[1]) Errore ductus Bekkerus (adn. ad v. 1082) praeter hos versus hic repeti in codicibus *A O* etiam versus 93. 94 adnotavit. Abesse hoc distichon (93. 94) hoc loco a codicibus *A O* Guilelmum Studemundum benigne docuerunt vv. ill. Zotenbergius inspecto codice *A* et Augustus Luchsius inspecto codice *O*.

[2]) Quod in editionibus Bekkeriana et Bergkiana dicuntur post versum 332 repeti versus 211. 212, id errore dictum videtur. Neque enim Noltius, cuius novam Mutinensis collationem Studemundus praeceptor meus in scholis nobiscum communicavit, de illorum versuum 211. 212 post v. 332 repetitione quicquam adnotat, versus autem 209. 210 post v. 332 iterum esse exhibitos confirmat.

[3]) Noltius versuum ordinem in codice *A* hunc esse adnotavit: 1179. 1180. 1181. 1182. 1185. 1186. 367. 368. 1183. 1184. 1187—1190.

[4]) Secundum Noltii collationem codex Mutinensis hanc praebet altero loco lectionem versus 853:
ἦδε αμεν καὶ πρόσθεν ἀτὰρ πολυ λώιον ἤδη, item *O* (nisi quod ἥδέα μὲν et πολὺ et ἤδη praebet).
Qui versus 853 quam variis coniecturis temptatus sit, ex adn. Bergkiana ad v. 853 videbis. Ipse novam illius versus lectionem propono hanc:
ἤνδανέ μοι καὶ πρόσθεν, ἀτὰρ πολὺ λώιον ἤδη
ita ut sententia haec sit: iam antea mihi placuit, multo autem magis (melius) nunc ... cfr. Theogn. 26; Od. 3, 150, Iliad. 18, 510; cfr. praeterea de voce λώιον Iliad 1, 229 πολὺ λώιόν ἐστι.

[5]) Versus e. g. 593. 594 et 657. 658, qui et ipsi repetitionis quasi speciem praebent, tamen cum nimis inter se dissentiant, in tabulam non recepi.

Ex hac ipsa tabula quamquam id quod ad rem nostram spectat satis intellegitur, tamen ut recensendi operam lectori aliquantum sublevemus, alteram componere in rem videtur esse. In superiore enim tabula cum in enumerandis versibus ordinem librorum maxime observaverimus, hac quomodo repetiti illi versus[1]) per totum primum Theognideorum librum divisi atque dispersi sint, ostendemus.

Exstant igitur in versibus inde a primo usque ad trecentesimum repetitiones nullae.

Intra versus	repetuntur versus	post versum
300—400	209. 210	332
400—500	nulli	
500—600	211. 212 = 509. 510	
600—700	115. 116 = 643. 644	
700—1000	nulli	
1000—1100	853. 854	1038
	877. 878	1070
	39. 40 = 1081. 1082	
	41. 42	1082
	87—90	1082[b]
	213. 214. 217. 218 = 1071—1074	
1100—1200	57—60 = 1109. 1110. 1113. 1114	
	97—100	1164
	409. 410 = 1161. 1162	
	415—418	1164[d]
	417. (418) = 1105. (1106)	
	441—446	1162
	555. 556	1178
	571. 572	1104
	619. 620	1114
	1095. 1096	1160
	367. 368	1182

Prima statim specie apparet versuum repetitorum numerum inde a versu millesimo fere augescere. Cum enim in

[1]) Singulos versus aut pentametros aut hexametros in sylloga repetitos, de quibus infra disputabitur, hoc loco consulto omisi.

versibus a primo ad trecentesimum nullum, in insequentibus usque ad millesimum duodequadragesimum sex bis positos inveniamus, inde ab hoc usque ad versum 1220 duodequinquaginta versus iterum legimus.

Qui igitur fieri potuit, ut in posteriore potissimum parte tot versus iterum a librariis in textum reciperentur, in priore autem a primo ad millesimum versum tam pauci insererentur? Eam non fuisse causam, quam Nietzschius defendit, tamquam filo quodam rubro vocabulorum eum, qui Theognidea consarcinaverit, singulas sententias conectere atque, ubi filum illud verborum interruptum invenerit, infixa altera sententia consilium atque rationem tueri studuisse, supra diximus. Inde potius videtur repetendum esse, ut tot versus saepius occurrant, quod librarius complures deinceps Theognideorum fragmentorum syllogas ita conscripsit, ut ex eis versibus, qui fortasse aut eidem aut similes in anthologiis quas excerpsit exstabant, nonnullos quidem, quos se iam supra descripsisse meminisset, nec tamen omnes omitteret.

Iam vero ex quot fragmentorum syllogis in unum corpus redactum sit corollarium nostrum quaeritur. Ea de re quaestio prima specie non ita difficilis videtur esse. Percurrenti enim Nietzschii argumenta (l. l. p. 165 sq.), quibus versuum repetitionem explicare studuit, virum doctum existimasse apparebit, cum versus 209. 210 post v. 332 repeterentur, ante v. 332 novae collectionis initium statuendum esse, tum vero cum versus 1095. 1096 post v. 1160 iterum ponerentur, post v. 1096 alteram novam syllogam incepisse. Quam ratiocinandi viam si pergeremus persequi, magnum collectionum numerum exhibere cogeremur.

Sed ne diutius in his moremur quaestiunculis, statim sententiam nostram profiteamur. Inde enim a versu millesimo atque adeo ut accuratius definiamus, inter versum 878 et 1038 novae collectionis initium intercessisse suspicamur. Nam quod post hunc versum 1038 crebrae fiunt repetitiones, id aliter explicari vix potest nisi ita ut novam ab hoc loco syllogam incepisse statuamus.

At etiam in versibus qui v. 878 antecedunt quasdam

sententias bis positas invenimus.' Sane id quidem ab eo quod a nobis propositum est discrepare videtur, re vera tamen non discrepat. Sed videamus quomodo hoc periculum evitandum sit.

Atque primum quidem consilio nostro repugnare videtur fragmentum versibus 209. 210 expressum, quod paullo infra post v. 332 in codice *A* repetitur:

209 *Οὐδεἰς τοι φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος*·[1])
210 *τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶν τοῦτ' ἀνιηρότερον.*
post v. 332: *Οὐκ ἔστιν φεύγοντι φίλος καὶ πιστὸς ἑταῖρος*·
τῆς δὲ φυγῆς ἐστὶν τοῦτ' ἀνιηρότατον.

Ex tabula supra p. 63 proposita apparet versus 209. 210 post versum 332 repetitos legi in uno codice Mutinensi, non in *O* neque in reliquis codicibus recentioribus. Ea quae altero loco post v. 332 traditur lectione, quam etiam Clemens Strom. VI p. 620 laudat, verba Theognidis fidelius servata esse cum Bergkio consentio. Evincit praeterea *ἀνιηρότατον* superlativus alteram loci post v. 332 lectionem Theognideae scripturae magis propriam. Compluribus enim locis superlativus eadem fere verborum coniunctione invenitur, comparativus admodum raro: cfr. 124. 258. (274.) 812. (1356.), cfr. etiam Tyrt. X 4.[2]) Itaque post versum 332 versus illi recte videntur exhibiti, ad alterum autem locum aut casu aliquo aut lacunae cuiusdam explendae causa adscripti. In codicem autem *O* versus hi post v. 332 propterea non admissos esse verisimile est, quia huius codicis librarius quisquis fuit distichon illud paullo supra sese scripsisse meminerat.

Simili modo explicandum videtur, quod versus 211. 212 in Theognideis bis leguntur. Quos ut commodius inter se conferas, hic exscribemus:

211 *Οἶνόν τοι πίνειν πουλὺν κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν*
212 *πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.*
509 *Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακόν· ἢν δέ τις αὐτὸν*
510 *πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸν ἀλλ' ἀγαθόν.*

[1]) Lectionum variarum minutias doctorumque virorum emendationes et interpretationes, quae ad rem intellegendam minus necessariae esse viderentur, et hic et in proximis praetermisi.

[2]) cfr. Kuellenbergii libellum ‚de imitatione Theognidea' Argentorati nuper editum p. 52 adn. 1.

Dubitari potest, utrum prius an posterius distichon suum recte obtinuerit locum. Illud (vv. 211. 212) excludendum esse Bergkius et Hartungius existimaverunt. Atque equidem, si inter has duas sententiarum formas optandum sit, alteram vv. 509. 510) propter personalem, quam dicunt, verborum constructionem Theognide digniorem praetulerim. Idem Stobaei aliorumque [1]) scriptorum suadent testimonia. Quamquam vera et genuina forma eiusmodi dictionum, quae in proverbiorum [2]) fere usum abierunt, certo vix erui poterit. Qua in re discernenda nescio an eadem fides tribuenda sit Aristotelis Galeni Stobaei Artemidori testimoniis atque ipsis Theognidis codicibus. Exhibent autem illi inter se fere consentientes rectam et antiquam ut videtur formam hanc:

Οἶνος πινόμενος πουλὺς κακός· ἢν δέ τις αὐτὸν
πίνῃ ἐπισταμένως, οὐ κακὸς ἀλλ' ἀγαθός.

Item Clemens Alexandrinus, nisi quod *αὐτῷ χρῆται* pro *αὐτὸν πίνῃ* supponit.

Erat autem alter ille locus cui hi versus 509. 510 insererentur aptissimus, cum versus 503—508 vinolentiam castigent. Neque est cur negemus versus illos, cum versibus 509. 510 genuina magis forma exarati sint, hoc ipso loco rectius in textum recipi quam illo, in quem describentis arbitrio inserti videantur. Falso autem hoc distichon priore loco (211. 212) a librario aliquo additum esse in archetypo nescio an inde quoque suspicandum sit, quod proximum distichon (209. 210) et ipsum aut lacunae alicuius explendae causa aut casu aliquo ibi postea adscriptum esse supra coniecimus. Quamquam hac de re certius quicquam statui non poterit.

[1]) cfr. quae Bergkius ad versus 509. 510 adnotavit.

[2]) In proverbia antiquitus non paucas abiisse sententias constat: cfr. e. g. Aristot. ethic. Nicom. 5, 1 (de Theognide 147) et Michaelem Ephesium ad h. l. (Rintelen. p. 34); cfr. praeterea Philonem in vita Mosis p. 714 cum Clem. Alex. Strom. VI p. 742 (Rintelen. p. 37; cfr. etiam p. 45. 49). — Ex ipsis illis, quae hodie exstant, paroemiographorum Graecorum collectionibus (edd. Schneidewin et de Leutsch Gottingae 1839 et 1851) satis apparet Theognidis sententias olim non spretas fuisse: cfr. indicem nom. propr. tom. II p. 849 sub Theognidis nomine.

Hoc obstaculo disiecto iam periculum est, ne aliud fragmentum disputationem nostram debilitet atque infringat. Versus enim

115 *Πολλοί τοι πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι,*
116 *ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι,*

quos ex Phocylide depromptos esse probabiliter coniecit Bergkius, infra non sensu sed paucis verbis variatis leguntur:

643 *Πολλοὶ παρ κρητῆρι φίλοι γίνονται ἑταῖροι,*
644 *ἐν δὲ σπουδαίῳ πρήγματι παυρότεροι.*

Qui versus cum utroque loco in sententiarum nexum aptissime quadrent, non est cur alterum utrum fragmentum eliminemus. Accedit quod cum et longo intervallo distent et argumento paullulum discrepent, is qui reliquias Theognideas collegit, utrumque fragmentum non inepte in textum recipere sibi visus est. Atque Hartungius quidem iniuria versus 115. 116 cancellis circumdedit. Hos enim antiquiorem praebere speciem atque formam inde apparere videtur, quod is qui hexametrorum collectionem Phocylidis nomen prae se ferentem concinnavit, sine dubio ex ipsis antiquissimorum poëtarum fontibus hausit. Legitur autem apud Pseudophocylidem in versu 92 editionis Bergkianae *πολλοὶ γὰρ πόσιος καὶ βρώσιός εἰσιν ἑταῖροι.* Itaque nisi utrumque distichon in textu retinere voluerimus, alterum illud versibus 643. 644 expressum potius delendum erit.

Haec fere de distichis intra priorem libri primi partem repetitis dicenda esse videbantur. Praeter disticha autem illa, de quibus modo verba fecimus, repetuntur singuli versus, quos nondum in disputationem protraxi. Atque incipiam ab eis qui ad verbum repetiti sunt, quo in numero sunt pentametri 540 et 554 *εἰ μὴ ἐμὴν γνώμην ἐξαπατῶσι θεοί,* qui cum hexametro antecedenti coniuncti aptum praebent sensum restringendique vim indicant, ut idem fere valeant ac latinum ‚nisi egregie fallor'. Cum eiusmodi formulas ad sermonis cotidiani similitudinem saepissime usurpatas fuisse atque in poësin elegiacam facile inseri potuisse consentaneum sit, quod

tales versus saepius occurrunt mirum non est. At fortasse alia de causa idem pentameter tam brevi spatio interiecto iterum positus est. Is enim qui fragmenta elegiaca collegit, cum in archetypo distichon aut versu pentametro carens invenisset aut pentametri ipsius si aderat sententiam minus comprobaret, vel aliam ex arbitrio suo inseruit, vel lacunam ita explere studuit, ut pentametro aliunde accito sententiam compleret. Quod fatum utrum prius syllogae nostrae distichon (vv. 539. 540) an posterius (vv. 553. 554) expertum sit, explorari nequit. Hartungius quidem priorem pentametrum (v. 540) cancellis saepsit; Bergkius ceterique editores utrumque versum in contextu reliquerunt.

Similiter iudicandum erit de aliis versibus singularibus repetitis. Quo ex numero eos depromamus, qui maxime ad rem nostram pertinere videantur. In distichis igitur editionis Bergkianae

167 *Ἀλλ' ἄλλῳ κακόν ἐστι, τὸ δ' ἀτρεκὲς ὄλβιος οὐδεὶς*
168 *ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.*
et 849 *Οὐ γὰρ ἔθ' εὑρήσεις δῆμον φιλοδέσποτον ὧδε*
850 *ἀνθρώπων, ὁπόσους ἠέλιος καθορᾷ.*

cum pentametrum habeas eundem, tamen neque hunc neque illum librarii errore interpolatum esse contendes. Poëtae enim ut verborum vim atque notionem, quam in illis inesse concedes ‚*πάντες ἄνθρωποι*' vel ‚*οὐδεὶς ἀνθρώπων*', corroborarent, sollemnes illas formulas adamabant.[1]) Quid Homerus, poëta summus, nonne sescentas eius generis formulas adhibet eisque adeo delectari videtur?[2]) Quid Hesiodus aliique clarissimi poëtae? Omnes saepe idem fecerunt. Ut in poëtis elegiacis commorer, Solonem testem advoco, in cuius fragmento Bergkianae editionis quarto decimo eandem fere sententiam ac Theognideam conditam invenies:

---

[1]) cfr. v. d. Meyum p. 19 sqq.

[2]) Accuratissime a v. d. Meyo in unum conspectum congesti sunt eiusmodi loci p. 20 sqq.; cfr. praeterea Kuellenbergium p. 49 sqq. Cum hac locutione sollemni, qualis in elegiis invenitur, confer Homericam illam *ὅς πάντ' ἐφορᾷ καὶ πάντ' ἐπακούει* Iliad. 3, 277; Od. 11, 109; 12, 323. — cfr. etiam Kuellenbergium p. 17 et 18 adn. 1.

Οὐδὲ μάκαρ οὐδεὶς πέλεται βροτός, ἀλλὰ πονηροὶ
πάντες, ὅσους θνητοὺς ἠέλιος καθορᾷ.

In collectione Theognideorum conferas praeterea:

615 *Οὐδένα παμπήδην ἀγαθὸν καὶ μέτριον ἄνδρα*
616 *τῶν νῦν ἀνθρώπων ἠέλιος καθορᾷ.*

Poësin autem elegiacam simili fere modo quo Homericam [1]) certis et longioribus tamquam formulis dicendi insignem esse praeter ea quae modo congessimus exempla Tyrtaei elegiis docemur. Carminis enim X (ed. Bergk.) versus 31. 32 iterum leguntur in carminis XI versibus 21. 22, atque cum in utrumque locum bene quadrent, Bergkio [2]) malim adsentire, qui illos versus (X 31. 32) minime subditicios censet, quam Brunckio aliisque viris doctis, qui hos versus secludendos esse iudicant. Apud eundem poëtam in elegia XII versum decimum leviter a vicesimo differre monuit Rintelenus p. 43.

Aliae autem eiusmodi versuum repetitiones cum in reliquorum et inprimis Callini Archilochi Solonis poëtarum elegiacorum fragmentis iam non inveniantur, tamen si minus mutilata ad nostram pervenissent aetatem, ex his quoque id quod modo de eiusmodi formulis contendimus verum esse eluceret.

Quoniam satis demonstrasse nobis videmur versus quos supra commemoravimus repetitos nihil impedire, quominus a versu primo ad millesimum fere unam fragmentorum syllogam agnoscamus, nunc quibus finibus prior circumscripta sit vel potius ubi alterius syllogae initium statuendum sit eruamus.

Usque ad versum 1038 corollarii nostri versuum repetitiones singulas investigavimus repetitorumque causas aperire

[1]) cfr. Odofredum Muellerum Griech. Litteraturgesch. I (ed. III) p. 62. — Addiderim hoc loco, in versu 667 pro *οἷά περ ᾔδειν* rectius fortasse scribendum *οἷα πάροιθεν,* quod ad insequens *νῦν* v. 669 optime quadrat· (De aliis coniecturis cfr. Bergk. ad h. l.) Quamquam vox illa (*πάροιθεν*) apud poëtas elegiacos non invenitur, tamen eodem sensu, qui in hoc loco inesse debet, apud Homerum vocabulum *πάροιθε* adhibetur: cfr. e. g. Iliad. 15, 227; Odyss. 16, 181 etc.

[2]) cfr. Bergkii adnotationem ad Tyrt. X 31. 32.

conati sumus. Post hos autem versus numerum versuum repetitorum usque ad libri primi, qui in codicibus legitur, finem augescere nemo non intellegit. Iam vero cum versus 853. 854 repetantur post versum 1038, post v. 854 autem nulla alia inveniatur repetitio, intra hos ipsos versus (854 et 1038) alterius syllogae quaerendum erit initium.

Quam quaestionem olim ita solvere eram adortus, ut consideratis librorum *ἐλεγείων α'* et *β'* exordiis, quoniam — quod haud raro in antiquissimorum carminum primordiis fieri constat — a dei alicuius invocatione inciperent, inde novae a nobis constitutae syllogae initium statuerem. Sed quae nomina propria inter versus 854 et 1038 exstant excepto fortasse Academo (v. 993) nulla in hanc sententiam quadrare videntur. Illud autem Academi nomen cum ne in codicibus quidem integrum exhibitum sit, sed incertae coniecturae debeatur, minus aptum videatur, unde novae syllogae exordium incipiat. Versus enim 993—996 cum amorem puerilem praedicent, totam alteram syllogam in eodem argumento versari haud absurde exspectes, quod tamen minime fieri primo conspectu intellegas. Ergo ita fortasse rectius iudicabimus, ut aut folia quaedam verum syllogae illius initium continentia ex codice archetypo periisse sumamus, aut librarium non totam, quam in manibus haberet, collectionem conscripsisse, sed versus qui minus apti ei viderentur omisisse.

Ita cum novae syllogae principium constituerimus a versu fere millesimo incipere, a [1]) Meyi sententia aliquantum distamus. Is enim circa versum 756 primae pristinarum chrestomathiarum finem, circa v. 769 secundae initium indicari suspicatur, quod quibus de causis fecerit non addit.

IV.

Itaque postquam terminum, a quo alteram fragmentorum Theognideorum syllogam incipere existimaremus, eruere aliquo

[1]) cfr. v. d. Meyum p. 47.

modo conati sumus, restat ut hanc breviter contemplemur. Primum igitur videamus, num ex ipsis huius syllogae fragmentis versus quidam repetiti sint.

Elucet ex tabula supra p. 63 proposita versus huius collectionis 1095. 1096 post versum 1160 iterum positos esse. Sunt autem hi:

1095 *Σκέπτεο δὴ νῦν ἄλλον, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη*
1096 *τοῦθ' ἔρδειν, τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.*
post 1160 *Ὦ νέοι οἱ νῦν ἄνδρες, ἐμοί γε μὲν οὔτις ἀνάγκη*
τοῦθ' ἔρδειν, τῶν μοι πρόσθε χάριν τίθεσο.

Versus priore loco positi 1095. 1096 non male ita congruunt cum quattuor versibus proximis 1091—1094, ut sententiam, quae in illis inest, concludant. Post versum enim 1094 distichon illud ipsa poëtae manu additum fuisse, quod sententiam vv. 1091—1094 expressam ita quasi suppleret: ‚nos igitur cum amici esse iam nequeamus, alium tu tibi quaeras' . . ., nescio an persuadeat particulae *δή* vis conclusionem indicantis. Itaque hoc distichon non cum Bergkio segregandum esse existimo a versibus praecedentibus sed arte coniungendum, id quod Bekkerus aliique voluerunt. Minus apte cum insequentibus versibus copulandum distichon 1095. 1096 censuit Welckerus et cum eo Zieglerus.

Sed quaenam causa librarium commovit — neque enim versus 1160 sq. *Ὦ νέοι οἱ νῦν ἄνδρες κτλ.* admissos esse credas ab eo qui alterius collectionis auctor fuit — ut versus paullo ante exhibitos iterum in collectionem reciperet? Quod nescio an ideo fecerit, quod in archetypo post v. 1160 lacunam invenit, quam ad supplendam ex antecedentibus distichis unum deprompsit. Cum igitur genuina illius sententiae, quam supplendam esse ratus est librarius, verba fortasse exstarent haec: *ὦ νέοι, οἱ νῦν ἄνδρες*, his adsuit ea quae nunc in codicibus exarata inveniuntur: *ἐμοί γε μὲν κτλ.*

Lacunam autem circa hunc locum statuendam esse suadent versus in codicibus omissi 1157. 1158 et a Turnebo de-

mum ex Stobaeo XCI 26 inserti.[1]) Accedit quod totum illum locum inde a versu 1151 minus bene traditum esse merito conicias. Cum enim vv. 1151. 1152 praemittantur in altero elegiarum libro *B'* inscripto versibus 1239. 1240, quibuscum optime cohaerent, utrumque distichon etiam in primo libro olim collocatum fuisse non improbabiliter suspicatur Rintelenus p. 41. Quamquam secundum antiquorum opinionem poterant versus 1151. 1152 soli absolutum per se distichon efficere.[2])

Facere denique non possum, quin librarium, cum sententiam (post v. 1160) ineptae compositionis indicia prae se ferentem exhiberet, doctrina parum insignem se praestitisse moneam. Post grandem enim exclamationem illam (post v. 1160) *ὦ νέοι οἱ νῦν ἄνδρες* reliqua sententiae verba quasi in arenam, quod dicunt, diffluere videntur; quae verba si genuina essent, minime intellegeretur, quomodo poëta in versu altero 1096ᵇ *τίθεσο* posset usurpare, postquam non unus iuvenis est appellatus sed complures (*νέοι*). Accedit quod in *τίθεσο* singulari numero tradendo codices ad unum omnes consentiunt. — His exceptis versibus cum nullos ex eadem hac sylloga desumptos repetitosque inveniamus, certissimum inde argumentum rationis supra a nobis propositae eruere licet.

V.

Iam vero constitutis duabus illis syllogis quaestionem conemur solvere ad crisin Theognideam promovendam gravissimam.

Etenim facile apparet ex versibus in altera quam constituimus sylloga repetitis utramque syllogam neque ex eodem fonte emanasse neque alteram ex altera quasi derivatam, sed

---

[1]) cfr. Rintelenum p. 21 de versibus 1157. 1158.

[2]) Hexametri verbis quae supersunt *ὦ νέοι, οἱ νῦν ἄνδρες* . . . Callini vel Tyrtaei monemur adulescentium maxime animos ad pugnam inflammantium: cfr. Callin. I 2; Tyrt. XI 10; X 15 (ed. Bergk. III).

ex archetypis plane diversis esse conflatam.[1]) Quam rem maxime suadere videntur lectionum varietates. Neque enim omnes a librariis effectas esse veri simile est. Itaque ex lectionum varietatibus iudicium facere conabimur, utra harum collectionum alteri praestet.[2])

Examinemus igitur accuratius versus, qui cum aliqua lectionis discrepantia repetuntur. Qua in re minutos librariorum errores, qui ad rem ipsam de qua agitur nihil fere pertinent, praetermittamus. —

Atque ordiamur a versibus

571 *Δόξα μὲν ἀνθρώποισι κακὸν μέγα, πεῖρα δ' ἄριστον·*
572 *πολλοὶ ἀπείρητοι δόξαν ἔχουσ' ἀγαθῶν* (cod. *A* infra *ἀγαθοί*, cod. *O* infra *ἀγαθήν*),

quod distichon in altera sylloga iterum legitur post v. 1104,[3]) quo loco optime congruit cum insequentibus vv. 1105. 1106. Ex antiquiore igitur melioreque archetypo videntur versus 1104^{ab} manasse, in quo coniuncti legebantur versus 1104^{ab}—1106. De lectionis varietate (*ἀγαθῶν* et *ἀγαθοί*) anceps est iudicium, cum utraque lectio sanum praebeat sensum; tamen alteram *ἀγαθοί* erunt qui praeferant, cum praesertim constet Theognidem adamasse homoeoteleuta.[4]) —

Certo magis genuina forma servata est ab alterius syllogae auctore in vv.

367 *Οὐ δύναμαι γνῶναι νόον ἀστῶν ὅν τιν' ἔχουσιν·*
368 *οὔτε γὰρ εὖ ἔρδων ἁνδάνω οὔτε κακῶς.*

A infra post v. 1182 et *O* infra post v. 1186 praebent *Ἀστῶν δ' οὐ δύναμαι γνῶναι νόον κτλ.* Facile apparet collocationem verborum *ἀστῶν δ' οὐ* . . . illi praestare; nam et particula *δέ* versus ex ipso sententiarum nexu sumptos esse

---

[1]) Syllogas, quae hodie exstant, ex pleniore uberioreque haustas esse archetypo docent disticha editionibus ex Stobaeo atque Athenaeo nserta, cfr. supra p. 61 sq. Atque ex Suida fragmenta olim Theognidea versus 2800 complexa esse scimus; cfr. Rintelenum p. 18 et p. 45 sq.

[2]) Codicem *A* in altera (a nobis constituta) sylloga saepius germanam lectionem servasse Bergkius ad Theogn. v. 289 adnotat.

[3]) cfr. Bergkii adn. ad hos versus.

[4]) Qua de re cfr. Leutschium in Philol. XXX p. 198. — Lectionem codicis *O* (*ἀγαθήν*) in versu 1104b nemo illis praeferet.

docet et vocabulum spondiacum (ἀστῶν) in versus 367 pede quarto parum eleganter ante caesuram bucolicam collocatum ab arte Theognidea abhorrere scite monuit Studemundus in scholis Argentorati de Theognide habitis; neque est omittendum versus 367. 368 post versum 1182 cum disticho antecedente olim fortasse coniunctos fuisse. —

Alia est condicio versuum 555. 556; nam in versibus

555 *Χρὴ τολμᾶν χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι κείμενον ἄνδρα*
556 *πρός τε θεῶν αἰτεῖν ἔκλυσιν ἀθανάτων*

post versum 1178 repetitis aliter vocabula se excipiunt (*A* infra post versum 1178 *τολμᾶν χρὴ χαλεποῖσιν εν αλγεσιν ἦτορ ἔχοντα προς δε θεων αιτειν κτλ.*, *O* infra post v. 1178 *τολμᾶν χρὴ χαλεποῖσιν ἐπ' ἄλγεσιν ἧπαρ ἔχοντα πρός τε θεῶν δ' αἰτεῖν κτλ.*). Posteriore loco non male legitur *τολμᾶν χρή* . . . cfr. 591. 445. 398. Attamen possis etiam conicere ipsum Theognidis distichon e. g. ab *καὶ τολμᾶν χαλεποῖσιν* verbis orsum esse ita, ut in disticho proxime antecedente *χρή* (cum aliquo infinitivo) praecederet, quod distichon uterque epitomator fortasse omiserit. Lectionem autem *ἐν ἄλγεσι κείμενον ἄνδρα* meliorem esse quam *ἐν ἄλγεσιν ἦτορ ἔχοντα* facile tibi persuadebis. Dictionem enim *κεῖσθαι ἐν* (*ἄλγεσι, κακοῖς*) saepius, illam autem (*ἐν ἄλγεσιν*) *ἦτορ ἔχειν*, nisi egregie fallor, nusquam invenimus. *χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσιν ἦτορ ἔχοντα*[1]) vero nihil aliud videtur significare quam *χαλεποῖσιν ἐν ἄλγεσι κείμενον* (cfr. Theogn. 320 *τολμᾷ δ' ἔν τε κακοῖς κείμενος ἔν τ' ἀγαθοῖς*; cfr. praeterea v. 632 et 646 et Od. 21, 88 ubi legitur *κεῖται ἐν ἄλγεσι θυμός*; cfr. etiam Od. 13, 320; 24, 423). Suspicer lectionem genuinam *κείμενον ἄνδρα* etiam in v. 1178ª olim infuisse, sed a diasceuasta quodam abiectam esse, quod verba *ἦτορ ἔχοντα*, cum ad sententiam *τολμᾶν* . . . *ἄνδρα* illustrandam in margine adscripta invenisset, parum apte in textum inseruisset. Ceterum aliae viae ad hanc discrepantiam explicandam patent. —

Leviter variati post v. 1164 primum hi versus repetuntur:

97 *Ἀλλ' εἴη τοιοῦτος ἐμοὶ φίλος, ὃς τὸν ἑταῖρον*
98 *γινώσκων ὀργὴν καὶ βαρὺν ὄντα φέρει*

[1]) **Lectionem codicis *O* post v. 1178 nemo commendabit.**

99 *ἀντὶ κασιγνήτου· σὺ δέ μοι, φίλε, ταῦτ᾽ ἐνὶ θυμῷ*
100 *φράζεο, καί ποτ᾽ ἐμοῦ μνήσεαι ἐξοπίσω.*

(*A* infra *Τοιοῦτός τοι ἀνὴρ εστω φιλος*, *O* infra *τοιοῦτος ἀνὴρ ἔστω φίλος* — *A* infra *τοῦτ᾽* [non item *O*]), tum versus:

415 *Οὐδέν᾽ ὁμοῖον ἐμοὶ δύναμαι διζήμενος εὑρεῖν*
416 *πιστὸν ἑταῖρον, ὅτῳ μή τις ἔνεστι δόλος·*
417 *ἐς βάσανον δ᾽ ἐλθὼν παρατρίβομαι ὥστε μολίβδῳ*
418 *χρυσός, ὑπερτερίης δ᾽ ἄμμιν ἔνεστι λόγος.*

(*AO* infra *οὔτιν᾽* — *παρατριβόμενός τε* — *ὑπερτερίης ἄμμιν.*)

Hi igitur versus (97—100 et 415—418) post v. 1164 repetiti in alterius syllogae archetypo videntur sese excepisse; et poterant hae sententiae, etsi non eiusdem elegiae fuerunt, perbene componi. Genuinam autem posterioris loci (post v. 1164) lectionem *τοιοῦτός τοι* conicere possit quispiam a prioris syllogae epitomatore ideo mutatam esse in *ἀλλ᾽ εἴη τοιοῦτος* (v. 97), quod nisi variationem effecisset, duo disticha insequentia (vv. 95. 96 et 97. 98) ab eisdem incepissent verbis *τοιοῦτός τοι*. Attamen vix minus probabiliter atque adeo probabilius alii coniecerint apud Theognidem versus 97—100, quales in priore sylloga leguntur, cum versibus 93—96 cohaesisse, genuinamque formam eam fuisse, quae a particula *ἀλλὰ* incipiat; quod qui statuerint, lectionem *τοιοῦτός τοι ἀνὴρ ἔστω φίλος* (in *A* post v. 1164) ita natam esse suspicabuntur, ut alterius syllogae auctor, cum versus 93—96 abiecisset, ex versu 95 hexametri initium depromeret. — Versus deinde 415—418 altero loco exhibiti post v. 1164 melius servati sunt; scripturam *παρατριβόμενός τε* enim praeferendam esse v. 1105 docet.[1]) Quod autem in *A* post v. 1164 (post *ἐς βάσανον*) pro *δ᾽* legitur *τ᾽*, id calami lapsui tribuerim. —

Difficilior illa est quaestio, quid de versibus 57—60 iudican-

[1]) cfr. Herwerdeni (Animadversiones philologicae in Theognidem, Traiecti ad Rh. 1870) iudicium de his versibus, qui vir doctus, ut est coniecturarum amans, pro *μολίβδῳ* probam et antiquam formam *μολύβδῳ* reponendam esse censet; idem cum *ὑπερτερίης . . λόγος* depravatum putet, conicit: *ὑπερτερίῃ δ᾽ ἄμμον ἔνεστι λόγος.*

dum sit, quos in editionibus versibus 1109—1114, disticho 1111. 1112 auctioribus, iterum exaratos invenimus. Sed quo melius inter se comparentur, hos quoque exscribamus:

57 *καὶ νῦν εἴσ' ἀγαθοί, Πολυπαΐδη· οἱ δὲ πρὶν ἐσθλοὶ*
58 *νῦν δειλοί· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν;*
59 *ἀλλήλους δ' ἀπατῶσιν ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶντες,*
60 *οὔτε κακῶν γνώμας εἰδότες οὔτ' ἀγαθῶν.*
et 1109 *Κύρν', οἱ πρόσθ' ἀγαθοὶ νῦν αὖ κακοί, οἱ δὲ κακοὶ πρὶν*
1110 *νῦν ἀγαθοί· τίς κεν ταῦτ' ἀνέχοιτ' ἐσορῶν,*
1111 *τοὺς ἀγαθοὺς μὲν ἀτιμοτέρους, κακίους δὲ λαχόντας*
1112 *τιμῆς; μνηστεύει δ' ἐκ κακοῦ ἐσθλὸς ἀνήρ.*
1113 *ἀλλήλους δ' ἀπατῶντες ἐπ' ἀλλήλοισι γελῶσιν*
1114 *οὔτ' ἀγαθῶν μνήμην εἰδότες οὔτε κακῶν.*

Ipsa variatio compellationis *Πολυπαΐδου* et *Κύρνου* nescio an ita effecta sit, ut in ea elegia, ex qua versus desumpti sunt, et *Π.* et *K.* exstarent nomina. Velim respicias versum 53, qui revera a *Κύρνε* incipit, siquidem Bergkius versus 53—56 probabiliter coniunxit cum versibus 57 sqq. Videntur autem versus illi ex maiore atque integriore elegia ad diasceuastae alicuius arbitrium plus minusve in artum redacti atque variati esse. Quod primum eo apparet, quod utriusque loci lectiones solito magis inter se discrepant, deinde quod unum distichon priore loco omissum altero loco insertum est.[1]) Videtur igitur Theognis haec fere scripsisse: 53—58 et 1111—1114. Prioris syllogae auctor versus 53—58 integros servavit, sed pro versibus 1111—1114 alterum tantum distichon liberius mutatum proposuit; contra posterioris syllogae auctor pro versibus 53—58 omisso exordio unicum distichon exhibuit in initio liberius mutatum, sed versus 1111—1114 intactos servavit.

Sed videamus quid ex lectionum varietate concludi et possit et debeat. Priores versus 57. 58 = 1109. 1110, qui

[1]) Ea quae Rintelenus p. 43 de his versibus disputat intricata nimis vixque vera videntur esse, quod ipse profitetur cum dicat: ‚neque ipse hanc rationem certissimam esse opinor.'

eisdem fere verbis sententiam contrariam exprimunt, qua de causa variati sint, perspicere nequimus; insequentis autem distichi 59. 60 = 1113. 1114 lectio digna est, quae accuratius examinetur. Ibi quod legitur in v. 59 *ἀπατῶσιν-γελῶντες* et in v. 1113 *ἀπατῶντες-γελῶσιν*, librario tribuerim. Utut res se habet, alteram lectionem *ἀπατῶντες-γελῶσιν* praeferendam esse cum Bergkio[1]) consentio. Nec minus genuinam scripturam videtur servasse versus 1114, ubi in codicibus pro *γνώμας* (v. 60) *μνήμην* exaratum est. Eodem enim sensu, atque hoc loco, legitur in v. 798 *τῶν δὲ κακῶν μνήμη γίνεται οὐδεμία.* Itaque Heckeri coniecturam, qui in v. 1114 *γνώμην* scribendum esse proponit, non necessariam esse duco, cum praesertim ex genuina lectione *μνήμην* librariorum errore *γνώμας* et *γνώμην* lectiones facile oriri potuerint. Quod denique verba (v. 60 et 1114) *κακῶν-ἀγαθῶν* locum inter se mutaverunt, id non raro in codicibus invenitur (cfr. e. g. v. 443 et 1162[c]). Verborum autem collocationem in v. 1114 servatam meliorem esse quam in v. 60 loci modo laudati indicant, ubi optimi codices et in v. 443 (*A*, non *O*) et in v. 1162[c] (*AO*) rectam exhibent lectionem hanc:

δειλὸς δ᾽ οὔτ᾽ ἀγαθοῖσιν ἐπίσταται οὔτε κακοῖσιν, κτλ.

Qua de re vide praeterea quae Kuellenbergius p. 49 sq. adnotavit.

Ex his rebus quamvis levibus tibi persuadeas locum in altera sylloga melius traditum esse. Accedit quod ibidem duobus versibus auctior legitur. —

Praeterea versus prioris syllogae

39 *Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα*
40 *εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης.*

infra (1081. 1082) leguntur pentametro ita mutato:

1082 *ὑβριστήν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος.*

Versus deinde

41 *ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ᾽ οἵδε σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ*
42 *τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.*

iterum exhibentur post v. 1082, ubi pro *ἔθ᾽ οἵδε* legitur *ἔασι.*

[1]) cfr. quae Bergkius ad v. 59 adnotavit.

Qua de lectionum discrepantia Bergkius ita iudicat, ut breviatorem distichon et 39. 40 et 1081. 1082 ex pluribus desumpsisse et in artum redegisse coniciat; utrumque enim pentametrum Theognidis esse contendit. Itaque hanc fere fuisse formam Theognideam censet:

Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
ὑβριστήν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος.

‚Optimates tamen hoc malum sua superbia commeriti sunt'. (unus minimum hexameter excidit)

εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης.
ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔθ' οἵδε σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ
τετράφαται πολλὴν ἐς κακότητα πεσεῖν.

Haec a Bergkio proposita si tibi probantur, *οἵδε* lectionem una cum antecedente hexametro recte servatam esse a prioris syllogae auctore censeas. Contra si cum Hartungio *ἔασι* a Theognide scriptum esse existimamus, probabilius est ante hexametrum *ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔασι σαόφρονες, ἡγεμόνες δὲ* exstitisse eum pentametrum, qui in posteriore sylloga (v. 1082) servatus est, ut hic fere sententiarum conexus et versuum ordo apud Theognidem fuerit:

Κύρνε, κύει πόλις ἥδε, δέδοικα δὲ μὴ τέκῃ ἄνδρα
εὐθυντῆρα κακῆς ὕβριος ἡμετέρης.

Nostra enim superbia efficietur, ut tyrannum nanciscamur'

ὑβριστήν, χαλεπῆς ἡγεμόνα στάσιος.
ἀστοὶ μὲν γὰρ ἔασι σαόφρονες κτλ.

Forma autem *ἔασι*, quamquam alias apud Theognidem non legitur, apud Homerum saepius occurrit, eademque apud Xenophanem poëtam elegiacum (cfr. PLGr. p. 480 in fragm. VII). —

Videamus porro, quid de hoc disticho inepto

1161 *Οὐδένα θησαυρὸν παισὶν καταθήσειν ἄμεινον·*
1162 *αἰτοῦσιν δ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδου·*

iudicandum sit, quod in priore sylloga ita servatum est:

409 *Οὐδένα θησαυρὸν παισὶ[ν] καταθήσει ἀμείνω*
410 *αἰδοῦς, ἥ τ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρν', ἕπεται.*

Iam antiquitus huius sententiae lectionem incertam fuisse atque

coniecturis temptatam apparet etiam ex Stobaeo (flor. XXXI 16), ubi hi versus leguntur:

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσεαι ἔνδον[1]) *ἄμεινω*
αἰδοῦς, ἥν ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδως.

Versum 1161, qualem exscripsi, non recte legi apparet. *καταθήσειν* enim formam servari numeri vetant, nisi inverso verborum ordine scribatur *καταθήσειν παισὶν ἄμεινον*. Quod si fit, habes ante caesuram bucolicam vocabulum quadrisyllabum ‚ionici a minori‘ forma insigne, quod ab arte Theognidea abhorrere monuit nos Studemundus in scholis (cfr. supra p. 75). Infinitivus autem ille *καταθήσειν* aut inepte pro imperativo positus aut librarii errore exaratus est pro *καταθήσεαι*: *AI* enim et *N* saepissime in codicibus permutantur. Deinde *αἰτοῦσιν* illud in v. 1162 aut non recte a librario legebatur pro *αἰδοῦς ἥν* (*ἥτ'*) . . , aut iam tum verba illa corrupta in archetypo exstabant. Nec fieri potuit, quin librarii, cum pentametri initium incertum invenissent, sive *αἰδοῦς ἥν* ... legebant sive *αἰδοῦς ἥτ'* ... , etiam versus exitum variarent. Inde quidem lectionum discrepantia orta videtur esse in fine pentametri utriusque *δίδου - ἕπεται*. Utrumque autem distichon cum neque in Theognidis codicibus neque apud Stobaeum recte traditum videretur, Bergkius[2]) genuinam poëtae sententiam lectionibus illis coniunctis restaurare studuit, cum scriberet:

Οὐδένα θησαυρὸν καταθήσεαι παισὶν ἀμείνω
αἰδοῦς, ἥν τ' ἀγαθοῖς ἀνδράσι, Κύρνε, δίδως.

Sed propter leges metricas, quas Theognis in pede quarto

---

[1]) Quod apud Stobaeum legitur *ἔνδον*, in Theognidis codicibus *παισίν*, hoc ex glossemate ad vocem *ἔνδον* id est ‚domi' vel ‚domi tuae' adscripto videtur ortum esse. Quae vox *ἔνδον* apud Homerum eam maxime significationem habet, ut idem valeat atque latinum ‚intus', cfr. Od. 16, 202. 301; Iliad. 10, 378 etc. Significare autem vocabulum *ἔνδον* idem quod latinum ‚domi', unus quidem Homeri locus dilucide demonstrat. Legitur enim in Od. 22, 140 sq.:

ἀλλ' ἄγεθ' ὑμῖν τεύχε' ἐνείκω θωρηχθῆναι
ἐκ θαλάμου· ἔνδον γάρ, ὀΐομαι, οὐδέ πῃ ἄλλῃ
τεύχεα κατθέσθην Ὀδυσεὺς κτλ.

Hoc loco *ἔνδον* aperte significat: *ἐν τῷ θαλάμῳ*.

[2]) PLGr. p. 555.

ante caesuram bucolicam concinnando secutus est, saltem duce Stobaeo ἔνδον pro παισὶν scribendum erat; gravius autem vitium in pentametro latere persuasit Studemundus in scholis. —

In versibus

619 Πόλλ' ἐν ἀμηχανίῃσι κυλίνδομαι ἀχνύμενος κῆρ·
620 ἄκρην γὰρ πενίην οὐχ ὑπερεδράμομεν.

infra post v. 1114 ita repetitis: πολλὰ δ' ἀμηχανίῃσι — ἀρχὴν γὰρ πενίης vix discerni poterit, utra lectio sit praeferenda. Hexametri lectio, quae in posteriore sylloga exstat, propter δέ particulam genuina videtur.[1]) Diasceuastes autem cum particulam illam abiecisset, metri servandi causa ἐν praepositionem ante ἀμηχανίῃσι male inseruit. κυλίνδεσθαι verbi notio ab hoc loco non aliena est: dicuntur enim homines apud Homerum non raro κυλίνδεσθαι prae nimio luctu (cfr. Iliad. 22, 414; Od. 4, 541), sed nullum locum indagavi, unde verbi structura satis eluceret. Construendum autem videtur rectius cum dativo instrumentali quam cum ἐν praepositione (cfr. Kühnerum griech. Gramm. II p. 380, 8 ubi exempla similia congesta invenies; cfr. praeterea Aesch. Agam. 836 πήμασιν βαρύνεται, Soph. Ai. 41 χόλῳ βαρυνθείς). Hanc igitur distichi sententiam esse credo: ‚Cuiusvis generis malis [necessitate] (ἀμηχανίῃσι pl.) iactor (cfr. Verg. Aen. IV 14 iactatus fatis), cum ne paupertatem quidem evaserimus.'

Nec certius quicquam ratiocinando adsequi possumus ex alterius lectionis discrepantia, cum utraque verae genuinaeque scripturae formam ac speciem videatur tenuisse. Priore enim loco cum ἄκρην recte exaratum sit, altero πενίης rectius traditum est. Praestantiorem enim lectionem effectam esse, cum pater meus scriberet ἄκρην γὰρ πενίης quam ἀρχὴν γὰρ πενίης et scriptorum antiquorum testimonia docent et viri docti consentiunt.[2]) —

[1]) cfr. quae p. 74 de versu 1182a diximus et p. 88 adn. 1.

[2]) cfr. de Leutschium in Philol. XXIX p. 516; cfr. etiam Eurip. Archel. fragm. 232 et Aesch. Eum. 562. Commendat lectionem ἄκρην γὰρ πενίην Stob. Flor. XCVII 15, eandemque alii loci: cfr. Iliad. 12, 51; 5, 336 etc.; Kühnerum griech. Gramm. II p. 234a.

Denique aperte praestat prioris syllogae lectio in versibus

213 *Κύρνε, φίλους κάτα πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος,* (*θυμέ A* pro *Κύρνε*)
214 *ὀργὴν συμμίσγων, ἥντιν' ἕκαστος ἔχει.*
215 [*Πουλύπου ὀργὴν ἴσχε πολυπλόκου, ὃς ποτὶ πέτρῃ,*
216 *τῇ προσομιλήσῃ, τοῖος ἰδεῖν ἐφάνη.*]
217 *νῦν μὲν τῇδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος χρόα γίνου·*
218 *κρέσσων τοι σοφίη γίνεται ἀτροπίης*(*O κραιπνόν*),

qui in versibus

1071 *Κύρνε, φίλους πρὸς πάντας ἐπίστρεφε ποικίλον ἦθος*
1072 *συμμίσγων ὀργήν, οἷος ἕκαστος ἔφυ.*
1073 *νῦν μὲν τῷδ' ἐφέπου, τοτὲ δ' ἀλλοῖος πέλευ ὀργήν·* (*A τοδ'* pro *τῷδ'*)
1074 *κρεῖσσόν τοι σοφίη καὶ μεγάλης ἀρετῆς.* (*O κρείσσων*)

admodum variati leguntur. Priore enim loco elegiae pars (213—218) disticho, certissimis testimoniis [1]) Theognidi vindicando, auctior est. Quod distichon cum in altera sylloga omitteretur, consectarium fuit, ut ea quae ad artem moresque polypi pertinerent, mutarentur. Neque enim consulto illud distichon (vv. 215. 216) ab ipso syllogae alterius auctore praetermissum esse negari potest. Quod si recte statuimus, iudicium de versuum discrepantia facere supervacaneum est. Illud addiderim in alterius syllogae versu 1074 verba *καὶ μεγάλης ἀρετῆς* vulgariter et fere inepte, contra ea quae in prioris syllogae versu 218 pro eis legimus *γίνεται ἀτροπίης* bene dicta esse et exquisite.

Cum in hoc quidem loco (vv. 213—218, 1071—1074) et in nonnullis aliis vix dubium sit quin in priore sylloga magis genuina forma contextus Theognidei servata sit, tamen demonstrasse nobis videmur maiore ex parte in posteriore sylloga fidelius Theognideam carminum formam retinuisse, qui eam adornaverit.

---

[1]) cfr. Bergkium ad v. 215; vid. praeterea, quae ad Zenobium (ed. Leutsch et Schneidewin) I 24 adnotata sunt.

VI.

Haec fere de versibus in altera sylloga repetitis disputanda videbantur. Qua in re perscrutanda cum haud raro antiquiorem melioremque statum in altera collectione deprehenderimus, dolendum est, quod quo primum tempore illae syllogae compositae et qua aetate in unum conflatae sint corpus investigari non poterit. Exstitisse autem iam antiquitus collectiones quasdam ex Theognidis elegiis excerptas — ita ut capita singulatim praecipua ex eis exscriberentur — ex Platonis loco de Leg. VII, 810*E* Bergkius[1]) recte conclusit monuitque non multo post Isocratis aetatem saeculo a. Chr. n. fere tertio primum eiusmodi anthologias ortas esse. Quamquam complures paullatim excerptas fuisse collectiones Theognideas Plutarchi locus haudquaquam certo demonstrat, qui (de aud. poëtis cap. II p. 36) *τὰ δ' Ἐμπεδοκλέους*, inquit, *ἔπη καὶ Παρμενίδου, καὶ θηριακὰ Νικάνδρου, καὶ γνωμολογίαι Θεόγνιδος λόγοι εἰσὶ κεχρημένοι παρὰ ποιητικῆς, ὥσπερ ὄχημα, τὸν ὄγκον καὶ τὸ μέτρον, ἵνα τὸ πεζὸν διαφύγωσιν.* Quibus verbis non valde blanditum esse Plutarchum Theognidis poësi verbo monemus.[2]) *γνωμολογίαι* autem illud etiam de una sylloga dici potuisse non male monuit Nietzschius. — Neque tamen quod ad nostras quidem attinet collectiones veterum testimonia quicquam memoriae produnt. Plane enim alia forma atque condicione fuisse videntur, de quibus Plato l. l. verba facit, atque nostrae. In illis enim non fuerunt nisi elegiae ad Cyrnum, ad amicos conditae, carmina et didascalica et politica. Nostrae autem syllogae praeter ea complectuntur carmina convivalia potoria paedica, quae a Theognide, si quidem veterum scriptorum testimoniis fides habenda est, non profecta esse possunt. Atque Welckerus quidem omnia eiusmodi generis carmina ex Theognidis poësi expellenda esse censuit.

Quo autem modo factum est ut talia syllogis insererentur carmina? Nietzschium[3]) si audiveris, carmina Theognidea tunc

[1]) PLGr. II p. 566.

[2]) cfr. Nietzschii iudicium de hac re l. l. p. 182.

[3]) l. l. p. 179 sq. 185 sq.

in collectionibus exstantia ei, qui his legendis otium consumebat, adeo molesta videbantur, ut novam atque suo quidem iudicio emendatam syllogam conficeret. Videtur igitur Nietzschio adversarius quodammodo is qui denuo collegit fuisse Theognidi, in quo saepius parodiis cavillari studuerit. Atque adeo cum studeret (teste Nietzschio) Theognidem ita depingere, quasi fuisset homo voluptati obsequens, scilicet potator amator cinaedus, moribus laxissimis indulgens, vitiis denique omnibus eis instructus, quae dedecent adulescentiae praeceptorem, parodias collectioni inseruit eisque in unum conspectum collatis id egit, ut sententiarum praecepta iam auctoritate omni carerent atque in iocularem sensum detorquerentur. — Nec equidem infitior Theognidis carmina saepius parodiis esse circumscripta. Parodias enim ita tantum vim atque effectum habere constat, si notis versibus fingantur similes. Atque parodiarum [1]) lusus apud Graecos maxime floruisse et in conviviis potissimum materiam copiamque oblectationis praebuisse patet. Est autem horum iocorum proprium, ut ea potissimum carmina persequantur, quae praeceptorum modo expressas sententias contineant. Itaque parodias in Theognide, cuius poëtae laudem apud omnes, qui bonarum artium studiis oblectarentur, maximam fuisse constat, in primis, ut ita dicam, sedem collocasse non mirandum est.

Iam ut redeamus ad adversarium illum, quem infesto ductum consilio, ut Theognidis Musam deformaret, veris poëtae versibus immiscuisse parodias coniecit Nietzschius, haec coniectura parum mihi videtur esse probanda vel saltem artioribus circumscribenda finibus. Parodias enim illas eadem esse aetate ortas, qua poëta carmina condiderit conditisque apud omnes clarus fuerit, ex eo, quod supra de parodiis summatim iudicavimus, veri simile est. Itaque iam antiquitus collectiones Theognideas parodiis pertextas non ab eo demum qui nostram syllogam consarcinaverit profectas esse probabilius mihi videatur.[2]) Quamquam non plane negari potest etiam diu post

[1]) cfr. Welckerum p. LXXX.

[2]) Welckerus p. LX parodiarum agmen ex syllogis nostris segregavit. — v. d. Meyus in tertio commentationis supra laudatae cap.

poëtae Megarensis mortem eiusmodi parodias fictas esse posse ab eis qui huic poëtae libentius incumberent.

Utrum autem alia carminum genera iam legerint in Theognideis nostrarum syllogarum auctores potoria convivalia ad amorem denique puerorum spectantia, an primi ea inseruerint, subdifficilis est quaestio. Equidem suspicer quaedam eiusmodi carmina iam infuisse in illis collectionibus, quas nostrarum auctores compilaverint, atque hic illic inter gnomas hilarioris quoque ac potissimum convivalis poëseos exempla intermixta fuisse.

Neque tamen Iuliani et Cyrilli[1]) aetate in collectionibus Theognideis compluria eorum infuisse verisimile est, quae postea ex turbido quodam fonte in Musae Megarensis laetos hortos irruerunt eosque luto impleverunt. — Athenaei testimonio in hac re exploranda nescio an non multum sit tribuendum. Neque enim ipsis Theognideis syllogis videtur usus esse, sed versus illos Theognideos, de quibus verba facit, aut ex grammatico quodam aut ex Peripatetici cuiusdam libro de Ebrietate desumpsisse. Quamquam sic quoque Athenaei iam aetate aliena Theognideis intermixta fuisse elucet. — Proximus testis est Ioannes Stobaeus; ex cuius florilegio ea quae ad quaestionem nostram solvendam pertinerent, iam Bergkius[2]) scite composuit.

Atque Stobaeum quidem nullas alias syllogas habuisse cognitas nisi duas illas, ex quibus liber ‚primus' Theognideorum hodie constat, easque ipsas ad florilegium condendum usurpasse constat: nam primum Stobaeus versus nonnullos, quos Solonis esse certo scimus, et qui in nostris syllogis Theognideis leguntur, *Θεόγνιδος* lemmate insignitos exhibet. Tum et interpretationes et calami errores nonnulli ex librariorum licentia effecti eidem apud Stobaeum inveniuntur. Denique, quod summam Bergkiano iudicio addit probabilitatem, ver-

p. 28 sqq. maximam earum partem congessit singulis locis commentario auctis. Quamquam complures parodiarum numero adscribit, de quibus disceptari iure potest.

[1]) cfr. Nietzschium l. l. p. 173.

[2]) In Mus. Rh. Nov. III p. 396 sqq.

suum atque fragmentorum ordo in Stobaei florilegio plerumque congruit cum nostris syllogis. Ea autem disticha quae a Stobaeo Theognidi tribuuntur, sed in nostris syllogis non leguntur, vv. 1221—1226, in foliis quibusdam post eius aetatem ex codice deperditis exstitisse verisimile est. Syllogae enim prioris ultima folia, alterius prima folia nunc periisse supra p. 71 coniecimus.

Quodsi ea quae Iulianum et Cyrillum secuta est aetate nostras compositas esse syllogas exploravimus, per unius fere saeculi intervallum ab illorum aetate usque ad Stobaeum paullatim ad eam condicionem redigi potuerunt, qua nunc exaratas in codicibus invenimus. Utrum enim paullo post Athenaeum an paullo ante Stobaeum conditae sint, vix diiudicari potest. Multas sane et variationes et immutationes perversamque fortunam quin expertae sint, antequam in eum quo nunc inveniuntur statum redigerentur, dubitari nequit. Atque cum aliorum poëtarum fragmenta magis magisque syllogis insererentur, veluti Phocylidis[1]) Eueni Mimnermi aliorum, qui elegiis condendis olim laudem sibi comparaverant, genuina Theognidis carmina obscurabantur, neque postera aetas discernebat, quae Theognidi tribuenda essent, quae aliis poëtis. Neque enim quod praecepta Theognidis carminibus libidinosis miscebantur Mimnermi potissimum et aliorum, adversarii cuiusdam calamo ad poëtae Megarensis laudem atque gloriam diminuendam parati cum Nietzschio tribuerim. Ei scilicet qui collectiones adornaverunt, clarissimi cuiusque poëtae elegiaci carminum specimina congerere in animo habuerunt, et cum in fragmentis Theognideis quasi fundamentum ad eiusmodi collectionem exstruendam invenisse sibi viderentur, in haec aliorum poëtarum versus transtulerunt. Atque amatoria quidem carmina non ab ipso Theognide condita esse verisimile est. Quamquam Leutschius[2]) maximam eorum partem huic poëtae ipsi vindicandam esse existimat, quippe quia facile fieri po-

[1]) Recte fortasse suspicatur Rintelenus p. 34 ‚Theognidis Phocylidisque praecepta olim uno libello coacta esse atque antiquo iam tempore coaluisse.'

[2]) in Philol. XXX p. 228.

tuerit, ut poëta, cum summo animi ardore Cyrnum adamaret, etiam libidinosa ad hunc componeret carmina; nec secus Pindarum Theoxeni amore incensum se veluti ceram liquescentem fecisse in carminibus. Quae quamvis recte dicta sint, tamen cum universa antiquitas de eiusmodi libidinosis Theognidis sententiis non solum taceat sed affirmet etiam nulla huius generis in eius versibus infuisse, eorum quae in nostris collectionibus leguntur carminum amatoriorum Theognidem fuisse auctorem vix est probabile.

VII.

Singula porro fragmenta cur in eum quo in codicibus traduntur ordinem digesta essent, multum ac diu quaesivi, sed nullum fere inde fructum percepi. Perscrutatus enim sum eos locos, in quibus maxime aliorum poëtarum fragmenta Theognideis admixta esse constaret, si quid forte ex eis ad totius libri compositionem posset investigari; verum cum in quibusdam eiusmodi locis rationem aliquam cur inserta essent certam invenisse mihi viderer, alios prorsus operam meam elusisse libere profiteor.

Eis autem potissimum locis aliorum poëtarum fragmenta inserta esse crediderim, ubi ei, qui inseruerunt, cum genuinis Theognidis sententiis similes alius cuiusdam neque minus insignis poëtae conferri voluerint. Cuius rei exempla ea depromamus fragmenta, quorum certis testimoniis novimus Theognidem non fuisse auctorem. Multa enim in fragmentis Theognideis inesse, quae huic poëtae abiudicanda sint, cum inter viros doctos constet,[1]) tamen, cui quodque poëtae sit vindicandum, non semper certum fieri potest iudicium.

Veluti versibus 319—322 a Theognide conditis quattuor versus 315—318, quos Solonis esse constat (cfr. Bergkium ad Solonis eleg. fragm. XV), ideo sunt praemissi, quod in simili

[1]) Qua de re cfr. praecipue Bergkii adn. criticam ad Theogn. et v. d. Meyum in cap. IV; cfr. etiam Rinteleaum p. 48 sqq.

argumento versantur. In utroque enim fragmento virtutem praeferendam esse docetur divitiis, quae fluxae sint atque fragiles, cum illa valeat semper maneatque perpetua. Is vero qui hos versus adscripsit, cum efficere vellet sententiam absolutam et integram, priorem Solonis hexametrum a πολλοὶ γάρ incipientem levissime ita mutavit, ut pro γάρ substitueret τοί.[1])

Simili de causa videntur inserti esse vv. 585—590, qui cum Solonis eleg. fragm. XIII vv. 65—70 consentiunt: quadrant enim ad versuum et praecedentium et insequentium sententiam. Quo ex loco bene cognoscitur, qua syllogarum auctores licentia versus interdum tractaverint et immutaverint. Apud Solonem enim v. 65 legitur πᾶσι δέ τοι, apud Theognidem v. 585 πᾶσίν τοι, scilicet quia δέ illud, ne sententia per se absoluta efficeretur, impedivisset. Deinde pro verbis Solonis (v. 67) εὖ ἔρδειν et (v. 69) ἔρδοντι in Theognideis (v. 587) εὐδοκιμεῖν et (v. 589) ποιεῦντι exaratum est. Dubitari vix potest, quin ea quae apud Solonem exhibetur lectio quia est simplicior ideo magis genuina iudicanda sit. Respondent enim optime vocabula apud Solonem bis posita ἔρδειν et ἔρδοντι verbo ἔργμασιν v. 65 ab eadem radice derivato. Primum igitur grammaticus quidam, ut variaret, εὐδοκιμεῖν pro εὖ ἔρδειν in textum videtur recepisse, alius fortasse sententiae illustrandae causa ποιεῦντι pro ἔρδοντι in margine adscripsit, quae glossemata a prioris syllogae Theognideae auctore in textu servata sunt. Quod denique apud Solonem v. 69 δίδωσιν, apud Theognidem v. 589 τίθησιν exhibetur, id librariis tribuerim, qui vocabula illa sescenties inter se commutarunt.

Iam breviter si placet alium contemplemur locum. Post v. 718 enim, qui longius elegiae fragmentum claudit, quaedam aliorum poëtarum fragmenta inserta sunt. Sane vv. 719—728 Solonis (fragm. XXIV) sunt, eidemque poëtae summa cum probabilitate vv. 731—742 et vv. 743—752 tribuuntur.[2])

[1]) cfr. quae p. 74 ad vv. 367. 368 = 1182ab de particula δέ adnotavimus.

[2]) cfr. Bergkium ad hos versus.

Hi autem versus sententiam, quae in vv. 699—718 inest, uberius illustrant, totiusque loci (699—752) tamquam peroratio efficitur versibus 753—756 Theognidi vindicandis. Atque olim versus 753—756 cum versibus 699—718 arte fuisse coniunctos sententiamque, quae in vv. 699—718 inest, conclusisse apud me fere constat. Is autem qui collectionem adornavit ex alio poëta versibus quos apte conferret desumptis clausulam vv. 753—756 primum segregavit, deinde totum locum sententiis auctum et exornatum clausula illa finivit: *ταῦτα μαθών, φίλ' ἑταῖρε, κτλ.*

Hoc, quod de versibus 699—756 fecimus, iudicium unum quidem distichon versibus 729—730 expressum ad irritum redigere videtur. Quod cum ab universo illius loci sententiarum nexu alienum sit, nescio quo fato postea in textum aliunde receptum esse arbitror.

VIII.

Quorum denique hominum in usum syllogae nostrae excerptae sint, certo vix dici potest. Varias enim rationes secutos esse eos, qui in colligendis componendisque veterum poëtarum fragmentis operam collocaverunt, apertum est. Nam homines privatos qui litterarum studio delectarentur ad suum sibi quemque usum collectiones ex clarissimorum poëtarum carminibus aut ipsos comparasse aut aliis faciendas tradidisse iure conicias. Maxime autem in usum scholarum a grammaticis vel a ludorum magistris eiusmodi collectiones confectae sunt. Theognidis vero carmina maxime idonea erant, quae in hunc usum excerperentur. In Atticos quidem ludos Theognidis gnomologias non secus atque Hesiodi sententias, quae iam Pisistrati fortasse aetate ex Operibus et Diebus collectae instituendis pueris commendabantur, iam antiquitus receptas esse constat.[1]) At Nietzschius nostras syllogas minime idoneas fuisse contendit, quae in litterarum ludis proponerentur: ad talem enim usum carmina leviora et lasciva et indecora om-

[1]) Cfr. Aug. Steitzium ‚die Werke und Tage des Hesiodos' Lips. 1869 prooem.; cfr. etiam Plat. leg. VIII, 810 *E*.

nino non apta fuisse. Quamquam de hac re disceptari potest. Antiquitatis enim homines quin de hoc poëseos genere aliter senserint atque nostra aetas procul dubio est. Quin etiam quo probetur in litterarum ludos collectiones Theognideas olim receptas fuisse, argumento illo uti possis, quod collectionum illarum quaedam ad similium vocabulorum ordinem videantur fuisse compositae. Ut enim puerorum memoria in ediscendis carminibus nec ullo continuo ordine conscriptis nec aperto sententiarum nexu copulatis adiuvaretur, artificium illud filo quodam perpetuo singula coniungendi adhibitum esse suspiceris. Cuius miselli artificii vestigia nostras servasse syllogas et Welckeri et Nietzschii commentationes satis dilucide aperuerunt. Itaque quamquam nostrae collectiones ex archetypis, qui a grammaticis ad instituendos pueros conscripti olim fuerant, excerptae videntur, tamen ipsae, quas nunc habemus, utrum idem spectaverint an aliud nescio quid, vix coniciendo adsequi poterimus.

IX.

Postremo alterum elegiarum librum, qui in uno codice Mutinensi servatus est, brevissime contemplemur. Haec fragmentorum sylloga eo potissimum a priore libro discrepat, quod quamquam singula in eo fragmenta minus apte plerumque congesta sunt, omnia tamen in eodem fere argumento versantur, puerorum amore: ut hic liber *Μοῦσα παιδική* a Welckero non iniuria appellatus sit. Incipit autem a dei *Ἔρωτος* invocatione; in eis quae sequuntur fragmentis plurimis puero amato praecepta dantur amatoria, immixtis sententiis nonnullis de amore sollemnibus (cfr. e. g. 1275—1278) et elegiis ad Simonidem conditis; ad Cyrnum denique scripti sunt versus 1353—1356. Plerumque tamen non certae personae in carminibus appellantur, sed nullo exhibito nomine puer amatus verbis *ὦ παῖ*.

Singula huius libri fragmenta cum sententiarum nexu laxius inter se cohaereant, externo vocabulorum vinculo conexa ea esse demonstrare studuit Nietzschius. Neque tamen

causae a viro doctissimo allatae satis ad rem suam stabiliendam sufficiunt: diversis enim locis, quia verbum conectens desideraretur, aut fragmenta aut versus intercidisse coactus est statuere. Neque vero quid ex versibus de priore sylloga repetitis, quos in hac quoque collectione complures inveniri statim demonstrabo, auxilii petere possit ad iudicium suum confirmandum equidem video. Uno loco, quod sciam, post v. 1238 disticho repetito vocabulum illud copulativum inseritur. Quamquam hoc uno loco (ante v. 1239) vix dubitari potest quin distichon illud 1238[ab] non ideo sit repetitum ut verbum conectendi efficeretur, sed ut tota sententia, ad quam optime quadraret, expleretur. Qua de re supra egimus. Contra aliis locis, ubi versus ex libro priore petitos et huic libro insertos invenias, vocabulum conectens indagare nequivi. Praeterea contra sententiam Nietzschianam moneo, vocabula illa copulativa, quae ipse laudet, ut in fragmentis ad idem argumentum pertinentibus, semper fere eadem esse. Et profecto cum tabulam illam a Nietzschio[1]) propositam inspexeris, saepissime eadem vocabula a viro doctissimo usurpari ad rationem suam persequendam intelleges. Verba enim quae ad amorem pertinent, ut in tali sylloga fieri solet, ad taedium usque recurrunt.

Sed quo facilius huius libri repetitiones recenseas, summarium proponam versuum repetitorum:

	Versus qui	non variati	immutati	in codice	repetuntur, eidem sunt atque
	1151. 1152	1151. 1152		*A*	1238 a—b
	597. 598		597. 598	*A*	1243. 1244
	1101. 1102	1101. 1102		*A*	1278 a—b
* {	949. 950	949. 950		*A*	1278 c—d
* {	1107. 1108	1107. 1108		*A*	1318 a—b
	301. 302		301. 302	*A*	1353. 1354

Ex his duo quidem disticha, quae asterisco significavi, repetita esse primus docuit v. d. Meyus nova nuper codicis

[1]) cfr. Rintelenum p. 38 sqq.

Mutinensis collatione instituta. Tamen ut Nietzschio — is enim cum commentationem suam scriberet, illos versus repeti nondum compererat — satisfaciam: ne his quidem distichis repetitis viri doctissimi opinio confirmatur. Neque omnino eo uti licet in hac collectione argumento, quo in priore ad sententiarum ordinem declarandum Nietzschius usus est, olim eam fuisse similibus verbis pertextam. Nam siquidem prioris syllogae fragmenta similium vocabulorum ope quondam conexa vel potius conglutinata esse nobis videbantur ad memoriam puerorum adiuvandam, in hac minore sylloga eiusmodi adiumentum vanum fuisse apparet, quippe quam ad instituendos pueros a grammaticis umquam aut compositam aut adhibitam fuisse vix quisquam crediderit.

Iam vero quaeritur, quo modo haec collectio conflata sit. Atque v. d. Meyus ,eam partem elegiarum, quae *ἐλεγείων B'* inscribitur totam parodiis contineri' iudicat, eamque sententiam in tertio opusculi, quod supra nominavi, capite illustrat compositis eis versibus, in quibus parodiam sibi invenisse videtur. In idem iudicium abierat iam Welckerus, aliique viri docti in ea maxime re consentire videntur. Quamquam de quibusdam versibus utrum in parodiarum numero habendi sint necne, disceptari potest.[1]) Nam haud exigua pars versuum ad hanc rationem variatorum adeo inepte commutata et tam vili artificio condita est, ut parodiarum nomine parum digni uideantur. Recte igitur admonet Herwerdenus:[2]) ,non ridendi causa (nihil enim in istis nugis aut faceti aut ridiculi inest) illis usus esse mihi videtur (is, qui hunc libellum congessit), sed tum quo facilius ingenii sui sterilitati occurreret, tum etiam fortasse, ut ista pro genuinis venditaret popularibus suis.' Haec ipsa fragmentorum condicio cum satis demonstret ab ipso Theognide non omnia potuisse componi, Welckerus et cum eo v. d. Meyus audacius autumant ,ne unum quidem versum in eis reperiri ab ipso Megarensi poëta conditum.'

Sane e. g. versus 1235—1240, de quibus paullo ante[3])

---

[1]) cfr. Rintelenum p. 38 sqq.

[2]) cfr. van Herwerdenum p. 15.

[3]) vide p. 91.

disputavimus et alios nonnullos ipsius Theognidis manu esse effectos suspicamur. Tum parodiis non videntur accensendi ei versus huius libri, qui ab aliis poëtis conditi sunt. Solonis enim esse vv. 1253. 1254 et vv. 1255. 1256 cum Bergkio putaverim. Quamquam v. d. Meyus vv. 1253. 1254, quos Solonis esse non negat, ab epitomatore ita usurpatos esse conicit, ut insequentium versuum 1255. 1256 parodiam efficerent.[1]) Versuum porro 1345—1350 auctorem Euenum Parium maiorem fuisse opinatur Bergkius. Nietzschius vero eo progreditur, ut totam fragmentorum molem ex Mimnermi elegiis amatoriis petitam esse iudicet.

Excerpsisse igitur videtur is qui hunc libellum concinnavit ex poëtis qui pangendis carminibus amatoriis maxime floruerant, inprimis fortasse ex Mimnermo et Solone; compilavit corrasitque etiam versus parodicos, inseruit denique quae ab ipso confecta ingenii non tam acumine quam exilitate insignis speciem praeberent. Neque tamen genuina libelli hoc modo conflati forma et condicio exstare videtur. Lacunas enim in contextu complures hodie inesse viri docti consentiunt. Qua autem fieri potuit ratione, ut illa carminum amatoriorum sylloga a librario[2]) *ἐλεγείων Β'* inscriberetur? Cur is, qui codicem Mutinensem conscripsit, collectionem, quam minime Theognideam intelleximus, priori syllogae adiunxit? An lectorem fallere voluit? an ipse veris Theognidis fragmentis se uti persuasum habuit? Quae denique alia videtur fuisse causa?

Atque Nietzschius quidem huius syllogae auctorem iniquo atque infesto consilio Theognidis laudi gloriaeque obtrectare voluisse opinatur. Quod autem idem vir doctus priori quoque syllogae fragmenta leviora atque minus decora, ut poëtae Megarensis fama obscuraretur, inserta esse coniecit, eam con-

---

[1]) cf. Rintelenum p. 39.

[2]) Welckerus p. CII et cum eo Rintelenus p. 38, quia in alterius libri initio Theognidis nomen non sit repetitum, ,quamquam semper librariorum hic mos fuit, ut in novi libri initio auctoris nomen denuo collocarent,' totum hunc librum a Theognide alienum ducunt. Cui argumento, nisi alia adessent, sitne multum probabilitatis tribuendum valde dubito.

iecturam supra refutavimus. Neque magis ad hunc librum quadrare illa nobis videtur. Etenim Nictzschius ad opinionem suam stabiliendam in versibus, in quibus Simonidis (1349) et Cyrni (1354) nomina inveniuntur, ab illo ipso, qui de Theognidis gloria detrahere voluisset, pro veris quae infuissent nominibus infesto consilio falsa illa Cyrni et Simonidis interpolata esse coniecit. Cui sententiae, etsi plerisque viris doctis probata est, equidem non accedo. Suspicor enim librarium, cum illa Cyrni Simonidisque, quae iam in distichis illis inerant, nomina invenisset, ea ipsa re perductum esse, ut syllogam quamvis a Theognideis alienam statim primo postponeret libro. Illud quoque mirum est, quod in uno codice Mutinonsi haec exarata est sylloga. Librarius igitur qui hunc codicem conscripsit, utrum in codice archetypo collectiones illas iam coniunctas invenerit, an ipse primus consuerit, difficilis est quaestio.

Athenaei quidem aetate sub Theognidis nomine eiusmodi collectionem non esse circumlatam veri simile est vel adeo constat. Neque magis Stobaeus, cum quinto saeculo scriberet, hanc collectionem aut novisse aut ante oculos videtur habuisse: sane nullus locus eorum, qui in ‚Musa puerili' exstant, a scriptore illo in florilegium receptus est. In eis enim anthologiae capitibus, quae inscribuntur (Stob. flor. vol. II p. 368 Mein.) *περὶ Ἀφροδίτης πανδήμου παρεχούσης τὴν αἰτίαν τῆς γενέσεως τοῖς ἀνθρώποις, καὶ περὶ Ἔρωτος τῶν κατὰ τὸ σῶμα ἡδονῶν,* et (flor. II p. 384) *ψόγος Ἀφροδίτης, καὶ ὅτι φαῦλον ὁ Ἔρως καὶ πόσων εἴη κακῶν γεγονὼς αἴτιος,* nullus versus Theognidis nomine insignitus excussus est, quamvis bene, ut hoc exemplo utar, ‚Musae puerilis' exordium *Σχέτλι' Ἔρως κτλ.* in collectionem Stobaeensem quadrasset. Fontem uberrimum, ex quo hauriret, si quidem novisset, non repudiaturum fuisse florilegii auctorem facile mihi concedes.

Denique videamus de Suida, qui medio fere saeculo decimo lexicum compilavit. Is ubi de Theognidea poësi agit, ipse fontis quo utebatur verba auxisse his verbis videtur: *ὅτι μὲν παραινέσεις ἔγραψε Θέογνις· ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων παρεσπαρμέναι μιαρίαι καὶ παιδικοὶ ἔρωτες καὶ ἄλλα, ὅσα ὁ ἐνάρετος ἀποστρέφεται βίος,* quae a Suida ipso profecta esse

Nietzschius[1]) docuit, Bernhardyus[2]) a pio quodam lectore addita et ex glossemate in hunc locum translata esse arbitratus est. Inde intellegitur Suidae alterum elegiarum librum non post priorem positum apparuisse in fine omnium Theognideorum (cfr. *ἐν μέσῳ τούτων*).

Unde tamen censes Suidam ea quae de *μιαρίαις* et *παιδικοῖς ἔρωσι* dixit, sumpsisse nisi ex ipso libro altero? Suidas igitur librum alterum videtur novisse, sed legit fortasse potius aut inter duas illas syllogas, ex quibus librum priorem consutum esse docuimus, collocatum, aut — id quod probabilius videtur — inter Theognidis librum priorem et Pseudophocylidea:[3]) nam etiam in codice Mutinensi hoc sese ordine excipiunt hi libri: liber Theognideorum prior, liber Theognideorum alter, Pseudophocylidea. Fortasse igitur sive Suidas sive alius Byzantinus nescio quis, qui illa *ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων κτλ.* scripsit, et eas sententias, quae libro Theognideorum priore continentur, et eas, ex quibus Pseudophocylidea constant, *παραινέσεις* Theognidis esse opinabatur, quas cum in codice, quo utebatur (eundem cum Mutinensi carminum ordinem exhibente), interruptas esse vidisset ‚Musa paedica' (i. e. libro Theognideorum altero), ad eam delatus est suspicionem, quam expressit verbis *ἀλλ' ἐν μέσῳ τούτων . . . μιαρίαι κτλ.* Atque similia, nisi me deserit memoria, in scholis coniecit Guilelmus Studemundus.

---

[1]) Mus. Rhen. Nov. vol. XXII p. 189.

[2]) Griech. Litteraturgesch. II, 1[3] p. 532.

[3]) cfr. p. 86 adn. 1.

Lipsiae typis Poeschelii et Treptij.

DE ORDINE RERUM
A PUGNA APUD AEGOSPOTAMOS COMMISSA
USQUE AD TRIGINTA VIROS INSTITUTOS
GESTARUM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

HERMANNUS LUCKENBACH

RHENANUS

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXVIII.

RVDOLFO SCHOELLIO

PIO GRATOQVE ANIMO

D. D. D.

Cum paucorum scriptorum veterum de rebus Athenis post pugnam apud Aegospotamos commissam gestis memoria ad nostra tempora pervenerit eidemque in rebus ex temporum ordine disponendis saepius miro modo inter se differant, viri docti, qui nuper historiam illius aetatis pertexuerunt, alii alio modo rerum eo tempore gestarum ordinem exponunt. Qua de causa operae pretium videtur ea, quae controversiae obnoxia sunt, denuo tractare.

Ac nobis de eis rebus quaesituris inprimis comparanda sunt quae tradita sunt a Xenophonte et Lysia, quos aequales illis temporibus Athenis versatos esse constat. Quodsi Xenophontem (H. G. II, 2), rerum auctorem gravissimum, primum sequimur, series rerum talis informanda: Pugna apud Aegospotamos commissa Lysander complures urbes insulasque in potestatem suam redegit, captos Athenienses Athenas dimisit, urbem cum vi ac impetu expugnare non posset, se fame capturum esse ratus eo prius, quo plures in urbe essent (§ 2). Interea cum Athenienses quam maxime possent se ad hostem propulsandum paravissent (§ 4), Pausanias et Agis, reges Lacedaemoniorum, cum copiis pedestribus urbem oppugnaverunt (§ 8), Lysander ipse mari contra eandem profectus est (§ 9), ut undique inclusam se tradere cogerent. Nec eos spes fefellit. Nam, quamquam initio nulla mentio deditionis fiebat, tamen, cum cotidie multi fame morerentur, cum Agide, rege altero Lacedaemoniorum, de pace ita egerunt, ut muros et Piraeum tenerent Lacedaemoniisque socii fierent (§ 11). Sed legati ab Agide Spartam proficisci iussi mox e Peloponneso quoque re infecta redierunt, cum Spartam ipsam intrare prohiberentur ab ephoris, qui pacem fore negabant, nisi murorum maxima pars dirueretur (§ 12—13). Qua

re quamvis vehementer afflicti Athenienses alienique ab omni spe, muros tamen ut dirui paterentur, animum inducere non potuerunt; quin etiam Archestratum, qui Lacedaemoniis cedendum esse pronuntiaverat, in carcerem coniecerunt (§ 15). Tum Theramenes populum movit, ut ipsum mitterent ad Lysandrum, a quo, quid molirentur Lacedaemonii, comperire posset. Sed per tres menses et quod excedit apud Lysandrum commoratus est Theramenes, quippe cui persuasum esset, fame magis magisque crescente extrema quoque spe salutis orbatos Athenienses quasvis condiciones pacis accepturos esse (§ 16). Tandem cum revertisset, a Lysandro se variis dilationibus detentum, denique certiorem factum esse dixit, penes illum non esse arbitrium pacis concedendae, sed penes ephoros. Qua re nuntiata Athenienses Theramenem cum novem legatis Spartam miserunt ita, ut eis pacis concludendae potestatem facerent (§ 17). Qui cum Spartam venissent, contio de sorte Atheniensium habita est, in qua Corinthii, Thebani, multi alii Graeci urbem delendam esse et incolas sub corona vendendos censuerunt (§ 19), Lacedaemoniis autem resistentibus gravissimae illae condiciones statutae sunt, de quibus non est quod plura dicam (§ 20). Quae condiciones cum postridie quam Athenas redierant legati acciperentur, quoniam propter extremam inopiam nulla mora fieri poterat [1]), Lysander in Piraeum cum classe invectus est et exules reduxit et muros summo cum gaudio sociorum inter cantum tibiarum diruit (§ 21—23). Postero anno populus triginta viros instituit, quo facto Agis exercitum dimittit, Lysander ad Samum oppugnandam avehitur (c. 3, 1—3).

Iam comparemus haec cum eis, quae a Lysia tradita sunt in oratione contra Agoratum habita (XIII, 5—43).

Paullo igitur, si illum sequimur, post pugnam apud Aegos flumen factam naves Lacedaemoniorum contra urbem vectae sunt eodemque fere tempore cum Lacedaemoniis de pace agi coeptum est. Optimates autem illud tempus idoneum puta-

[1]) *οὐ γὰρ ἔτι ἐνεχώρει μέλλειν διὰ τὸ πλῆθος τῶν ἀπολλυμένων τῷ λιμῷ.*

bant, quo ipsi consilia sua perficerent remque publicam everterent, et, cum illos qui populi causam agerent, praesertim strategos et taxiarchos, sibi maximo impedimento fore intellegerent, omni modo eos perdere conati sunt. Itaque cum prima de pace contio haberetur legatique Lacedaemone reversi nuntiarent, ea condicione Lacedaemonios pacem compondituros esse, ut muri longi excepta minima parte diruerentur[1]), Theramenes surrexit et, si suo arbitrio omnia permitterent, se perfecturum esse pollicitus est, ut neque muri diruerentur neque aliud quid gravius paterentur Athenienses. Idem tamen arbitratu suo de pace agere iussus cum Lacedaemonem venisset, ibi diu (*πολὺν χρόνον*) commoratus est non ignorans Athenienses quamvis ignominiosam pacem accepturos esse, cum fame extrema premerentur. Interea Athenis Cleophon homo popularis captus est et interemptus auctoribus eis, qui rerum evertendarum cupidi erant. Therameni reduci, cum eas pacis condiciones referret, quibus postea Athenae maxime debilitatae sunt, obviam venerunt nonnulli strategi et taxiarchi, inter quos Strombichides et Dionysodorus, pauci etiam alii cives, qui omnes maxima ira incensi talem pacem accipere nolebant, qua fore ut respublica libera everteretur, non nesciebant; contra se ipsos perfecturos esse sperabant, ut Lacedaemonii aequiorem pacem proponerent. Et sane — addit Lysias — perfecissent, nisi Agorato auctore antea interissent. Itaque eos Theramenes sociique cum viderent sibi maximas difficultates praebituros esse, p r i u s q u a m d e p a c e a g e r e t u r, e medio tollere conati sunt (§ 5—17). Iam quomodo quae volebant perfecerint per Theocritum et Agoratum, multis verbis exponit Lysias (§ 18—31). Postquam autem duces illi et viri populares contione Munichiae habita accusati sunt et in carcerem coniecti, tum quidem Lysander in portum invectus est et naves Lacedaemoniis traditae et triginta viri instituti, a quibus postea illi viri populares supplicio affecti sunt (§ 32—34. 43).

---

[1]) *εἰ κατασκαφείη τῶν τειχῶν τῶν μακρῶν ἐπὶ δέκα στάδια ἑκατέρου* (§ 8). cf. Xen. H. G. II, 2, 15 *προὐκαλοῦντο δὲ τῶν μακρῶν τειχῶν ἐπὶ δέκα σταδίους καθελεῖν ἑκατέρου.*

Addamus, quae Lysias in oratione contra Eratosthenem habita (XII, 43—47. 68—76) refert, ubi res exponit hoc ordine: Post illam gravissimam cladem optimates coniurati (*οἱ καλούμενοι ἑταῖροι*) quinque ephoros instituerunt, qui omni industria rem publicam evertere studerent (§ 43—47). Eodem fere tempore Theramenes urbem se servaturum esse pollicitus suo arbitrio cum Lacedaemoniis agere iussus est, sed tantum afuit, ut fidem praestaret, ut patriam turpissime proderet Lacedaemoniisque gravissimas imponendi condiciones auctor fieret. Denique contionem prius fieri non passus est, quam tempus adesset cum hostibus constitutum, quo intermisso Lysandrum Samo arcessivit. Eo praesente contio de re publica habita est, qua triginta viri sunt instituti (§ 68—76).

Iam vero videamus, quatenus hi duo testes inter se dissentiant. Qui cum multa eodem modo referant, tum discrepantiae comparent minime negandae. Ac primum quidem, ut alia quae ab alterutro tantum commemorantur omittamus, apud Xenophontem bis legatus mittitur Theramenes, prius ad Lysandrum, deinde cum novem aliis ad Lacedaemonios, cum Lysias de una tantum ad Lacedaemonios legatione Theramenis loquatur. Deinde postridie quam redierat Theramenes Lacedaemone, pacis condiciones acceptas esse Xenophon narrat (II, 2, 22), cum apud Lysiam (XIII, 17 sq.) Theramene reduce, priusquam de pace ageretur, Athenis longum temporis spatium intercessisse inveniamus, quo ei, qui dominatum paucorum affectabant, insidias viris popularibus parabant. Denique Xenophon (II, 3, 3) triginta viris institutis ad Samum oppugnandam Lysandrum avectum esse, contra Lysias (XII, 71) iam antea Samum oppugnatam esse narrat, unde Lysander ad triginta viros instituendos a Theramene arcessitus sit.

Quas ad discrepantias inter se conciliandas alii aliam viam ingressi sunt. Quaeramus igitur, quid verisimillimum videatur; nam rem ita tractare, ut omnis dubitatio tollatur, nec potuit quisquam nec ipse postero.

Atque, ut solvamus primum quaestionem difficillimam, quo tempore viris popularibus a Theocrito et Agorato insidiae paratae sint, tres sunt potissimum sententiae, examinandae

virorum doctorum: Rauchensteinii, Scheibii, Grotii. Nam de Blassio[1]) loqui, qui Thirlwallium secutus eodem die et viros populares comprehensos et pacem conclusam esse censet, supersedeo, cum a Rennero[2]) optime redargutus sit.

I.

Exordiamur igitur a Rauchensteinii[3]) sententia, qui cum auctore Lysia illos viros ante pacem factam captos esse sibi persuadeat, rerum ordinem hoc modo constituit: Postridie eius diei, quo Theramenes Sparta redierat, contio de pace quidem habita, accepta vero non est pax, cum viri populares resisterent. Qui primum e medio tollendi erant. Quod cum contione Munichiae habita esset factum, mox altera contione de pace instituta condiciones acceptae sunt.

Quod si verum esset, sequeretur erratum esse a Xenophonte, qui die post reditum Theramenis pacem acceptam esse narrat. Atqui id ipsum, pacem statim acceptam esse, verisimillimum est, cum iam tum fame magis magisque crescente ad extremum redacti essent Athenienses, ut nulla cunctatio fieri posset. Namque licet sane pauci restiterint, ut Xenophon narrat (II, 2, 22 *ἀντειπόντων δέ τινων αὐτῷ*), plebs certe ad pacem ita inclinabat, ut quaecumque vellent Lacedaemonii pateretur.

Sed ne cum Lysia quidem consentit Rauchensteinius. Quod enim alteram, qua acceptam pacem dicit, contionem intellegit, ne potuisse quidem iam semel in contione de ea re actum esse Lysiae narratio satis ostendit. Nam cum de duabus contionibus omnino non loquitur, tum eum de una tantum compertum habuisse indicant verba quae leguntur XIII, 17 *γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐπιβουλεύοντες*

---

[1]) Fr. Blass *Geschichte der attischen Beredsamkeit*, Leipzig 1868, I. p. 556 adn.

[2]) Ch. Renner commentationum Lysiacarum capita duo, Gottingae 1869, p. 15. 16.

[3]) Rauchenstein *Neues Schweizerisches Museum* VI. p. 267—277.

ὑμῖν, ὅτι εἰσί τινες οἳ κωλύσουσι τὸν δῆμον καταλυθῆναι καὶ ἐναντιώσονται ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας, εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι, ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀντιλέγοι. Nam si in contione illi iam restitissent, quomodo Lysias dicere poterat *οἳ κωλύσουσι καὶ ἐναντιώσονται* et *πρὶν τὴν ἐκκλησίαν .... γενέσθαι?* Haec verba unam solum contionem de pace habitam esse clarissime docent. Itaque nec Xenophon nec Lysias duas de pace contiones novit, ut Rauchensteinii sententia Lysiam et Xenophontem, quorum narrationes per se utraque spectata nullam praebent suspicionem, ita conectentis, ut cum neutro non dissentiat, omnino improbanda sit.

II.

Aliter res sibi informavit Scheibius[1]), quem secuti sunt Curtius[2]), Rennerus, alii: qui omnes secundum Xenophontem pacem quidem die post reditum legatorum acceptam esse statuunt: ut autem Xenophonti Lysias non obstet, tempus quo pax accepta sit accuratissime dirimendum esse censent ab eo tempore, quo pacis condiciones expletae sint. Itaque pace accepta Lysandrum Athenas vectum naves murosque sibi curavisse tradenda putant, eundem tamen condiciones non statim exsecutum esse, sed exsequendas ipsis Atheniensibus per longius spatium temporis imperasse. Quo facto ipsum ad Samum oppugnandam profectum esse, Athenis vero viris popularibus, cum exsequendis pacis condicionibus evertendoque imperio populari resisterent, insidias structas esse; quibus in vincula coniectis Lysandrum ab optimatibus vel a Theramene solo revocatum rursus Athenas venisse Athenienses que, quod condiciones non exsecuti essent, accusantem muros diruendos navesque comburendas concinentibus tibicinibus summo cum gaudio sociorum curasse, denique contione convocata, ut tri-

[1]) Scheibe *die oligarchische Umwälzung zu Athen,* Leipzig 1841, p. 33—57, 163—166.

[2]) *Griechische Geschichte* II[4]. p. 785—790.

ginta viri instituerentur, Lacedaemoniorum auctoritate perfecisse.

Atqui haec qui contendunt, eos omnino recedere a Lysia comprobabo. Primum enim res ita ordinandas esse censent, ut pacis iam conclusae condicionibus perficiendis viri populares restiterint. Attamen vix credibile videtur, cum iam Spartae contio Lacedaemoniorum sociorumque fuisset, qua Thebani Athenas delendas esse censuerant, Lacedaemoniis autem resistentibus mitior pax data erat Atheniensibus, tum Lacedaemonios novas easque meliores pacis condiciones concessuros fuisse. Neque duces ipsi tale quid sperare poterant nec Lysias eos, nisi antea perissent, meliorem pacem nacturos fuisse aut sibi aut aliis persuadere poterat (XIII, 16). Rennerus quidem (p. 17) etiam tum fortasse illos urbi patriae melius quiddam assequi potuisse censet suamque sententiam his verbis comprobare conatur: „Atheniensibus ut supra dictum permissum erat, ut pacis conditiones exsequerentur. Iam optimates, quibus multo majori curae quam Lysandro ipsi fuisse ut pacis conditiones acerbissimae perficerentur et imperium populare everteretur, Grotius recte intellexit, primum quidem homines illos populares e medio sustulerunt ac tum quidem Lysandrum, ut consilia sua adjuvaret, a Samo arcessiverunt. Quibus suadentibus et in omnibus rebus morem gerentibus eum audaciorem et ad perficienda quaeque propensiorem factum esse quis neget? Praeterea autem meminerimus discidia illa, quae postea inter Lacedaemoniorum reges et Lysandrum et de rebus internis et de Atheniensibus exstiterunt jam tum initium cepisse videri (cf. Plut. Lys. c. XIV). Si igitur accipiamus, duces illos captos non esse, immo auctoritate, qua fruebantur, usos optimatum consilia per aliquod tempus coercuisse ac postea fortasse cum Spartanorum regibus egisse, nonne multa prorsus aliter evadere potuisse apparet? nonne ea ratione, qua omnibus fere temporibus interdum acciderit, ut ea, quae inter partes convenerant, non omnia accurate conficerentur, etiam hac in re facile fieri potuit?“ Sed his verbis minime mihi persuadetur, eos pacem meliorem nacturos fuisse, praesertim cum apud Plutarchum nihil inveniatur, quod

indicet iam tum discidia illa inter Lacedaemoniorum reges et Lysandrum initium cepisse, quae mea sententia Lysandro Spartam reverso demum exorta sunt. Itaque hoc tenendum esse censeo, nec pace semel accepta ullo modo futurum fuisse, ut lenirentur condiciones, nec de leniendis sanae mentis hominem cogitare potuisse.

Praeterea tali rationi rerum ordinandarum verba ipsa Lysiae obstant. E verbis enim *οὐκ ἔφασαν ἐπιτρέψειν ταῦτα γενέσθαι .... οὐδ', ὥς φασί τινες, οὐκ ἐπιθυμοῦντες εἰρήνην γίγνεσθαι, ἀλλὰ βουλόμενοι βελτίω ταύτης εἰρήνην ποιήσασθαι· ἐνόμιζον δὲ δυνήσεσθαι καὶ ἔπραξαν ἂν ταῦτα, εἰ μὴ ὑπ' Ἀγοράτου τουτουῒ ἀπώλοντο* (XIII, 15, 16) satis elucet eo tempore nondum pacem factam fuisse, cum id ipsum prohibere studerent, quominus pax concluderetur. Rennerus quidem p. 16, ne haec verba obstent, ita expedit rem, ut verba *οὐκ ἔφασαν* usque ad *εἰρήνην ποιήσασθαι* ad sermones Theramene reverso habitas, in quibus Lacedaemonios ipsos antea meliorem pacem proposuisse recordarentur, referat, verbis inde sequentibus quae post pacem acceptam illi moliti essent — ac facile perfecturi fuissent — indicari censeat. At vereor, ne Rennerus Lysiae verba non tam interpretetur quam ad alienam sententiam detrahat. Quoniam enim ne uno quidem verbo pacem conclusam esse commemorat Lysias, Rennerus si iudicio integro ac libero usus esset, vix posteriora verba ad tempus post pacem acceptam rettulisset.

Quod autem gravissimum est, verbis sequentibus *γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐπιβουλεύοντες ὑμῖν .... εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι* (XIII, 17) Lysias aperte dicit, viros populares ante pacem acceptam captos esse, cum illi post pacem acceptam id factum velint.

Nam Scheibio (p. 165) nulla fides habenda, qui hanc contionem de pace habitam non diversam putat esse ab illa *περὶ τῆς πολιτείας* habita, quae iam praesente Lysandro ad triginta viros instituendos convocata est (XII, 72). Quae opinio satis mira eo nititur, quod de eadem contione intellegit

Lysiam referre verbis his XIII, 17 *εἵλοντο, πρὶν τὴν ἐκκλησίαν τὴν περὶ τῆς εἰρήνης γενέσθαι, τούτους πρῶτον εἰς διαβολὰς καὶ κινδύνους καταστῆσαι, ἵνα μηδεὶς ἐκεῖ ὑπὲρ τοῦ ὑμετέρου πλήθους ἀντιλέγοι* et verbis his XII, 72 *τότε δὲ παρόντων Λυσάνδρου καὶ Φιλοχάρους καὶ Μιλτιάδου περὶ τῆς πολιτείας τὴν ἐκκλησίαν ἐποίουν, ἵνα μήτε ῥήτωρ αὐτοῖς μηδεὶς ἐναντιοῖτο μηδὲ διαπειλοῖτο κτλ.* Nimirum in utraque oratione fere eisdem verbis dici proditores patriae id studuisse, ne quis sibi resisteret, qua ex re concludendum esse, unam eandemque contionem alio loco aliter nominatam esse. Sed haec conclusio audacior certe quam verior est. Nam primum nunquam Scheibius ostendit, quo iure Lysias contionem eandem modo de pace modo de re publica habitam esse dicat. Quo tempore enim pax accepta erat murique deleti navesque traditae, eo tempore denuo de pace non deliberatum est. Nec haerendum est in ea re, quod forte Lysias similibus verbis utitur in eis orationibus, quae, cum altera altero tempore habitae sint, nec ad eandem causam spectant nec inter se ab oratore conexae sunt. Duobus igitur locis cum in optimatium consiliis exponendis similia narrentur, facile similia quoque verba adhibentur. Itaque XIII, 17 refert Lysias insidias ab optimatibus structas esse contra viros populares, ne quis in contione de pace convocanda sibi impedimento foret, in altera, Lysandrum a Theramene Samo arcessitum esse, ne quis illo praesente rei publicae evertendae resisteret. Re vera autem fuisse qui et pacem fieri et triginta viros institui noluerint, Lysia, Xenophonte, Plutarcho, Diodoro [1]) auctoribus elucet. Quae cum ita sint, apparet contionem *περὶ τῆς εἰρήνης* nominatam diversam esse a contione XII, 72 com-

[1]) Xen. H. G. II, 2, 22 *ἀντειπόντων δέ τινων αὐτῷ* (sc. Therameni), *πολὺ δὲ πλειόνων συνεπαινεσάντων ἔδοξε δέχεσθαι τὴν εἰρήνην.* Plutarchus Lys. XIV Cleomenem unum ex demagogis Therameni pacem suadenti restitisse narrat.

Plut. Lys. XV *ἐβούλευσεν* (sc. *Λύσανδρος*) *εὐθὺς καὶ τὴν πολιτείαν μεταστῆσαι. Δυσπειθῶς δὲ καὶ τραχέως ἀντειπόντων* (sc. *τῶν Ἀθηναίων*) . . . . Lys. XII, 73 *ὑμεῖς δὲ ἐθορυβεῖτε ὡς οὐ ποιήσοντες ταῦτα.* Diod. XIV, 3, 6.

memorata. Ideo etiam, qui ceteris in rebus Scheibium secuntur, verba *περὶ τῆς εἰρήνης* aliter interpretati sunt.

Ac Westermannus[1]) pro verbis *περὶ τῆς εἰρήνης*, quippe quae repugnent ipsius sententiae, scribendum esse censet *περὶ τῆς πολιτείας* depravationemque socordiae librarii cuiusdam imputandam censet. „Nam pacis, inquit, vocabulum inde a § 5 identidem decantatum facile credi potest tali homini tam firmiter in auribus ac memoria haesisse, ut hoc quoque loco, ubi aliud agitur, invitus quasi et inscius reponeret.“ Non multum a Westermanno discedit Frohbergerus[2]), qui cum sibi non persuadeat verba *περὶ τῆς πολιτείας* in *περὶ τῆς εἰρήνης* depravata esse, haec interpolatori tribuenda esse censet, qui cum antea multa de pace legisset, ut oratio perfecta atque absoluta evaderet, ea adiecerit. Frohbergero prorsus adstipulatur Rennerus (p. 16. 17).

At eorum sententia, qui ita huic rei difficillimae lucem afferre volunt, ut aut mutentur aut deleantur verba quaedam ceteroqui omni suspicione vacua, plane reicienda est.

Sed priusquam his de verbis plura loquamur, virorum popularium consiliis omissis ad ea quae post pacem acceptam facta sunt, transeamus. Atque, ut iam vidimus, Scheibius quique eum secuti sunt, pace accepta Lysandrum Atheniensibus muros deiciendos tradidisse censent, ipsum Samum avectum esse indeque viris popularibus in carcerem coniectis Athenas redisse et tum demum naves comburendas curavisse murosque diruendos, cum Athenienses officio defuissent.[3])

Iam his quoque in rebus ordinandis eos erravisse comprobabimus. Qua in re ex parte uti licet eis, quae Stedefeldtus[4]) exposuit. Quamquam de navium combustarum tempore quae Stedefeldtus p. 12 disputavit omitto referre, cum omnino naves non esse combustas infra probaturus sim.

---

[1]) Westermann quaestiones Lysiacae, Lipsiae 1860, I. p. 4—5.

[2]) Frohberger *ausgewählte Reden des Lysias*, Leipzig 1866, I. p. 18. adn. ad XIII, 17. cf. ed. min. 1875 p. 94.

[3]) Ut hunc rerum ordinem instituerent, moti sunt ni fallor Lysiae or. XIII, 34.

[4]) H. Stedefeldt de Lysandri Plutarchei fontibus Bonnae 1867, p. 13.

Quid autem in causa fuerit, cur non extemplo pace facta muros diruerit Lysander, explicari non posse recte vidit Stedefeldtus, qui ut comprobaret statim pace conclusa Lysandrum muros deiecisse, hac argumentatione usus est: „Quamdiu illi muros haberent, quibus se defenderent, nonne fieri potuit, ut belli felicius renovandi spem conciperent! Sane quin iterum devincerentur, vix dubium erat, sed certe nisi hominibus, pecunia, tempore insumptis id peragi nequiit, atque omnino quis putaverit tantum unquam fortunae dedisse ducem sapientem!“ Contra quae Rennerus disputans p. 11 commemorat et ab Atheniensibus Lysandrum obsides accepisse et eo iam tempore optimatium factionem Lacedaemoniis studuisse: omnino autem tantam omnium rerum inopiam et magnitudinem calamitatis tum fuisse censet, ut nihil periculosi habuerit, quod Lysander pacis condicionum partem non exsecutus Athenis discesserit. Quibus Curtius[1]) addit, ex Thucydide (V, 26 *τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον*) in Piraeo praesidium posuisse Lacedaemonios videri; praeterea nondum Agidem Deceleis praesidium abduxisse, sed cum triginta viri instituerentur, contra urbem profectum esse (Lys. XII, 71), quo demum facto exercitum dimisisse eum Spartamque redisse (Xen. H. G. II, 3, 3).

Fac autem Rennerus et Curtius recte ita iudicaverint, tamen causa, cur non statim Lysander condiciones exsecutus sit, desideratur. Neque enim quidquam valet, quod Rennerus p. 12 his verbis affert: „Neque vero caussae, propter quas infecta, ut videatur, re discesserit, desunt. Notum enim, Spartanos hostibus debellatis rem ita instituere solitos esse, ut sua sponte se subjicere viderentur pacisque conditiones ipsi exsequerentur.“ Bello enim Peloponnesiaco confecto quis Athenienses se sua sponte subiecisse murosque ipsos ultro delevisse navesque Lacedaemoniis tradidisse putaverit? Ac ne Curtii quidem verba mihi sufficiunt: nam quod nos morum ratione Lysandri habita scire non posse censet, quae clandestina consilia de classe et muris Athena-

---

[1]) II[4] p. 840 adn. 212.

Addamus, quae Lysias in oratione contra Eratosthenem habita (XII, 43—47. 68—76) refert, ubi res exponit hoc ordine: Post illam gravissimam cladem optimates coniurati (οἱ καλούμενοι ἑταῖροι) quinque ephoros instituerunt, qui omni industria rem publicam evertere studerent (§ 43—47). Eodem fere tempore Theramenes urbem se servaturum esse pollicitus suo arbitrio cum Lacedaemoniis agere iussus est, sed tantum afuit, ut fidem praestaret, ut patriam turpissime proderet Lacedaemoniisque gravissimas imponendi condiciones auctor fieret. Denique contionem prius fieri non passus est, quam tempus adesset cum hostibus constitutum, quo intermisso Lysandrum Samo arcessivit. Eo praesente contio de re publica habita est, qua triginta viri sunt instituti (§ 68—76).

Iam vero videamus, quatenus hi duo testes inter se dissentiant. Qui cum multa eodem modo referant, tum discrepantiae comparent minime negandae. Ac primum quidem, ut alia quae ab alterutro tantum commemorantur omittamus, apud Xenophontem bis legatus mittitur Theramenes, prius ad Lysandrum, deinde cum novem aliis ad Lacedaemonios, cum Lysias de una tantum ad Lacedaemonios legatione Theramenis loquatur. Deinde postridie quam redierat Theramenes Lacedaemone, pacis condiciones acceptas esse Xenophon narrat (II, 2, 22), cum apud Lysiam (XIII, 17 sq.) Theramene reduce, priusquam de pace ageretur, Athenis longum temporis spatium intercessisse inveniamus, quo ei, qui dominatum paucorum affectabant, insidias viris popularibus parabant. Denique Xenophon (II, 3, 3) triginta viris institutis ad Samum oppugnandam Lysandrum avectum esse, contra Lysias (XII, 71) iam antea Samum oppugnatam esse narrat, unde Lysander ad triginta viros instituendos a Theramene arcessitus sit.

Quas ad discrepantias inter se conciliandas alii aliam viam ingressi sunt. Quaeramus igitur, quid verisimillimum videatur; nam rem ita tractare, ut omnis dubitatio tollatur, nec potuit quisquam nec ipse postero.

Atque, ut solvamus primum quaestionem difficillimam, quo tempore viris popularibus a Theocrito et Agorato insidiae paratae sint, tres sunt potissimum sententiae, examinandae

virorum doctorum: Rauchensteinii, Scheibii, Grotii. Nam de Blassio[1]) loqui, qui Thirlwallium secutus eodem die et viros populares comprehensos et pacem conclusam esse censet, supersedeo, cum a Rennero[2]) optime redargutus sit.

I.

Exordiamur igitur a Rauchensteinii[3]) sententia, qui cum auctore Lysia illos viros ante pacem factam captos esse sibi persuadeat, rerum ordinem hoc modo constituit: Postridie eius diei, quo Theramenes Sparta redierat, contio de pace quidem habita, accepta vero non est pax, cum viri populares resisterent. Qui primum e medio tollendi erant. Quod cum contione Munichiae habita esset factum, mox altera contione de pace instituta condiciones acceptae sunt.

Quod si verum esset, sequeretur erratum esse a Xenophonte, qui die post reditum Theramenis pacem acceptam esse narrat. Atqui id ipsum, pacem statim acceptam esse, verisimillimum est, cum iam tum fame magis magisque crescente ad extremum redacti essent Athenienses, ut nulla cunctatio fieri posset. Namque licet sane pauci restiterint, ut Xenophon narrat (II, 2, 22 *ἀντειπόντων δέ τινων αὐτῷ*), plebs certe ad pacem ita inclinabat, ut quaecumque vellent Lacedaemonii pateretur.

Sed ne cum Lysia quidem consentit Rauchensteinius. Quod enim alteram, qua acceptam pacem dicit, contionem intellegit, ne potuisse quidem iam semel in contione de ea re actum esse Lysiae narratio satis ostendit. Nam cum de duabus contionibus omnino non loquitur, tum eum de una tantum compertum habuisse indicant verba quae leguntur XIII, 17 *γνοὺς δὲ ταῦτα Θηραμένης καὶ οἱ ἄλλοι οἱ ἐπιβουλεύοντες*

[1]) Fr. Blass *Geschichte der attischen Beredsamkeit,* Leipzig 1868, I. p. 556 adn.

[2]) Ch. Renner commentationum Lysiacarum capita duo, Gottingae 1869, p. 15. 16.

[3]) Rauchenstein *Neues Schweizerisches Museum* VI. p. 267—277.

μὲν συμμάχους ἀποτρέψαντες τῆς γνώμης, αὐτοὶ δ' οὐδ' ἐπιχειρήσαντες διαβουλεύσασθαι περὶ τοιούτων ἔργων;

Xen. II, 2, 19 *ἐκκλησίαν ἐποίησαν* (sc. *οἱ ἔφοροι*), *ἐν ᾗ ἀντέλεγον Κορίνθιοι καὶ Θηβαῖοι μάλιστα, πολλοὶ δὲ καὶ ἄλλοι τῶν Ἑλλήνων μὴ σπένδεσθαι Ἀθηναίοις ἀλλ' ἐξαιρεῖν· Λακεδαιμόνιοι δὲ οὐκ ἔφασαν πόλιν Ἑλληνίδα ἀνδραποδιεῖν, μέγα ἀγαθὸν εἰργασμένην ἐν τοῖς μεγίστοις κινδύνοις γενομένοις τῇ Ἑλλάδι, ἀλλ' ἐποιοῦντο εἰρήνην* .... Xen. III, 5, 8 *ἃ μὲν μέμφεσθε ἡμῖν* (sc. *τοῖς Θηβαίοις*) *ὡς ψηφισαμένων χαλεπὰ περὶ ὑμῶν ἐν τῇ καταλύσει τοῦ πολέμου, οὐκ ὀρθῶς μέμφεσθε· οὐ γὰρ ἡ πόλις ἐκεῖνα ἐψηφίσατο, ἀλλ' εἷς ἀνὴρ εἶπεν, ὃς ἔτυχε τότε ἐν τοῖς συμμάχοις καθήμενος.*

Plut. *ἔνιοι δὲ καὶ προτεθῆναί φασιν ὡς ἀληθῶς ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ γνώμην ἐν τοῖς συμμάχοις, ὅτε καὶ τὸν Θηβαῖον Ἐρίανθον εἰσηγήσασθαι τὸ μὲν ἄστυ κατασκάψαι, τὴν δὲ χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον· εἶτα μέντοι συνουσίας γενομένης τῶν ἡγεμόνων παρὰ πότον καί τινος Φωκέως ᾄσαντος ἐκ τῆς Εὐριπίδου Ἠλέκτρας τὴν πάροδον .... πάντας ἐπικλασθῆναι καὶ φανῆναι σχέτλιον ἔργον τὴν οὕτως εὐκλεᾶ καὶ τοιούτους ἄνδρας φέρουσαν ἀνελεῖν καὶ διεργάσασθαι πόλιν.*

Iust. *quae* (sc. pax) *an dari deberet, diu inter Spartanos sociosque deliberatum. Cum multi delendum Atheniensium nomen urbemque incendio consumendam censerent, negarunt se Spartani ex duobus Graeciae oculis alterum eruturos.*[1])

[1]) Eandem contionem commemorant Isocrates, Demosthenes, Ps. Aeschines, auctor apud Suidam; quo tamen tempore fuerit, silentio praetereunt. Isocr. XV, 31 *οὐ δυστυχησάντων ὑμῶν μόνοι τῶν συμμάχων* (sc. *οἱ Θηβαῖοι*) *ἔθεντο τὴν ψῆφον, ὡς χρὴ τήν τε πόλιν ἐξανδραποδίσασθαι καὶ τὴν χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον ὥσπερ τὸ Κρισαῖον πεδίον*; Dem. XIX, 65 *ἀλλὰ μὴν ὅτι τὴν ἐναντίαν ποτὲ Θηβαίοις ψῆφον ἔθεντο οὗτοι* (sc. *οἱ Φωκεῖς*) *περὶ ἡμῶν ὑπὲρ ἀνδραποδισμοῦ προτεθεῖσαν ὑμῶν ἔγωγε ἀκούω πάντων.* cf. eiusdem orationis § 66. [Aesch.] ep. XI, 13 *ἀλλὰ καὶ τούτων φθονοῦσι πράττειν ἃ δεῖ βουλομένοις, ἕως ἂν τὸ Θηβαίων πολιτεύσωνται πολίτευμα, μηλόβοτον ὑμῶν γενέσθαι τὴν χώραν καὶ κατασκαφῆναι τὴν πόλιν ἀναγκάσαντες.* Suid. s. v. *μηλόβοτος χώρα: βουλευομένου δὲ* (sc. *τοῦ συνεδρίου τοῦ τῶν συμμάχων*), *ὅπως τῇ πόλει*

Idem igitur referunt de contione Andocides, Xenophon, Iustinus, Plutarchus, nisi quod illi ante pacem conclusam eam habitam esse narrant, Plutarchus adeo post Lysandri de mutando imperio populari consilia. Atque cum neque cogitari possit pace iam facta contionem habitam esse, qua Thebanus quidam proposuerit *τὸ μὲν ἄστυ κατασκάψαι, τὴν δὲ χώραν ἀνεῖναι μηλόβοτον,* nec de altera Lacedaemoniorum sociorumque contione quidquam traditum sit, eis, qui istam contionem tum habitam narrant, cum de pace concedenda deliberaretur, solis fides habenda est, praesertim cum, unde Plutarchi error exortus sit, non difficile sit intellectu. Nimirum quin Plutarchus duobus ex fontibus narrationem concinnaverit, nullus dubito; ac recte Stedefeldtus p. 32 priora verba usque ad *ἔνιοι δέ φασιν* e Theopompo hausta vult, verba inde usque ad finem ex Ephoro. Quod si tenemus, Plutarchum testes suos falso coniunxisse, ita ut quodammodo de eisdem rebus bis deinceps tamquam tempore seiunctis loqueretur, iam in aperto est. Ac si cui scrupulus restat, hoc quoque consideret, ut apud Lysiam (XII, 72 sq.) ita apud Diodorum (XIV, 3) una contione eodemque die Lysandrum Atheniensibus foederis violati accusatis graviter minatum esse et effecisse, ut triginta viri instituerentur, cum Plutarchus inter illas minas et tyrannos creatos contionem suam intermittat. Ut concedamus igitur, Plutarchum quidem, cum e fontibus male intellectis sua concinnaret, similem atque Curtius et Scheibius volunt rerum gestarum ordinem finxisse, Ephoro tamen auctore, cuius verba perperam interpretatus est Plutarchus, efficitur muros a Lysandro dirutos navesque combustas esse inter contionem illam Spartae habitam trigintaque viros institutos.

Nihilo autem setius alia cum Scheibio facere videntur. Plutarcho enim teste, ut supra vidimus, Lysander Atheniensibus diem constituerat, usque ad quem diem muros deletos

---

χρήσηται, Θηβαῖοι μὲν μηλόβοτον ἀνεῖναι συνεβούλευον, Φωκεῖς δὲ ἀντεῖπον σῶσαι. cf. Sauppius OA II p. 262. Ad Erianthum spectant verba Lycurgi orationis contra Leocratem habitae § 145 *ὁ μηλόβοτον τὴν Ἀττικὴν εἶναι φανερᾷ τῇ ψήφῳ καταψηφισάμενος.*

oportebat; quod officium cum segnius exsecuti essent Athenienses, eos fidem violasse dictitans denuo de novae pacis condicionibus deliberandum esse minitatur: *ἀποστείλας πρὸς τὸν δῆμον ἔφη τὴν πόλιν εἰληφέναι παρασπονδοῦσαν· ἑστάναι γὰρ τὰ τείχη τῶν ἡμερῶν, ἐν αἷς ἔδει καθῃρῆσθαι, παρῳχημένων· ἑτέραν οὖν ἐξ ἀρχῆς προθήσειν γνώμην περὶ αὐτῶν, ὡς τὰς ὁμολογίας λελυκότων* (Plut. Lys. XV). Qua in narratione cum Plutarcho Lysias et Diodorus congruunt. Apud Lysiam enim (XII, 74) in contione de re publica habita, cum Athenienses paucorum imperium institui nollent, Lysander surrexit et *ἄλλα τε πολλὰ εἶπε καὶ ὅτι παρασπόνδους ὑμᾶς* — Athenienses — *ἔχοι καὶ ὅτι οὐ περὶ πολιτείας ὑμῖν ἔσται ἀλλὰ περὶ σωτηρίας, εἰ μὴ ποιήσεθ' ἃ Θηραμένης κελεύει.* Simili modo apud Diodorum (XIV, 3, 6) loquitur Lysander *λελύσθαι τὰς συνθήκας ὑπὸ Ἀθηναίων· ὕστερον γὰρ τῶν συγκειμένων ἡμερῶν καθῃρηκέναι τὰ τείχη.* His ex locis viri docti elucere volunt, Lysandrum primo muros deiciendos tradidisse Atheniensibus et tum demum ipsum ad eos diruendos aggressum esse, cum illi pactis non stetissent. Quod cum minime per se verisimile esse supra demonstravimus, tum plura obverti possunt. Primum enim eo tempore, quo Lysander minitatur Athenienses graviore poena se affecturum esse nisi sibi obsequerentur, muros nondum plane destructos fuisse constat. Certe si illo tempore destructi quidem fuissent, compluribus autem diebus diutius quam statutum esset stetissent, quae est Grotii[1]) opinio, Lysandrum propterea Athenienses *παρασπόνδους* nominasse et admonuisse, ne tam de civitatis forma quam de salute cogitarent, vix credibile est; ideoque Diodori auctoritas nulla esse videtur, secundum quem tempore illius contionis muri destructi iam erant: *ὕστερον γὰρ τῶν συγκειμένων ἡμερῶν καθῃρηκέναι τὰ τείχη* (XIV, 3, 6). Qua opinione nos non falli testimonium Plutarchi docet, qui Lysandrum dicentem facit: *ἑστάναι γὰρ τὰ τείχη τῶν ἡμερῶν ἐν αἷς ἔδει καθῃρῆσθαι παρῳχημένων* (Lys. XV). Atqui Lysia et Diodoro auctoribus una contione et haec protulit

---

[1]) *History of Greece* 1870, VIII p. 22. 28.

Lysander et effecit, ut triginta viri instituerentur. Sequitur, ut pars murorum certe triginta viris institutis destructa sit; cuius rei etiam diserta testimonia Lycurgi et Pausaniae exstant. Lyc. in Leocratem § 61 *ἡμῶν γὰρ ἡ πόλις τὸ μὲν παλαιὸν ὑπὸ τῶν τυράννων κατεδουλώθη, τὸ δ' ὕστερον ὑπὸ τῶν τριάκοντα καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη.*[1] Paus. I, 2, 2 *τὰ γὰρ Θεμιστοκλέους* (sc. *τείχη*) — exstructi autem sunt a Themistocle Piraei muri — *μετὰ τὴν ἀναχώρησιν οἰκοδομηθέντα τὴν Μήδων ἐπὶ τῆς ἀρχῆς καθῃρέθη τῶν τριάκοντα ὀνομαζομένων.* Quod si tum demum muros diruisse Lysandrum sumeremus, cum Athenienses pactis non stetissent, sequeretur Lysandrum triginta viris iam institutis muros diruisse, id quod certe nec Scheibius nec Curtius probabunt. Deinde Aristides[2]) muros disiectos esse ab Atheniensibus ipsis narrat, ita ut maxima saltem pars ab eis disiecta esse videatur. Ex quo efficiatur, ut Lysander, nisi murorum disiciendorum initium fecisse putetur, nihil nisi reliquias murorum deleverit. Sed recte verendum putat Stedefeldtus p. 13, ne ridiculum potius quam sollemne praebiturus fuerit spectaculum, si cum tot caerimoniis ultimos muri semiruti lapides loco movisset. Denique ipsa qua Lysander muros diruerit ratio silentio non praetereunda est. Legimus autem haec apud Xenophontem: *τὰ τείχη κατέσκαπτον ὑπ' αὐλητρίδων πολλῇ προθυμίᾳ νομίζοντες ἐκείνην τὴν ἡμέραν τῇ Ἑλλάδι ἄρχειν τῆς ἐλευθερίας* (H. G. II, 2, 3) et apud Plutarchum: *ὁ δ' οὖν Λύσανδρος πολλὰς μὲν ἐξ ἄστεος μεταπεμψάμενος αὐλητρίδας, πάσας δὲ τὰς ἐν τῷ στρατοπέδῳ*

---

[1]) Perperam Nicolaius et Rehdantzius, novissimi editores, verba *τὸ δ' ὕστερον ὑπὸ τῶν τριάκοντα* arte cohaerere cum prioribus putant, ita ut a verbis *καὶ ὑπὸ τῶν Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη* seiungantur: ut enim verba sequentia *καὶ ἐκ τούτων ἀμφοτέρων ἠλευθερώθημεν* docent, duobus membris constant priora, quorum alterum exprimitur verbis *ἡ πόλις ὑπὸ τῶν τυράννων κατεδουλώθη*, alterum verbis *ὑπὸ τῶν τριάκοντα καὶ ὑπὸ Λακεδαιμονίων τὰ τείχη καθῃρέθη*; id enim ipsum quod muri destructi erant, servitus extrema et calamitas gravissima habebatur.

[2]) Rhod. I p. 822 Ddf. *Ἀθηναίων τῆς ἡγεμονίας στερηθέντων καὶ τὰ τείχη ταῖς ἑαυτῶν χερσὶ κατασκαψάντων.*

συναγαγὼν τὰ τείχη κατέσκαπτε καὶ τὰς τριήρεις κατέφλεγε πρὸς τὸν αὐλὸν ἐστεφανωμένων καὶ παιζόντων ἅμα τῶν συμμάχων, ὡς ἐκείνην τὴν ἡμέραν ἄρχουσαν τῆς ἐλευθερίας (Lys. XV). Mirum profecto, ne dicam insanum videretur, si compluribus mensibus post captas Athenas cum Lysander redisset murique diruerentur, tum cantus tibicinum adhiberetur, tum gaudio efferrentur socii, eum diem rati primum Graeciae libertatis esse. Prorsus aliter autem res comparata est, si statim post captas Athenas Lysandrum ad tibicinum cantum muros delere coepisse summo cum sociorum gaudio tenemus; tum quidem recenti etiam victoris odio illi suo iure putare poterant, primum esse diem exortum Graeciae libertatis.

Denique neglexerunt, ni fallor, viri docti unum, quod si respexissent, talem rerum ordinem, qualem statuerunt, certe dubitassent statuere. Muri [1]) enim qui poterant intra unum et alterum diem dirui? Id nullo pacto tam celeriter fieri potuisse, facile est ad intellegendum. Sufficit enim commemorare quam late patuerint muri. Complectebatur autem eorum ambitus non minus CXL stadia. Piraei murus enim sexaginta stadia circuitu patebat (Thuc. II, 13, 7); murorum longorum utrumque bracchium quadraginta stadia longum erat. [2]) Iam vero Piraei muri quam firmi et solidi fuerint, e Thucydide (I, 93) intellegitur. Videntur autem sedecim fere pedes lati, triginta alti fuisse; [3]) murorum longorum alterum bracchium intra quattuor annos exstructum erat. [4]) Haec sufficiunt, ut tanta opera non parvo temporis spatio destrui potuisse eluceat; atque consideranti mihi, quam longi temporis sit nostra ipsa memoria similia opera perficere, non tam nonnullis

---

[1]) Muros cum dico, intellegendi sunt longi muri quique Piraeum cingebat. cf. pacis documentum: *καββαλόντες τὸν Πειραιᾶ καὶ τὰ μακρὰ σκέλη .... τὰν εἰράναν ἔχοιτε* (Plut. Lys. XIV). Xen. H. G. II, 2, 20 *τά τε μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ καθελόντας*. Thuc. V, 26 *τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον*. *Ὁ Πειραιεύς* autem omnes munitiones Piraei significat. Lys. XIII, 14 *ὅλα τὰ μακρὰ τείχη κατασκάψαι .... καὶ τὸ περὶ τὸν Πειραιᾶ τεῖχος περιελεῖν.*

[2]) Wachsmuth *die Stadt Athen* I. p. 334.

[3]) Curtius II[4] p. 111 et adn. 51.

[4]) Wachsmuth p. 557. 558.

diebus quam compluribus mensibus ad illos muros disiciendos opus fuisse videtur. Lysander igitur, postquam ipse statim captis Athenis cum sociis per sollemnem caerimoniam initium murorum deiciendorum fecit, Atheniensibus imperavit, ut eos intra certum tempus diruerent, cum ipse Samum aveheretur. Postea cum popularem civitatem mutare aggrederetur et Athenienses ad eius voluntatem se accommodare nollent, pars autem munitionis etiamtum superesset diruenda, Lysander minatus, nisi sibi obsequerentur, se illos acerbius duriusque tractaturum esse, quod fidem pactionis violassent, evicit, ut triginta viri instituerentur, quibus dominantibus plane iam muri disiecti sunt.

Neque hunc rerum ordinem verum esse certa desunt testimonia. Nam Xenophon muros a Lysandro dirutos tradit statim post pacem acceptam (II, 2, 22. 23) idque anno exeunte, cum paullo post pergat: *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει.*[1]) Annus autem Xenophonteus initium capit a vere, ut antequam ver inciperet Lysander ad muros diruendos aggressus sit; triginta vero viros multo post aestate constitutos esse infra videbimus. Iam rem conficit Diodorus,[2]) quo teste muri statim post pacem diruti sunt vel dirui coepti — quando quidem eodem auctore Lysandrum Atheniensibus muros diruendos imperavisse supra commemoravimus —, triginta viri posteriore tempore civili dissensione coorta et Lysandro Samo, quo interea vectus erat, revocato instituti sunt.[3])

Quae cum tam certo comprobasse mihi videar, ut dubitatio iam nulla restet, de altera condicione naves tradendi quaeramus oportet. Atque naves a Lysandro combustas esse unus Plutarchus tradit, apud quem haec verba leguntur: *ὁ δ' οὖν*

---

[1]) II, 2, 24 a Xenophonte non scripta est.

[2]) XIV, 3 *κατὰ δὲ τούτους τοὺς χρόνους Ἀθηναῖοι . . . . ἐποίησαν συνθήκας πρὸς Λακεδαιμονίους, καθ' ἃς ἔδει τὰ τείχη τῆς πόλεως καθελεῖν καὶ τῇ πατρίᾳ πολιτείᾳ χρῆσθαι· καὶ τὰ μὲν τείχη περιεῖλον, περὶ δὲ τῆς πολιτείας πρὸς ἀλλήλους διεφέροντο.*

[3]) Ceterum recte in universum de hoc rerum ordine senserunt Grotius VIII p. 21 sq., Stedefeldtus l. c. p. 13. 23 sq. et in Philol. XXIX p. 235 sq., Poehligius *der Athener Theramenes,* Leipzig 1877, p. 291. 295.

Λύσανδρος . . . . κατέσκαπτε τὰ τείχη καὶ τὰς τριήρεις κατέφλεγε (Lys. XV). Attamen Plutarchus vel Ephorus, ex quo ille hausisse videtur, num haec recte narraverit, valde dubium est. Res enim per se satis mira videtur, quod Lysander suam classem hostium navibus non auxerit. Sed quamquam Plutarchi narratio hanc suspicionem movet, tamen e suspicione sola non probatur, re vera non combustas esse naves. Quaerenti enim de hac re exemplum Scipionis Africani maioris mihi in mentem venit, qui teste Livio Carthagine dedita hostium naves combussit. Liv. XXX, 43, 12 *naves provectas in altum incendi iussit* (sc. Scipio); *quingentas fuisse omnis generis quae remis agerentur, quidam tradunt: quarum conspectum repente incendium tam lugubre fuisse Poenis, quam si ipsa Carthago arderet.* Eandem rem Hannibalem cum verba facit apud Carthaginienses, commemorantem fingit Liv. XXX, 44, 7 *tunc flesse decuit, cum adempta nobis sunt arma, incensae naves, interdictum externis bellis.* Quodsi Livio fidem habemus, quin Plutarchus quoque vera tradiderit, vix dubitaremus, nisi in alia re haerendum esset. Cum enim Plutarchum secutis nobis statuendum esset, eodem tempore muros a Lysandro dirutos navesque combustas esse, satis mirum videretur, quod omnes scriptores, qui muros dirutos navesque traditas esse narrant, naves incensas silentio praetereunt (Xen. II, 2, 3. Lys. XIII, 34. 46; XVIII, 5). Vix enim credi potest ipsos illis temporibus aequales id oblitos esse. Iam totam rem absolvit Xenophontis testimonium, quo auctore Lysander cum Atheniensium navibus Lacedaemonem avectus est: *Λύσανδρος δὲ ταῖς Λακωνικαῖς ναυσὶν ἀπέπλευσεν εἰς Λακεδαίμονα ἀπάγων τά τε τῶν αἰχμαλώτων νεῶν ἀκρωτήρια καὶ τὰς ἐκ τοῦ Πειραιῶς τριήρεις πλὴν δώδεκα*[1]) (H. G. II, 3, 8). Xenophon igitur naves integras Lacedaemonem vexisse narrat; quo certius

[1]) Naves duodecim Atheniensibus relictas esse Xenophon altero quoque loco narrat: *ἐποιοῦντο εἰρήνην, ἐφ᾽ ᾧ τά τε μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ καθελόντας καὶ τὰς ναῦς πλὴν δώδεκα παραδόντας* (II, 2, 20); cum Xenophonte Plutarchus congruit: *ὁ δ᾽ οὖν Λύσανδρος ὡς παρέλαβε τὰς ναῦς ἁπάσας πλὴν δώδεκα* (Lys. XIV.); auctore autem Diodoro decem naves eis relictae sunt: *συνέθεντο τὴν εἰρήνην ὥστε*

Plutarchi narrationi veri dissimiliori fidem denegabimus. Quem Plutarchi errorem Grotius [1]) sic interpretatus esse videtur, ut naves nondum plane exstructas a Lysandro combustas esse opinaretur. Hanc ad opinionem ille eis locis sine dubio adductus est, ubi legimus triginta viros navalia demolienda locasse. [2]) Sed nusquam accepimus naves imperfectas in navalibus tum temporis exstitisse neque navalium vocabulo una comprehenduntur naves. Sed ut hoc quoque concedatur navalia una cum navibus nondum perfectis demolienda locata esse: num verisimile est eos qui conduxerant, tabulas trabesque navium combussisse? Nullo igitur iure Grotius, ut aliquo modo errorem Plutarchi explicaret, illam opinionem protulit. Itaque tenendum est et Plutarchum in errore versari nec nos errorem explicare posse, nisi Scipionis exemplum ad Lysandrum translatum dicamus. [3])

Iam ut ad virorum popularium captorum tempus redeamus, verba Lysiae *ἐπειδὴ γὰρ ἐκεῖνοι συλληφθέντες ἐδέθησαν, τότε καὶ ὁ Λύσανδρος εἰς τοὺς λιμένας κατέπλευσε καὶ αἱ νῆες αἱ ὑμέτεραι Λακεδαιμονίοις παρεδόθησαν καὶ τὰ τείχη κατεσκάφη καὶ οἱ τριάκοντα κατέστησαν* (XIII, 34), si modo recte disputavimus naves statim post pacem acceptam traditas murosque deleri coeptos esse, clarissime indicant viros populares ante pacem factam captos esse. Ac si quis dubitet, is consideret, verba *τότε καί* graviter ac sollemniter pronuntiata esse, ita ut non videatur dubium, quin de primo Lysandri adventu loquatur Lysias. Nam si alterum intellegeret, quid opus erat gravibus verbis narrare, tum vero in Piraeum esse invectum Lysandrum, quasi inauditum facinus ausus esset? Contra illa verba de eo tempore, quo primum ex Athenien-

---

τὰ μακρὰ σκέλη καὶ τὰ τείχη τοῦ Πειραιῶς περιελεῖν καὶ μακρὰς ναῦς μὴ πλέον ἔχειν δέκα (XIII, 107, 4). Diodorus igitur aut erravit aut cum Wesselingio pro *δέκα* scribendum *δώδεκα*.

[1]) VIII p. 21. *The unfinished ships in the dockyards were burnt, and the arsenals themselves ruined.*

[2]) Isocr. VII, 66. Lys. XII, 99; XIII, 46; XXX, 22.

[3]) Plutarchi errorem verbo notant Stedefeldtus in Philol. XXIX p. 237 adn. 22 et Poehligius p. 297 adn. 49.

sium memoria classis victrix in Piraeum invecta est, optime dici videntur. Nam quod Rennerus p. 13 locum Diodori comparat: *παρακαλούντων δὲ αὐτὸν πρὸς τὸ συνεργῆσαι συνεπένευσε καὶ τῆς μὲν Σάμου Θώρακα τὸν Σπαρτιάτην ἁρμοστὴν κατέστησεν, αὐτὸς δὲ μετὰ νεῶν ἑκατὸν κατέπλευσεν εἰς τὸν Πειραιᾶ* (XIV, 3, 5), verba *αὐτὸς δέ* non minus sollemniter pronuntiata esse ratus, cum tamen haec de altero adventu accipienda esse certum sit: non est cur ista fusius refellamus. Lysias igitur optimates antea (§ 17) id studuisse narravit, ut ante pacem concludendam viri illi e medio tollerentur; iam hoc loco graviter et cum vi quadam pergit, cum capti essent, tum factum esse, ut Lysander in Piraeum inveheretur et omnia mala in urbem irrumperent: quae vis nulla esset, si tum pax iam accepta fuisset.

III.

Restat, ut de Grotii (VIII p. 26 adn. 1) dicamus sententia, qui ad simplicem Xenophontis narrationem redeundum, Lysiae autem rationem omnino non habendam esse censet. Itaque pacem putat postero die quam redierat Theramenes acceptam esse, Lysiam autem consulto rerum ordinem pervertere, cum insidias contra viros populares ab optimatibus posteriore tempore structas ante pacem acceptam factas fingat, scilicet ut non solum mortis eorum virorum causam in Agoratum transferat, sed ipsam illam ignominiosam pacem ei det crimini. Iam ne dicam a moribus Lysiae abhorrere eiusmodi mendacium — nolo enim honorificentius iudicare de causidico Attico —: verum ut concedamus Lysiam partium studio adductum facile falsa tradidisse et tempora confudisse, iudicibus tamen eum tale quid persuadere aut potuisse aut conatum esse, id quidem incredibile est. Quid? iudices cum ipsi paucis annis [1])

---

[1]) Quo tempore oratio XIII habita sit, certo definiri nequit; videtur tamen spatium quinque vel sex annorum intercessisse inter pacem conclusam orationemque habitam.

ante omnes res vidissent, adeo non tenuisse memoria res illas verisimile est, ut Lysiam paterentur res notissimas perverse narrare et consulto perturbare? Sensit hoc Stedefeldtus ideoque probatis ceteroqui Grotii argumentis Lysiam aperte rerum ordinem pervertere negat neque tamen sincero animo vera proferre concedit sed ita potius disponere omnia, quae inde a clade Hellespontia usque ad triginta virorum dominatum facta esse narret, ut quae ante, quae post captas Athenas acciderint, nusquam certum sit et indubium. „Qua re, addit Stedefeldtus p. 15, quae voluerit efficere, facile intellegitur. Non solum triginta virorum dominatus et eorum quae inde originem traxerunt, malorum culpam in Theramenem et Agoratum studuit conferre, sed etiam ignominiosam illam pacem die sexto decimo Munychionis compositam insontibus eis non sine veritatis specie vitio vertere conatus est.“ [1])

Ac Grotius insidias illas post pacem paratas esse elucere putat e Lysiae ipsa narratione. Lysias enim cum XIII, 25 priusquam de pace accepta loquatur, Niciam, Nicomenem, alios naves duas (*δύο πλοῖα*) paratas habuisse narret, quibus ut effugeret, donec res publicae pervenissent ad meliores condiciones (*ἕως τὰ πράγματα καταστaίη*), Agorato persuadere voluissent: quaerit Grotius, quomodo Agoratum effugiturum fuisse cogitari potuerit eo tempore, quo pace nondum facta omnes portus inclusos haberent Lacedaemonii quaeque sententia verbis *ἕως τὰ πράγματα καταστaίη* subiecta sit, si tempore deditionem ipsam praecedenti facta cogitarentur. [2]) Verum ut ab extremis initium capiam, verba *ἕως τὰ πράγματα καταστaίη* offensionem non habent. Agorato enim Lysias narrat viros quosdam ut effugeret persuadere conatos esse, cum eum summum in periculum venturum esse putarent insidiasque clandestinas strui viderent. Persuadere igitur voluerunt illi

[1]) Contra Stedefeldtum disputaverunt Rauchensteinius, cui ille respondit in Philol. XXIX, et Rennerus.

[2]) VIII p. 26 *Besides how could Agoratus be conveyed with two vessels out of Munychia, when the harbour was closely blocked up? and what is the meaning of ἕως τὰ πράγματα καταστaίη, referred to a moment just before the surrender?*

Agorato, ut tum quidem effugeret, postea rediret, si res publicae in meliorem statum recessissent neque ullum exstaret periculum. Deinde quod Grotius Athenis tum cum undique obsidebantur effugium nemini patuisse putat, adeo obsidione nulla urbs claudi potuisse videtur, ut ne ratis quidem una alterave clam hostibus e portu eveheretur. Veluti legimus apud Thucydidem (I, 64. 65) cum Potidaea ab Atheniensibus terra marique oppugnaretur,[1]) Aristeum ducem suasisse, ut omnes incolae exceptis quingentis, qui urbem defenderent, ex urbe eveherentur. Quod consilium cum neglegeretur, ipsum quidem clam hostibus ex urbe evasisse. Quodsi Aristeus fere omnes incolas effugere posse putabat, re vera ipse effugiebat, non video, cur Athenis Agoratus navicula evadere non potuerit. Illo autem ipso tempore Lysandrum, cum primum Athenas vectus esset obsidioque longinqua fieri videretur, satis multis navibus relictis quae in oppugnatione perseverarent, ipsum Samum petisse videri, paullo post videbimus: qua re respecta ut singuli homines effugerent facile fieri potuisse putabimus. Accedunt testimonia duo, unde etiam naves commeatum portantes in Piraeum per hostes clam penetrasse verisimillimum fit. In Isocratis enim oratione XVIII, 61 narratur, cum Lysander capite sanxisset, ne quis frumentum Athenas adveheret, nonnullos cives tanto fuisse in rempublicam studio, ut cum alii ne sua quidem importare auderent, illi frumentum, quod ad hostes veheretur, interciperent et in Piraeum perducerent: pro quo beneficio publice coronis donatos esse eos nominaque eorum proclamata ante heroum eponymorum statuas. Ubi quamquam non dictum est iam tum urbem navibus circumdatam fuisse, tamen vix credibile est, populum eos summis honoribus affecturum fuisse, nisi Lysander iam urbem inclusam tenuisset. Praeterea in oratione, quae inter Lysiacas legitur, in Andocidem habita VI, 49 Andocides arguitur, quamquam civitatem in tantis turbis et periculis versari scivisset, tamen frumentum in urbem importare patriamque adiuvare

[1]) *καὶ οὕτως ἤδη κατὰ κράτος ἡ Ποτείδαια ἀμφοτέρωθεν ἐπολιορκεῖτο καὶ ἐκ θαλάσσης ναυσὶν ἅμα ἐφορμούσαις* (I, 64, 3).

noluisse, cum inquilini et peregrini inferendo commeatu optime de republica meriti essent. Ergo naves onerariae in Piraeum pervenerunt medios per hostes, paucos homines per ratem facile effugere potuisse non putabimus? Quamquam quod paucos alios circa ipsum illud obsidionis tempus Athenis effugisse Xenophon diserte dicit, cum quattuor homines anno 405 vinctos postea effugisse narret *στάσεώς τινος γενομένης, ἐν ᾗ Κλεοφῶν ἀπέθανεν* (H. G. I, 7, 35),[1]) Cleophontem autem mortuum esse sciamus et cum iam urbs obsidione premeretur et ante Athenas captas:[2]) id ideo argumenti loco non sumendum est, quia hi sine dubio ad Lacedaemonios transfugerunt.

Grotio igitur ut adstipulemur, causis ab ipso allatis non movemur. Immo omnia, quae Grotius quaeque Stedefeldtus protulerunt, certissime refelluntur orationis Lysiae pro bonis Eucratis, Niciae fratris, habitae loco, quem illi plane neglexerunt, hoc: *Εὐκράτης τοίνυν .... ἤδη τῆς τελευταίας ναυμαχίας γεγενημένης φανερὰν ἐπεδείξατο τὴν εὔνοιαν ἣν εἶχε περὶ τὸ πλῆθος τὸ ὑμέτερον· ἡττημένων γὰρ ἐν τῇ ναυμαχίᾳ στρατηγὸς ὑφ' ὑμῶν ᾑρημένος καὶ παρακαλούμενος μετέχειν τῆς ὀλιγαρχίας ὑπὸ τῶν ἐπιβουλευόντων τῷ πλήθει οὐκ ἠθέλησεν αὐτοῖς πείθεσθαι, ἀλλ' ἐν τοιούτῳ καιρῷ,*[3]) *ἐν ᾧ οἱ πλεῖστοι τῶν ἀνθρώπων καὶ μεταβάλλονται πρὸς τὰ παρόντα καὶ ταῖς τύχαις εἴκουσι, δυστυχοῦντος τοῦ δήμου, οὐκ ἀπελαυνόμενος τῆς πολιτείας οὐδ' ἰδίας ἔχθρας ὑπαρχούσης πρὸς τοὺς ἄρξειν μέλλοντας, ἀλλ' ἐξὸν αὐτῷ καὶ τῶν τριάκοντα γενέσθαι καὶ μηδενὸς ἔλαττον δύνασθαι, μᾶλλον εἵλετο πράττων ὑπὲρ τῆς ὑμετέρας σωτηρίας ἀπολέσθαι ἢ ἐπιδεῖν τὰ τείχη καθαι-*

---

[1]) Erravisse Xenophontem Grotius censet; attamen vide, quae Rennerus affert p. 22 adn. 1.

[2]) Stedtefeldtus, qui Cleophontem post pacem conclusam interfectum esse censet, optime a Rennero (p. 21 sq.) refutatur. Ceterum ad Lysiae verba, quibus nititur Stedefeldtus, XXX, 12 *Σάτυρος καὶ Χρέμων οἱ τῶν τριάκοντα γενόμενοι* recte interpretanda praeter exemplum Platonis a Sauppio allatum conferantur ea, quae a Dittenbergero in Herma Berolinensi XII p. 2 adn. 2 prolata sunt.

[3]) pro verbis *ἀλλ' ἐν τοιούτῳ καιρῷ* in codice traditum est *ἐν τοιούτῳ καιρῷ ληφθείς*: *ἀλλ'* interponendum esse C. Scheibius suspicatus est, *ληφθείς* delevit R. Schoellius.

ρούμενα καὶ τὰς ναῦς τοῖς πολεμίοις παραδιδομένας καὶ τὸ ὑμέτερον πλῆθος καταδεδουλωμένον (XVIII, 4. 5). Ubi quae narrantur et prorsus congruunt cum rebus oratione XIII traditis nec fingendi consilium ullum admittunt. Hunc enim Eucratem eadem sorte usum esse ac Dionysodorum et Strombichidem ceterosque duces contendimus. Quamquam Scheibius [1]) contra Hamakerum disputans non solum ante dominatum triginta virorum sed etiam ante moenia diruta navesque traditas Eucratem supplicio affectum esse e verbis μᾶλλον εἵλετο ἀπολέσθαι ἢ ἐπιδεῖν τὰ τείχη καθαιρούμενα καὶ τὰς ναῦς παραδιδομένας elucere putat. Ac re vera e verbis illis per se spectatis, quibus Eucrates mortem obire maluisse dicitur quam videre muros dirutos navesque traditas, concludere aliquis possit reapse mortem obiisse Eucratem ante muros dirutos navesque traditas. Neque tamen id concludere licet. Obstant enim alii loci eiusdem orationis, quibus tum demum cum triginta viri instituti essent, interfectum esse eum certo apparet. Ut filius Eucratis de se fratreque suo οὐδὲν, inquit, γὰρ ἂν ἡμᾶς κωλύει ἀθλιωτάτους εἶναι ἐπὶ τῶν τριάκοντα ὀρφανοὺς καταλειφθέντας (§ 22). Ab eodem Eucrates et Niceratus mortui esse dicuntur ὑπὲρ τῆς δημοκρατίας καὶ τῆς ὑμετέρας ἐλευθερίας ὑπὸ τῶν τριάκοντα κώνειον πιόντες (§ 24). Denique eandem rem tangunt verba καίτοι τίνες ἂν ἡμῶν εἴησαν δυστυχέστεροι, εἰ ἐν μὲν τῇ ὀλιγαρχίᾳ ἀπεθνήσκομεν [2]) εὖνοι ὄντες τῷ πλήθει, ἐν δὲ τῇ δημοκρατίᾳ ὡς κακόνοι ὄντες τῷ πλήθει ἀποστεροίμεθα (§ 8); ubi ἀπεθνήσκομεν ad mortem Eucratis et Nicerati spectat.

Iam si quaerimus, cuiusnam criminis causa Eucrates mortem obierit, Sieversius et Curtius [3]) e verbis ἐξὸν αὐτῷ καὶ τῶν τριάκοντα γενέσθαι καὶ μηδενὸς ἔλαττον δύνασθαι propterea Eucratem occisum esse coniecerunt, quod societatem ab optimatibus oblatam repudiasset nec in triginta virorum numero esse voluisset. Sed ut omittam, quam non verisimilis

---

[1]) Fr. Scheibe vindiciae Lysiacae, Lipsiae 1845, p. 87.

[2]) ἀποθνήσκοιμεν in codice traditum, correxit R. Schoellius.

[3]) Sievers commentationes historicae de Xenophontis Hellenicis, Berolini 1833, p. 49. Curtius III[8] p. 19.

ipsa res sit, eis verbis nihil dicitur nisi Eucratem, quamquam summo loco natus summaque insignis auctoritate cum in societatem vocaretur optimatium, facile in numero triginta virorum esse posset, tamen mori maluisse quam patriam prodere. At ex eisdem illis verbis unde Scheibius ante pacem factam Eucratem occisum esse censuit, crimen quod fuerit agnosci puto. Nam omnia pati, ut Athenienses servaret, maluisse dicitur quam videre muros dirutos et naves traditas. His verbis nonne clarissime docemur inter eos illum fuisse, qui omni studio prohibere vellent, ne naves traderentur murique diruerentur, id est ne pax illa ignominiosa concluderetur? Eadem scilicet verba de Dionysodoro et Strombichide valent, qui in carcerem coniecti sunt, priusquam id fieret, quod fieri nolebant. Eucratem iam elucet inter eos duces fuisse, qui per Theramenis sociorumque eius insidias Agorato maxime auctore in carcerem coniecti sunt. Nam primum pugna apud Aegospotamos [1]) commissa cum aliis dux creatus est: duces autem maxime restitisse Therameni et insidiis optimatium petitos esse, a Lysia tradi iam supra vidimus. Atque praeter Dionysodorum, cui ulciscendo oratio XIII destinata est, et Strombichidem etiam alios duces eadem sorte usos esse apparet ex ipsis Lysiae verbis, apud quem XIII, 13 Therameni Spartam redeunti obviam eunt *τῶν στρατηγῶν τινες καὶ τῶν ταξιάρχων, ὧν ἦν Στρομβιχίδης καὶ Διονυσόδωρος, καὶ ἄλλοι τινὲς τῶν πολιτῶν.* [2]) De quibus quae diligenter narrat Lysias, quomodo amore rei publicae incensi eis, qui rem publicam liberam evertere studebant, restiterint pacemque turpissimam accipere noluerint, sed per insidias in carcerem coniecti et triginta viris institutis supplicio affecti sint: prorsus eadem de Eucrate tradit, qui dux creatus

[1]) Lys. XVIII, 4 *ἤδη τῆς τελευταίας ναυμαχίας γεγενημένης .... ἡττημένων γὰρ ἐν τῇ ναυμαχίᾳ.* Adnotat ad vocabulum *ναυμαχίας* Reiskius (Lysias I p. 601): „in Sicilia puta, prope Syracusas“. Sed cum haec oratio post triginta viros expulsos habita sit, nulla alia nisi pugna apud Aegospotamos commissa intellegenda est. Eadem de pugna loquitur Lysias XXI, 9 *ὅτε γὰρ ἐν τῇ τελευταίᾳ ναυμαχίᾳ αἱ νῆες διεφθάρησαν.*

[2]) Una cum Strombichide et Dionysodoro Calliades quidam interfectus est (Lys. XXX, 14); qui iam antea dux creatus, nisi nomine pari fallimur (Plut. Nic. c. 6), etiam tum in ducum numero fuisse videtur.

quamvis monitus ab eis qui insidiabantur rei publicae, tamen nec concessit eis nec eorum partes secutus est, qui principes fieri studebant, sed pro Atheniensium salute interire quam civitatem in servitutem redactam videre maluit. Denique Eucratem quod de ceteris constat triginta viris iam institutis interemptum esse supra comprobavimus.

Accuratissime igitur orationes XVIII et XIII consentiunt. Atqui in or. XVIII illud certe quod Grotius finxit consilium rerum ordinis perturbandi, quo magis augeatur rei culpa, nequaquam valet: ergo ne in or. XIII quidem Lysias consulto falsa pro veris tradit. Quodsi in or. XVIII Eucrates unus e ducibus illis ante naves traditas, id est ante pacem factam captus est, in or. XIII, 17 verba *περὶ τῆς εἰρήνης* integra sunt et a Lysia ipso scripta.

IV.

Quae cum ita sint, ipsa fundamenta, quibus nisi sunt omnes illi viri docti, disiecta sunt. Sed quaecunque adhuc disputavi omnia ad aliorum sententias refutandas pertinuerunt nec vero ad difficultates, quas diversae narrationes Xenophontis et Lysiae praebent, removendas. Videndum igitur, num alio modo quaestio proposita solvi possit: ac nescio an solvendae via satis simplex pateat.

Nimirum unum est, in quo Xenophonti maiorem fidem quam Lysiae habendam esse nemo negabit. Nam cum de una tantum legatione Theramenis loquatur Lysias, duas accurate dirimit Xenophon. Atque Lysia auctore ubi legati primum a Lacedaemoniis redeunt pacem ea condicione fore nuntiantes, si maxima pars murorum longorum dirueretur (XIII, 8), Theramenes multa pollicitus efficit, ut arbitrio suo omnia committantur et ipse *πρεσβευτὴς αὐτοκράτωρ* [1]) mittatur, deinde Spartae per longum tempus moratus condiciones pacis etiam acerbiores reportat. Ex diverso apud Xenophontem (II, 2), qui

[1]) XIII, 10 *εἵλεσθε ἐκεῖνον πρεσβευτὴν αὐτοκράτορα.*

de prima illa legatione idem refert ac Lysias, Theramenes evincit, ut ad Lysandrum mittatur, apud quem per tres menses ac diutius moratus re infecta redit, deinde nova contione habita ipse cum novem aliis legatus Spartam mittitur. Errat igitur Lysias, cum semel Theramenem legatum esse creatum Spartamque statim missum ibique diu versatum esse narrat; contra Xenophon, qui accuratius duas legationes dirimit, moram perfidam illam ac dolosam priori legationi Theramenis ad Lysandrum diserte tribuit. Is autem error Lysiae maximam ni fallor vim exercuit in totam narrationem; cumque Lysias oblitus esset bis Theramenem missum esse, necessario utriusque legationis tempora confundere debebat. Itaque Lysia auctore Theramenì Sparta redeunti (XIII, 13) strategi illi et taxiarchi virique populares obviam eunt, qui ubi audiunt, quae sint pacis condiciones, summa ira incensi talem pacem fieri nunquam se passuros esse, ipsos meliorem pacem impetraturos esse pronuntiant. Qua in narratione tempora confusa esse facile intellegitur. Postquam enim Theramenes cum novem legatis Sparta quo *αὐτοκράτορες* [1]) missi erant redierunt, ut supra vidimus, nulla erat spes relicta pacem meliorem nanciscendi, immo, ut Xenophon narrat, paucis resistentibus postero die pax accepta est. Plane aliter autem res se habet, si ponimus eos viros populares obviam ivisse Theramenì tum cum solus a Lysandro rediit, quo tempore pacis quidem certas condiciones non rettulit, sed diu moratus infecta re revertit, ita tamen, ut facile appareret omnibus, si illum denuo legatum emitterent, nullam spem fore libertatis obtinendae. Iure igitur viri populares ira incitati cum non nescirent Theramenem patriam proditurum esse nec quidquam aliud perfecturum nisi ut res publica libera everteretur, ut ipsi Spartam mitterentur, operam dederunt. [2]) Ac nescio an tum aliqua

---

[1]) II, 2, 17 *ᾑρέθη πρεσβευτὴς εἰς Λακεδαίμονα αὐτοκράτωρ δέκατος αὐτός.*

[2]) Proditionem Theramenis ne Xenophon quidem texit. Xen. II, 2, 16 *πεμφθεὶς δὲ διέτριβε παρὰ Λυσάνδρῳ τρεῖς μῆνας καὶ πλεῖον, ἐπιτηρῶν ὁπότε Ἀθηναῖοι ἔμελλον διὰ τὸ ἐπιλελοιπέναι τὸν σῖτον ἅπαντα ὅτι τις λέγοι ὁμολογήσειν. ἐπεὶ δ' ἧκε τετάρτῳ μηνί, ἀπήγ-*

cum specie speraverint fore, ut ipsi aequiores condiciones quam Theramenes impetrarent, quem lenibus condicionibus impetrandis ne operam quidem daturum esse existimabant. Qua de causa restiterunt prohibereque studuerunt, ne denuo mitteretur. Tamen tanta auctoritas erat Theramenis, adeo iam tum valebant optimates, tanta erat plebis calamitas atque ignavia, ut non perficerent illi quae vellent. Iam optimates cum non ignorarent, pertinaciam virorum illorum popularium summum pacis, quam moliebantur, obstaculum fore, priusquam pax fieret, eos e medio esse tollendos constituerunt, praesertim auctore Theramene, cuius socii, dum ipse Spartam proficiscitur, callidis et clandestinis insidiis structis summa industria id agebant, ut viri populares in carcerem conicerentur. Therameni igitur cum ex altera legatione Athenas rediret, viri populares ne impedimento essent, periculum non erat: ut iam nemine vehementer resistente pacis condiciones acciperentur. Nec mirum quod Lysias Theramenem ipsum, quem bis Athenis afuisse non meminit, insidias illis fecisse refert, quas iussu Theramenis ab optimatibus sociis eius factas rectius dixisset.

Quodsi res ita se habuisse ponimus, et Xenophontem religiose sequimur et Lysiam liberamus culpa res ac tempora consulto perturbandi; qui cum in una re erraverit, ex hoc errore cetera quae profert necessario derivata sunt.

V.

Alteram differentiam de tempore, quo Samus insula obsessa sit, inter Lysiam et Xenophontem exstare vidimus. Ac Xenophon quidem Lysandrum post triginta viros institutos Samum profectum esse narrat (H. G. II, 3, 3). Lysias in oratione contra Eratosthenem habita (XII, 71) refert Thera-

---

γειλεν ἐν ἐκκλησίᾳ ὅτι αὐτὸν Λύσανδρος τέως μὲν κατέχοι, εἶτα κελεύοι εἰς Λακεδαίμονα ἰέναι. Prorsus similia narrat Lysias XIII, 11. cf. Renner. p. 8.

menem id egisse, ut non prius de re publica contio haberetur, quam tempus cum Lacedaemoniis constitutum appropinquasset; tum ab eo Lysandrum Samo arcessitum imperium triginta virorum instituendum curasse. Praeter hos auctores respicienda sunt Plutarchi et Diodori testimonia. Secundum Plutarchum, cum obsessio Athenarum longinqua fieri videretur, Lysander in Asiam reversus non solum Samum cepit, sed etiam Sestum, Aeginam, Melum, Scionem, tum rursus Athenas vectus Athenienses se tradere coegit trigintaque viris institutis in Thraciam navigavit (Plut. Lys. XIV. XVI). Apud Diodorum (XIII, 106, 8; 107, 2; XIV, 3, 4), antequam Lysander primum in Piraeum veniret, Sesto capta Samum oppugnavit, deinde Athenas vectus est; inde pace facta sociorum res administraturus mittitur, denique Samo recens capta ab optimatibus Athenas arcessitus evincit, ut triginta viri legantur. Ac primum quidem a Diodoro, secundum quem etiam priusquam primum Athenas veniret, Lysander Samum oppugnare coepit, diserto Xenophontis testimonio recedere cogimur, qui commemorat post pugnam apud Aegospotamos commissam totam Graeciam ab Atheniensibus descivisse exceptis Samiis (II, 2, 6). *Οὗτοι δὲ,* inquit, *σφαγὰς τῶν γνωρίμων ποιήσαντες κατεῖχον τὴν πόλιν.*[1]) Quibus expositis Lysandrum Athenas vectum esse narrat. Iam maior fides tribuenda videtur Plutarchi narrationi, qui inter Athenas obsessas et captas oppugnationem Sami inserit. Quamquam in eo Plutarchus erravit, quod eo tempore non solum captam esse Samum narrat, sed etiam Sestum, Aeginam, Melum, Scionem una captas tradit — nam Aeginam, Melum, Scionem[2]) a Lysandro captas esse, antequam in Piraeum adveheretur, Xenophonte teste constat idemque de Sesto tradit Diodorus —, tamen de coepta Sami insulae oppugnatione aliam ab causam Plutarchum sequendum censeo. Theramenem enim, quem a populo urbe iam circum-

---

[1]) cf. plebiscitum Atheniensium in honorem Samiorum factum anno 403/2 CIA II 1[b].

[2]) H. G. II, 2, 9. Cum ad alias urbes tum ad Scionem spectant verba *καὶ τοῖς ἄλλοις ὅσοι τῆς αὐτῶν ἐστέροντο.* cf. II, 2, 3; Thuc. V, 32, 1.

data ad Lysandrum missum esse scimus, prope urbem ipsam diutius tres menses commoratum esse persuaderi mihi non patior, sed certe apud Lysandrum Athenis absentem moratus est. Ubi autem tunc temporis, quo Samus sola ab Atheniensibus non defecerat, Lysandrum versatum quaque in re occupatum esse putabimus nisi in Samo insula obsidenda? Sat igitur probabile est, Lysandrum magna parte navium Athenis relicta in Asiam ad Samios subigendos profectum esse ibique moratum; donec Athenarum deditionem instare compertum haberet. Iam oppugnatio tum intermissa Athenis traditis, priusquam triginta viri instituti sunt, denuo suscepta est. Nam et Lysias et Diodorus ad eos instituendos Lysandrum Samo arcessitum esse narrant. Denique captam esse Samum triginta viris iam institutis eaque capta finem totius belli adductum Lysandrumque domum profectum esse, Xenophonti facile credimus.

VI.

Haec habebam, quae scriberem de serie rerum; addam, quibus quidque anni temporibus tribuendum videatur. Ac duo sunt facta, quae inter cetera eminent post pugnam apud Aegospotamos commissam, Athenae deditae et triginta viri instituti. Iam de Athenarum deditarum tempore si quaerimus, forte fortuna ipsum diem, quo Athenae sunt traditae, ex Plutarchei novimus Lysandri c. XV *ὁ δ' οὖν Λύσανδρος ὡς παρέλαβε τάς τε ναῦς ἁπάσας πλὴν δώδεκα καὶ τὰ τείχη Ἀθηναίων ἕκτῃ ἐπὶ δεκάτῃ Μουνιχιῶνος μηνὸς, ἐν ᾗ καὶ τὴν ἐν Σαλαμῖνι ναυμαχίαν ἐνίκων τὸν βάρβαρον, ἐβούλευσεν εὐθὺς καὶ τὴν πολιτείαν μεταστῆσαι.* Cuius testimonii vis inde aliquantum infringi videtur, quod pugnam Salaminiam certe autumno anni 480 commissam esse constat. Qua re commotus Io. Droysenus [1]) nuper dubitavit, num fides habenda esset Plutarcho. Nec tamen omittendum

[1]) Io. Droysen de Demophanti, Patroclidis, Tisameni populiscitis quae inserta sunt Andocidis orationi *περὶ μυστηρίων*. Berolini 1873. p. 26.

est, quo tempore illa pugna commissa sit, ne ipsum quidem Plutarchum effugisse. Legimus enim in vitae Camilli c. XIX *Ἀθηναῖοι ἐνίκων ἐν Σαλαμῖνι τοῦ Βοηδρομιῶνος περὶ τὰς εἰκάδας*. Maioris momenti est, quod error ille Plutarchi unde natus sit facile intellegitur.[1]) Eodem enim Plutarcho teste die XVI mensis Munichionis ob victoriam Salaminiam celebrabatur dies festus: *τὴν δὲ ἕκτην ἐπὶ δέκα τοῦ Μουνιχιῶνος Ἀρτέμιδι καθιέρωσαν, ἐν ᾗ τοῖς Ἕλλησι περὶ Σαλαμῖνα νικῶσιν ἐπέλαμψεν ἡ θεὸς πανσέληνος* (de gl. Ath. VII). Eodem igitur die, quo dies festus in memoriam pugnae institutus celebrabatur, pugnam ipsam commissam esse putavit; quo factum, ut die XVI Munichionis pugnam Salaminiam commissam esse concluderet. Nec semel eiusmodi error apud Plutarchum invenitur, sed eadem de causa pugnas apud Marathona, Plataeas, Mantineam factas falsis diebus tribuit.[2]) Quodsi hac in re erravit Plutarchus neque vero ratio erroris non in aperto est, quid sit, quod diem Athenarum traditarum falso narraverit, non video, cum eiusmodi causa erroris quomodo ad diem nefastum deditionis pertineat, intellegi nequeat. Immo duo illa facta et pugnam et pacem falso diei tributa esse, ne speciem quidem probabilitatis habet. Itaque die XVI Munichionis Athenas esse traditas pro certo habendum est, nisi vero aliae obstant causae ex aliorum auctorum testimoniis. Quae tantum abest, ut cum Plutarcho pugnent, ut optime cum eo congruant.

Ac primum quidem Xenophon, ubi de pace facta murisque a Lysandro deletis narravit, his verbis pergit: *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι* (II, 3, 1. 2).[3]) Annum autem Xenophonteum a vere initium ca-

---

[1]) Quod Poehligius p. 297 adn. 48 die XVI Munichionis pacem acceptam, die pugnae Salaminiensis triginta viros institutos censet, quo tempore pacis condiciones plane expletas fuisse autumat, opus non est talia refutare.

[2]) cf. Boeckh *zur Geschichte der Mondcyclen* p. 64 sq. Koehler in *Mittheilungen des archaeologischen Instituts in Athen* I, p. 202.

[3]) Verba quae leguntur II, 2, 24 et II, 3, 1 (*ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς — ἡ ὀλιγαρχία ὧδε*) a Xenophonte non scripta sunt, sed interpolatori tribuenda.

pere praeter alia comprobant verba quae leguntur I, 3, 1 *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους . . . . ἐπεὶ δ' ὁ χειμὼν ἔληγε ἔαρος ἀρχομένου.* Postremum igitur prioris anni factum commemorat Xenophon Athenas traditas et muros a Lysandro deletos; haec extremo ipso anno facta esse Thucydides docet. Is diem quidem deditionis non tradidit; cum autem et quo tempore bellum initium ceperit et per quantum temporis spatium gestum sit, narraverit, facile deditionis tempus inveniri potest. Quamquam de ea re nuper Droysenus ita sensit, Thucydidem, cum duo diversa de belli initio testimonia proferat, omnino idoneum testem non esse (p. 26; 43—46). Videamus igitur, qualia illa diversa testimonia intellegat.

Liber alter Thucydidis incipit ab his verbis *ἄρχεται δὲ ὁ πόλεμος ἐνθένδε ἤδη,* ubi *ἐνθένδε* ad oppugnationem nocturnam Plataearum, quae proxime sequitur, spectat. Haec autem oppugnatio facta est *τῷ πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει* (sc. *τῶν τριακοντούτων σπονδῶν*) *ἐπὶ Χρυσίδος ἐν Ἄργει τότε πεντήκοντα δυοῖν δέοντα ἔτη ἱερωμένης καὶ Αἰνησίου ἐφόρου ἐν Σπάρτῃ καὶ Πυθοδώρου ἔτι τέσσαρας*[1]) *μῆνας ἄρχοντος Ἀθηναίοις μετὰ τὴν ἐν Ποτειδαίᾳ μάχην μηνὶ ἕκτῳ καὶ ἅμα ἦρι ἀρχομένῳ.* Ab illa igitur nocturna obsidione bellum incipere voluit Thucydides et ideo id tempus tam diligenter definivit. Aliud enim exemplum temporis tam accurate descripti nullum praestat. Ad eum autem diem de quo agimus paullo accuratius definiendum pertinent illa quae exstant II, 4, 2 *καὶ γὰρ τελευτῶντος τοῦ μηνὸς τὰ γιγνόμενα ἦν.* Si enim hoc cum loco prius illud testimonium comparamus, secundum quod Pythodorus per quattuor sequentes menses archon erat, Thebanorum impetus extremis diebus mensis Anthesterionis factus est. Ac Boeckhius (l. c. p. 74 sq.) impetum ea nocte,

---

[1]) Pro *τέσσαρας μῆνας* in codicibus male *δύο μῆνας* traditum est; Kruegerus primus *τέσσαρας* scribendum vidit idque tam luculentis argumentis comprobavit, ut viri docti fere omnes eum secuti sint. Unus Droysenus dubitavit, num *τέσσαρας* scribendum sit, quamquam *δύο* corruptum esse concedit. Cum autem nullus numerus aptior sit nec Droysenus ipse aliud proposuerit, ipsa ratio qua *δύο* ex *δ'* factum esse intellegitur, Kruegeri emendationem tuetur.

quae quartum[1]) diem mensis Aprilis secuta est, factum esse censuit. Quo cum die optime congruunt, quae tradita sunt II, 19 (*οἱ Λακεδαιμόνιοι*) *μετὰ τὰ ἐν Πλαταίᾳ γενόμενα ἡμέρᾳ ὀγδοηκοστῇ μάλιστα τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικήν*. Nam secundum Boeckhium (p. 78) die XXIII (XVIII ex Gregoriana temporum ratione) mensis Iunii Lacedaemonii primum in Atticam invaserunt, quo quidem ipso tempore media aestas est fructusque demeti et percipi solent.

Huic autem testimonio maxime contraria videntur, quae leguntur V, 19 et 20. Pacem enim quae vocatur Niciae ubi comperimus conclusam esse die XXVI mensis Elaphebolionis, de eadem c. 20 legimus *αὗται αἱ σπονδαὶ ἐγένοντο τελευτῶντος τοῦ χειμῶνος ἅμα ἦρι .... αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο.* Quibus ex verbis Droysenus concludere vult, hoc quidem loco irruptionem illam primam ante XXVI diem Elaphebolionis factam esse, bellum autem ipsum a prima irruptione incepisse dici. Itaque scriptorem sibi ipsum aperte adversari, cum priore loco *τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος*, posteriore ante XXVI diem Elaphebolionis, qui dies Boeckhio auctore (p. 80) dies XI mensis Aprilis est, primum Lacedaemonii Atticam invasisse dicantur. Item altero libro bellum incipere dici a Plataeis occupatis, quinto libro a prima Lacedaemoniorum invasione.

Iam conemur differentiam, quam Thucydidis verba continere videntur, amovere. Qua in re primum quidem funditus repudiandus est Ungeri[2]) conatus, qui cum sibi persuaserit, quinto libro Thucydidem consulto belli initium repetere ab irruptione, hanc irruptionem eo die factam esse statuit, quo Lacedaemonii Oenoam primum venerint, quadraginta fere, ut ipsi videtur, diebus post Plataeas oppressas. Cui sententiae ipsa Thucydidis verba repugnant, non solum quae leguntur II, 18, 1 *ὁ δὲ στρατὸς τῶν Πελοποννησίων προϊὼν ἀφίκετο τῆς Ἀττικῆς*

[1]) Secundum si Ungero credimus *Sitzungsberichte der k. b. Akademie* 1875 II p. 10.

[2]) Unger l. c. I p. 39 sq.

ἐς Οἰνόην πρῶτον, ᾗπερ ἔμελλον ἐσβαλεῖν, sed etiam quae leguntur II, 19, 1 *ἐπειδὴ μέντοι προσβαλόντες τῇ Οἰνόῃ .... οὐκ ἐδύναντο ἑλεῖν, ... ὁρμήσαντες ἀπ' αὐτῆς μετὰ τὰ ἐν Πλαταίᾳ γενόμενα ἡμέρᾳ ὀγδοηκοστῇ μάλιστα .... ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀττικήν.*

Iam hoc nostra in quaestione primum tenendum esse censeo, Plataeas oppressas esse vere idque extremis Anthesterionis diebus, octoginta diebus post *τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος* Lacedaemonios in Atticam invasisse. Haec autem Thucydidem qui omnia ipse viderat oblitum esse, cum quintum librum scriberet, omnino incredibile est. Altero igitur libro belli initium a Plataeis oppressis Thucydides computari voluit, cum multo simplicius videatur statuere, bellum Peloponnesiacum ab illo die incepisse, quo Atticam invaserint Lacedaemonii nec facile dubitari possit, quin aequales ab hoc die bellum initium cepisse putaverint. Hoc autem non sine artificio eum instituisse sagaciter exposuit Ullrichius.[1]) Quo artificio effectum est, ut cum omnia, sicuti facta essent, secundum aestates et hiemes narraret, viginti septem anni illi, per quos bellum fore iam initio praedictum erat (V, 26), pleni evaderent. Quodsi ab irruptione Lacedaemoniorum orsus esset, nec pleni fuissent anni usque ad Athenas traditas numerati nec res vere primi anni gestas belli narratione comprehendere potuisset. Atque ut V, 26, ita eiusdem libri c. 20 eo ipso loco, de quo agimus *αὐτόδεκα ἐτῶν διελθόντων καὶ ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν ἢ ὡς .... ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο*, belli initium numeravit a Plataeis oppressis Thucydides. Nam si extremis diebus Anthesterionis bellum Archidamicum initium cepit, confectum autem est decem annis post XXVI die Elapheboliónis, certo elucet, bellum fuisse per decem annos paucosque dies additos.[2]) Contra si bellum ab Archidami irruptione, quae *μάλιστα τοῦ*

---

[1]) Ullrich *Beiträge zur Erläuterung des Thucydides.* Hamburg 1846. p. 32 sq.

[2]) Sic enim verba *ἡμερῶν ὀλίγων παρενεγκουσῶν* interpretanda censeo secutus Boeckhium l. c. p. 77 et stud. epigr.-chronol. p. 151. 152, nec moveor eis, quae contra eum disputaverunt A. Mommsen *Beiträge zur griech. Zeitrechnung* p. 250 et Ungerus l. c. p. 46.

θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος facta est, libro quinto Thucydides initium cepisse statueret, quo sensu tum verba c. 20 accipienda esse putabimus? Bellum enim Archidamicum minime fuisset per decem annos compluresque dies: id quod Thucydides ipse affirmat. Itaque verba *ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου* ad res illas Plataicas spectare apparet. Quo magis mirandum, quod Thucydides dicit *ἢ ὡς τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ ἡ ἀρχὴ τοῦ πολέμου τοῦδε ἐγένετο.* Atque erant, qui verba *τὸ πρῶτον ἡ ἐσβολὴ ἡ ἐς τὴν Ἀττικὴν καὶ* interpolatori tribuenda esse censerent;[1]) quibus verbis deletis omnia optime quadrare intellexerunt. Attamen interpretandi illa verba simpliciorem viam patere puto. Secuntur enim continuo haec: *σκοπείτω δέ τις κατὰ τοὺς χρόνους . . . . κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας ἀριθμῶν, ὥσπερ γέγραπται, εὑρήσει, ἐξ ἡμισείας ἑκατέρου τοῦ ἐνιαυτοῦ τὴν δύναμιν ἔχοντος, δέκα μὲν θέρη, ἴσους δὲ χειμῶνας τῷ πρώτῳ πολέμῳ τῷδε γεγενημένους.* Clarissime indicat Thucydides illius belli Archidamici decem annos non tam a certo die (neque ab insidiis Plataeis structis neque a prima in Atticam irruptione) quam ab initio primae aestatis numeratos esse. Cum per decem annos compluresque dies bellum fuisse dicit, ipse numeravit a Plataeis oppressis: diserte tamen irruptionem illam Lacedaemoniorum ut gravissimum factum primi anni commemorat; quo commemorato quemvis lectorem annum facilius inventurum putavit. Licet igitur accurata dicendi ratio non sit, ferenda tamen.

Quoniam de initio belli diversa Thucydidis testimonia non exstant, iam ad belli confecti tempus transeundum est. Atque legimus haec V, 26: *γέγραφε δὲ καὶ ταῦτα ὁ αὐτὸς Θουκυδίδης . . . ., ὡς ἕκαστα ἐγένετο, κατὰ θέρη καὶ χειμῶνας, μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ ξύμμαχοι καὶ τὰ μακρὰ τείχη καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον· ἔτη δὲ ἐς τοῦτο τὰ ξύμπαντα ἐγένετο τῷ πολέμῳ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι,* et paullo infra: *εὑρήσει τις τοσαῦτα ἔτη λογιζόμενος κατὰ τοὺς χρόνους καὶ ἡμέρας οὐ πολλὰς παρενεγκούσας.* Per

[1]) E. H. O. Mueller de tempore, quo bellum Peloponnesiacum initium ceperit. Marburg 1852. p. 34.

viginti septem igitur annos compluresque dies gestum est bellum, incepit ab extremo fere die Anthesterionis: ut vere anni 404 bellum finitum et Athenas traditas esse iam eluceat e Thucydide, a quo Xenophontem non discedere supra vidimus, quippe qui postremum anni factum Athenas traditas commemoret. Hinc autem difficultas oriri videtur, si quidem Thucydides et Xenophon a Plutarcho discrepant, cum dies XVI Munichionis non tam ad prioris anni finem quam ad posterioris initium pertinere videatur. Attamen Thucydides, a quo per duos priores libros temporum rationem Xenophon mutuatus est, cum secundum aestates et hiemes omnia narret, ut ipse saepius indicat (II, 1; V, 20; V, 26) — quae divisio ex ipsa bellorum, qualia tunc erant, natura petita est —, non anxie certis diebus aut mensibus tamquam finibus tempestatum utitur neque ullo loco indicat quos anni dies fines esse aestatis hiemisque voluerit. Quamquam igitur eum aequinoctia, usitatos apud veteres harum tempestatum fines,[1]) in mente habuisse verisimile est, tamen liberiore modo initium veris modo in extremis hiemis modo in primis aestatis diebus collocat, saepiusque ne res per hiemem ductae quae vere finem capiebant, dissecaret, totas hiemi tribuit. Atque quam non certo termino discernantur aestas et hiems, multi loci indicant, quibus ver modo ad hiemem modo ad aestatem pertinere videtur. Ut plerumque primi aestatis dies verbis ἅμα δὲ τῷ ἦρι εὐθὺς τοῦ ἐπιγιγνομένου θέρους (IV, 117; V, 40; VI, 94; VI, 8; VIII, 61) legitime indicantur, ita non desunt loci, quibus ἅμα ἦρι verba invenimus, ubi facta hiemis narrantur (II, 103; V, 20). Quae eiusmodi sunt, ut per hiemem ducta primis veris diebus ad finem adducantur. Sed vereor, ne longior sim in re simplici: id certo ostendisse mihi videor, optime secundum temporum rationem Thucydidis et Xenophontis, ita ut a Plutarcho non dissentiant, Athenas traditas anno exeunti tribui posse.

Denique si forsitan miretur quispiam dies ab extremo fere die Anthesterionis usque ad XVI diem Munichionis a Thucydide paucos nominatos esse (V, 26 οὐ πολλάς): tenen-

[1]) Arist. probl. XXVI, 26 ἡ ἰσημερία μεθόριόν ἐστι χειμῶνος καὶ θέρους.

dum est, quod iam saepe monuimus, Thucydidem non tam secundum dies quam secundum aestates et hiemes omnia narrare. Praeterea dies illi ad solis cursum redacti non plus XX sunt (a die V mensis Aprilis usque ad XXV diem eiusdem mensis), ut decem annis additis re vera pauci dicantur.

Iam accedamus ad alteram quaestionem, quae est de tempore, quo triginta viri sunt instituti: quam ad solvendam praeter deditionis diem haec scriptorum testimonia exstant:

I. Lecti sunt triginta viri, priusquam autumnus fieret; illis enim lectis Lysander Samum profectus oppugnare insulam perrexit, qua tradita Lacedaemonem rediit *τελευτῶντος τοῦ θέρους* (Xen. H. G. II, 3, 9). Atque cum verisimile sit, triginta viris lectis Lysandrum non statim profectum esse, sed complures dies Athenis mansisse, eundem Samum reversum longius tempus consumpsisse in urbe oppugnanda rebusque omnibus Samiorum administrandis, ante extremam aestatem triginta viri lecti esse videntur.

II. Thrasybulus Phylam occupavit insequenti hieme; nam triginta viris contra eum proficiscentibus multa nix cadit. Xen. II, 4, 3 *ἐπιγίγνεται τῆς νυκτὸς χίων παμπληθὴς καὶ τῇ ὑστεραίᾳ.* Diodor. XIV, 32, 2 *ἐπεγενήθη πολὺς νιφετός*: ad quod factum spectant ipsa verba Thrasybuli *καὶ γὰρ ἐν εὐδίᾳ χειμῶνα ποιοῦσιν (οἱ θεοί), ὅταν ἡμῖν συμφέρῃ* (Xen. II, 4, 14).

III. Triginta viri per octo menses rei publicae praefuerunt. Hoc elucet ex oratione Cleocriti, qua habita postero die triginta viri imperio privantur: Xen. II, 4, 21 *καὶ μὴ πείθεσθε τοῖς ἀνοσιωτάτοις τριάκοντα, οἳ ἰδίων κερδέων ἕνεκα ὀλίγου δεῖν πλείους ἀπεκτόνασιν Ἀθηναίων ἐν ὀκτὼ μησὶν ἢ πάντες Πελοποννήσιοι δέκα ἔτη πολεμοῦντες.*

Quibus testimoniis comparatis primum eo adducimur, ut Grotii sententiam reiciamus, qui octo illos menses, quibus triginta viri rem publicam rexerint, inde ab Athenis captis numerandos esse censet, ita ut a mense Aprili usque ad Decembrem mensem dominatus illorum fuerit.[1]) Constat enim ex

[1]) VIII p. 49 *Their dominion continued, without any armed opposition made to it, for about eight months from the capture of Athens*

eis quae supra exposuimus, longius temporis spatium inter urbem captam et triginta viros institutos interfuisse.

Paullo digniores, quibus fidem habeamus, esse videntur Peterus [1]) et Scheibius,[2]) qui autumno eos institutos esse censent, quod quidem quibus causis permoti fecerint, accuratius videamus.

In Xenophontis historia Graeca narratur pace facta murisque a Lysandro dirutis postero anno triginta viros creatos esse; quibus nominatim appellatis additur *κατὰ δὲ τοῦτον τὸν καιρὸν περὶ ἡλίου ἔκλειψιν Λυκόφρων ὁ Φεραῖος βουλόμενος ἄρξαι ὅλης τῆς Θετταλίας τοὺς ἐναντιουμένους αὐτῷ τῶν Θετταλῶν, Λαρισαίους καὶ ἄλλους, μάχῃ ἐνίκησε καὶ πολλοὺς ἀπέκτεινεν.* Cum autem haec solis defectio die III mensis Septembris acciderit,[3]) Peterus (p. 43) Xenophontem putavit a vere anni, quo Athenas traditas esse constet repente transilire ad autumnum: sequi igitur triginta viros quoque autumno institutos esse. At haec de Lycophrone verba omnino praetermittenda sunt, cum a Xenophonte scripta non sint. Omnes enim, qui Xenophontem historiae Graecae auctorem ducunt, in hac re consentiunt, et multis interpolationibus verba scriptoris corrupta esse et praeter cetera omnes eas temporum annotationes, quibus olympiades, ephori, archontes, chronologica commemorantur, interpolatori tribuendas.[4]) Ad eas autem libri partes haec quoque de qua agitur annotatio pertinet, inde maxime suspecta, quod cum historia Graeca nullo modo cohaeret. Quamquam igitur facta quae narrantur vera esse negandum non videtur, a Xenophonte tamen narrata non sunt, nec quidquam ex loco quo posita sunt concludi potest. Quodsi

---

by Lysander — that is, from about April to December 404 B. C. Athenae enim secundum Grotium traditae sunt primis mensis Aprilis diebus (*about the beginning of April* VIII p. 21).

[1]) Carolus Peter commentatio critica de Xenophontis Hellenicis. Halis Saxonum 1837.

[2]) *Oligarchische Umwälzung.* p. 161 sq.

[3]) Ed. Heis *über die Finsternisse des Peloponnesischen Kriegs,* Koeln 1834.

[4]) cf. A. Brueckner de notationibus annorum in historia Graeca Xenophontis suspectis, Suidnicii 1838.

eorum sententiam probas, qui librum nobis traditum a Xenophonte ipso scriptum non esse, sed alium quendam Xenophontis librum excerpsisse nonnullaque ex suis addidisse putant,[1]) non dubitabis ipsi excerptori verba illa tribuere, qui ea loco minime apto inseruerit. Fundamentum igitur, quo nisus Peterus suam sententiam comprobare voluit, sublatum est.

Restat alius locus, ex quo Peterus et Scheibius concludunt cum triginta viri administratione rei publicae exuerentur et decem viri eis substituerentur iam aestatem fuisse. Nam quod Xenophon habet II, 4, 25 *προνομὰς δὲ ποιούμενοι καὶ λαμβάνοντες ξύλα καὶ ὀπώραν, ἐκάθευδον πάλιν ἐν Πειραιεῖ*: utrumque[2]) hieme fieri non potuisse Peterus putat (p. 47. 48), Scheibius (p. 161) iam tum „melius anni tempus“[3]) appropinquasse censet; quae conclusio si vera esset, triginta viros cum aestate etiam regerent, autumno vel hieme anni prioris institutos esse sumendum esset. Quod vereor ut recte ex illis verbis effecerint. *Προνομαί* enim cur hieme fieri nequeant, non video: neque enim minus hieme quam aestate milites frumentatum et pabulatum exire solent: quod si quis addubitet, legat Xen. H. G. I, 1, 33 *περὶ δὲ τούτους τοὺς χρόνους Ἆγις ἐκ τῆς Δεκελείας προνομὴν ποιούμενος πρὸς αὐτὰ τὰ τείχη ἦλθε τῶν Ἀθηναίων.* Haec autem exeunte anno id est hieme facta esse indicant verba quae paullo infra secuntur *τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει.* Similiter in anabasi Xenophon haec verba facit *ἀλλά μοι δοκεῖ σὺν προνομαῖς λαμβάνειν τὰ ἐπιτήδεια* (V, 1, 7): illam autem orationem habitam esse Martio fere mense constat. Denique Xen. H. G. IV, 1, 16 legimus *ἐνταῦθα μὲν δὴ διεχείμαζε καὶ αὐτόθεν καὶ σὺν προνομαῖς τὰ ἐπιτήδεια τῇ στρατιᾷ λαμβάνων.* His locis perspectis *προνομάς* etiam hieme fieri potuisse manifestum est.

---

[1]) cf. R. Grosser *über die unechtheit der Xenophontischen Hellenica in Neue Jahrbücher f. Phil. u. Paed.* 93. p. 721 sq.

[2]) Utrumque si recte intellego ad *προνομάς* et *ὀπώραν* spectat; nam quin hieme ligna peti possint et in Piraeo dormiri possit, nemo dubitaverit.

[3]) *dass zur Zeit der Auflösung der Dreissigherrschaft schon die bessere Jahreszeit eingetreten sein musste.*

Neque quae illi concluserunt ex verbo *ὀπώρα*, vera putanda sunt. *Ὀπώρα* enim significat fructus arborum et bacas, ut mala, pyra, ficos, uvas, omnes denique mollioris corticis fructus: aliud quid hoc vocabulo eo de quo agimus loco significari nequit probari.[1]) Itaque ex illis non tam „melius anni tempus" appropinquasse quam mediam aestatem vel potius autumnum eo tempore iam incepisse concludendum esset; quod quidem fieri nullo modo potest, nisi forte quis contendit triginta viros hieme institutos esse. Nec tamen intellego cur non hieme milites *ὀπώραν* petisse credantur. Nimirum non ex arboribus ipsis legebant, sed in horreis servata conquirebant.

Nec maioris momenti sunt verba, quae paullo infra secuntur *περιέτυχον δὲ καὶ τῶν Αἰξωνέων τισὶν εἰς τοὺς αὐτῶν ἀγροὺς ἐπὶ τὰ ἐπιτήδεια πορευομένοις* (II, 4, 26). Rus iverant ibique cibaria quaerebant Aexonenses; falcibus tamen armatos medio bello eos profectos esse, ut frumentum demeterent, verisimile non videtur.

Instituti igitur sunt triginta viri, ut supra demonstravimus, ante extremam aestatem, ademptum eis imperium est hieme octo mensibus intermissis. Cum vero Athenae traditae sint XXV die mensis Aprilis, medio fere Iunio triginta viri instituti esse videntur atque hinc usque ad primos dies mensis Februarii imperium tenuisse.

---

[1]) cf. Plat. leg. p. 844 D; Arist. probl. XXII, 1. 8; Plut. probl. Rom. 40; Galen. de alim. fac. 1; Aelian. epist. VII. VIII; Long. III, 33, 2. 3; IV, 2, 6.

In tabula quae sequitur comparantur sententiae de ordine rerum ex temporum ratione constituendo prolatae.

<table>
<tr><th></th><th>Verus rerum ordo</th><th>Rauchenstein</th><th>Scheibe (Curtius, Renner)</th><th>Grote (Stedefeldt)</th></tr>
<tr><td>anno 405 sub finem aestatis</td><td colspan="3">Pugna apud Aegospotamos commissa.</td><td>Pugna apud Aegospotamos commissa.</td></tr>
<tr><td></td><td colspan="3">Novi duces creantur.</td><td>Novi duces creantur.</td></tr>
<tr><td>autumno</td><td colspan="3">Initium obsidionis.</td><td>Initium obsidionis.</td></tr>
<tr><td></td><td colspan="3">Quinque ephori ab optimatibus instituuntur.</td><td>Legati ad Agidem, eidem ad ephoros missi Spartam intrare prohibentur.</td></tr>
<tr><td></td><td colspan="3">Clausis undique Athenis Lysander primum Samum avehitur.</td><td>In contione de pace agitur; prior Theramenis ad Lysandrum legatio.</td></tr>
<tr><td></td><td colspan="3">Legati ad Agidem, eidem ad ephoros missi Spartam intrare prohibentur.</td><td>Cleophon accusatur et interficitur. *)</td></tr>
<tr><td>hieme</td><td colspan="3">In contione de pace agitur; prior Theramenis ad Lysandrum legatio.</td><td>Theramenes apud Lysandrum tres menses moratus quarto redit Athenas.</td></tr>
<tr><td>a. 404</td><td colspan="3">Cleophon accusatur et interficitur.</td><td>Theramenes iterum legatus cum novem aliis Spartam mittitur.</td></tr>
<tr><td></td><td colspan="3">Theramenes apud Lysandrum tres menses moratus quarto redit Athenas.</td><td></td></tr>
<tr><td></td><td colspan="3">Theramenes iterum legatus cum novem aliis Spartam mittitur.</td><td></td></tr>
<tr><td></td><td>Optimatium et Agorati insidiae; contio Munichiae habita; duces populares capiuntur.</td><td>Peloponnesiorum de pace consilia.</td><td>Peloponnesiorum de pace consilia.</td><td>Peloponnesiorum de pace consilia.</td></tr>
<tr><td>vere</td><td>Peloponnesiorum de pace consilia.</td><td>Theramenes ceterique legati Sparta redeunt.</td><td>Theramenes ceterique legati Sparta redeunt.</td><td>Theramenes ceterique legati Sparta redeunt.</td></tr>
<tr><td></td><td>Lysander Samo relicta Athenas petit.</td><td>Die post reditum legatorum contio de pace habetur neque vero pax accipitur.</td><td>Die post reditum legatorum contione de pace habita pax accipitur.</td><td>Die post reditum legatorum contione de pace habita pax accipitur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Theramenes ceterique legati Sparta redeunt.</td><td>Optimatium et Agorati insidiae; contio Munichiae habita; duces populares capiuntur.</td><td>Lysander Samo relicta Athenas petit.</td><td>Lysandro muri navesque traduntur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Die post reditum legatorum contione de pace habita pax accipitur.</td><td>Altera contione de pace habita pax accipitur.</td><td>Lysandro muri navesque traduntur.</td><td>Statim ad cantum tibicinum muri dirui coepti; ut plane deiciant, Atheniensibus ipsis imperatur.</td></tr>
<tr><td>XVI Munich.</td><td>Lysandro muri navesque traduntur.</td><td>Lysander in Piraeum invehitur.</td><td>Atheniensibus ut muros deiciant die dicto imperatur.</td><td>Lysander primum Samum avehitur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Statim ad cantum tibicinum muri dirui coepti; ut plane deiciant, Atheniensibus ipsis die dicto imperatur.</td><td>Contio de re publica; triginta viri instituuntur.</td><td>Lysander iterum Samum proficiscitur.</td><td>Quinque ephori ab optimatibus instituuntur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Lysander iterum Samum proficiscitur.</td><td></td><td>Optimatium et Agorati insidiae: contio Munichiae habita; duces populares capiuntur.</td><td>Optimatium et Agorati insidiae; contio Munichiae habita; duces populares capiuntur.</td></tr>
<tr><td>aestate</td><td>Lysander Athenas ab optimatibus arcessitur.</td><td></td><td>Lysander Athenas ab optimatibus arcessitur.</td><td>Muri plane diruuntur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Contio de re publica; triginta viri instituuntur.</td><td></td><td>Ad cantum tibicinum muri diruuntur.</td><td>Lysander Athenas ab optimatibus arcessitur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Lysander tertium Samum avehitur.</td><td></td><td>Contio de re publica; triginta viri instituuntur.</td><td>Contio de re publica; triginta viri instituuntur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Duces populares interficiuntur.</td><td></td><td>Lysander tertium Samum avehitur.</td><td>Lysander iterum Samum proficiscitur.</td></tr>
<tr><td></td><td>Muri plane diruuntur.</td><td></td><td>Duces populares interficiuntur.</td><td>Duces populares interficiuntur.</td></tr>
<tr><td>extrema aestate</td><td>Lysander Samo expugnata Spartam redit.</td><td></td><td>Lysander Samo expugnata Spartam redit.</td><td>Lysander Samo expugnata Spartam redit.</td></tr>
<tr><td>anno 403 ineunte</td><td>Triginta viri imperio privantur.</td><td></td><td>Triginta viri imperio privantur.</td><td>Triginta viri imperio privantur.</td></tr>
<tr><td>II Boedrom.</td><td>Imperium populare instauratur.</td><td></td><td>Imperium populare instauratur.</td><td>Imperium populare instauratur.</td></tr>
</table>

*) Stedefeldtus Cleophontem accusatum et interfectum censet post pacem acceptam.

Druck von Pöschel & Trepte in Leipzig.

DE ARISTOPHANIS
EQVITVM
LYSISTRATAE THESMOPHORIAZVSARVM
APVD SVIDAM RELIQVIIS

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

GEORGIVS BVENGER

BVRGENSIS

ARGENTORATI

APVD CAROLVM I. TRVEBNER.

MDCCCLXXVIII.

GVILELMO · STVDEMVNDO

RVDOLFO · SCHOELLIO

PRAECEPTORIBVS

S.

§ 1.

Inter omnes scriptores Graecos in Suidae lexico citatos principem locum obtinet Aristophanes comicus. Tribus enim milibus quadringentis uno locis, si calculos recte adhibui, huius poetae fabulae citantur, et plus quinque milia uersuum ex undecim comoediis in Suidae scriniis adseruantur[1]). Atque ut appareat quantopere apud Suidam Aristophanes ceteros scriptores superet, hic adiciam quotiens nonnulli alii scriptores ab eodem lexicographo citati sint[2]):

Poetae:

Homerus locis 504 (ex Iliade 370, ex Odyssea 130), Hesiodus 43; Archilochus 13, Sappho 4, Alcaeus 11, Hipponax 8, Simonides 8, Pindarus 25; — Aeschylus 32, Sophocles 793 (in his ex Aiace 321 locis), Euripides 78.

Doricae comoediae:

Epicharmus 19, Sophron 5.

Antiquae comoediae:

Cratinus 76, Eupolis 58, Pherecrates 47, Plato comicus 36, Theopompus comicus 12, Crates 12, Phrynichus 11, Teleclides 10, Ampsias 6, Strattis 7, Callias, Metagenes, Nicophon 3, Archippus, Cantharus, Magnes, Philyllius 2, Chionides, Aristomenes, Aristagoras, Diocles, Polyzelus, Cephisodorus, Euthycles, Demetrius 1.

Mediae comoediae:

Alexis 17, Antiphanes 9, Eubulus 8, Anaxilas 4, Nicostratus 3, Ararus 2.

Novae comoediae:

Philemon 9, Menander 121. —

Poetae Alexandrini:

Theocritus 10, Lycophron 7, Callimachus 87, Babrius 61.

---

[1]) cf. Bernhardyum in Commentt. de Suidae lexico capite II pg. XLVII.

[2]) Indicem sequor Gaisfordianum.

Oratores et Rhetores:

Antiphon 69, Andocides 8, Lysias 91, Isocrates 52, Isaeus 58, Lycurgus 28, Hyperides 65, Demosthenes 241, Aeschines 37, Dinarchus 49. — Dionysius Halicarnassensis 35.

Historici:

Herodotus 281, Thucydides 208, Xenophon 221, Ephorus 6, Theopompus 17, Philochorus 30, Polybius 651, Diodorus 64, Iosephus 259, Plutarchus 10, Arrianus 97, Pausanias 22, Appianus 85, Dio Cassius 101; Eunapius 94, Procopius 192, Agathias 94, Georgius Pisides 72, Theophylactus Simocatta 101, Ioannes Antiochenus 63.

Philosophi:

Plato 187, Aristoteles 71, Theophrastus 23, Alexander Aphrodisiensis 82, Iamblichus 26, Synesius 77, Damascius 201; Diogenes Laertius 266; Lucianus 6, Philostratus 82, Artemidori Onirocritica 72.

Grammatici:

Herodianus 12, Ioannes Philoponus 75, Theodoretus 157; denique Aelianus 400, Athenaeus 66.

De nonnullis ex eis scriptoribus, quos excerpsit Suidas, dudum a uiris doctis quaesitum est: uelut glossas ex Sophoclis tragoediis scholiisque Sophocleis descriptas collegit Hoepfnerus [1]); uberius et accuratius scholia Sophoclea a Suida seruata tractauit in praefatione ad horum scholiorum editionem [2]) G. Dindorfius, qui *Suidam libro usum esse* demonstrauit, *qui similis fuerit ei, ex quo G* (Florentinus Abbatiae 2725) *originem duxit* [3]); Polybii et Appiani multos locos, quos Suidas lexico suo inseruit, emendauit et illustrauit Schweighaeuserus ad calcem Polybii, cuius parauit editionem, tomi primi et in Emendationum et Obseruationum in Suidam tomo primo; denique de Suidae lexicographi usu ad crisin et interpretationem librorum sacrorum epistulam scripsit Toupius ad Fr. Schleusnerum. Contra Aristophanis fabularum apud Suidam memoriam nemo adhuc continua oratione ita tractauit, ut a Suida

[1]) in Annalium qui inscribuntur: „Neues Magazin für Schullehrer" tom. I, II.

[2]) pg. V.

[3]) cf. Bernhardyum in Commentt. de Suidae lexico pg. XLVIII.

quaestio proficisceretur omnisque disceptatio ad Suidam referretur.

Neque tamen me fugit Kusterum [1]), Toupium [2]), Hemsterhusium [3]), Valckenarium [4]) et quotquot Angli, Batavi, Francogalli [5]), Germani Suidae lexico uel edendo uel illustrando operam nauauerunt, eius auctoritatem maxime in Aristophanis fabulis summo opere laudauisse, satisque notum est saepissime eos qui comici illius fabularum uel omnium uel singularum editionem parauerint, ex Suidae lexico deprompsisse, si quid ad emendandos illustrandosue poetae uersus usui ipsis esse uideretur. Attamen horum uirorum doctorum adnotationes sunt adeo dispersae atque disiectae, ut si quis eas ex uariis libris commentariisque collectas atque dispositas publici iuris fecerit, optime is de Suida et de Aristophane meriturus sit; omne autem in hac re is uidebitur tulisse punctum, qui qualis Aristophanes in Suidae lexico nobis obuiam fiat et qualem prae se ferat uultum faciemque, et quid inde in uniuersum comici fabulis utilitatis et emendationis redundare possit, omnibus ex partibus indagarit et peruestigarit. Atque ego cum non ignorem, quantum me uires deficiant et totius antiquitatis accurata cognitio, qua ad tale opus perficiendum carere nequeas, tamen ueniam me impetraturum spero, si auctoritatem lexici Suidani ad fabulas Aristophanis rectius intellegendas, ad emendandum comoediarum contextum, ad scholia denique in eas conscripta illustranda augendaue, quantum possim, in quaestionem uocare audeam.

---

[1]) in praefatione ad Suidae lexicon compluribus locis.

[2]) in praefatione ad Emendationes in Suidam.

[3]) H. Suidam sedulo comparauit et eum usum esse codice scholiorum in Aristophanem pleniore et castigatiore dicit ad Plut. pg. 16 adnot. 23 et pg. 452 adnot. 61.

[4]) in Diatriba Euripidis Hippolyto adiuncta pg. 204 et ad Theocriti Adoniazusas pg. 297 Valck. monuit cum alias partes apud Suidam largiores extare tum uetera in Thesmophoriazusas scholia, quae tum desiderabantur, ex illo colligi posse.

[5]) Maussacus in dissert. crit. pg. 396 in Suida se ait lectitando et uigilando comperisse et didicisse magnam partem scholiorum, quae in tragicos et comicos circumferrentur, contineri.

Aristophanis codices uetustissimi, R(auennas) et *V*(enetus), ad saeculum undecimum et duodecimum pertinere putantur. De Suidae autem aetate certi nihil traditur. Vt omittam ea, quae protulerunt Angelus Politianus [1]), Petrus Alcyonius [2]), Thomas Reinesius [3]), qui nullum unquam fuisse Suidam opinabantur, iure ac merito Fabricius [4]):

Suidam vere extitisse, inquit, *nec nomen eius fictitium esse, non solum evincunt codices manuscripti Lexici huius, in quibus Suidae vel Sudae nomen comparet sed etiam Eustathius, qui Suidam aliquotiens laudat: ad Il. Α′* pg. 834 [5]) *(edit. Roman.), ad Od. α′* pg. 1403, *α′* pg. 1406, *β′* pg. 1441, *γ′* pg. 1469, *ε′* pg. 1528, *ζ′* pg. 1554, *η′* pg. 1571, *σ′* pg. 1851.

Vehementer autem olim de aetate huius lexicographi dissensere uiri docti, quorum diuersas sententias recenset Fabricius l. c.; nunc post accuratissimas Reinesii [6]), Pagii [7]), Saxii [8]), Bentlei [9]), Bernhardyi [10]) disquisitiones hac in re collocatas Suidam medio fere saeculo decimo lexicon suum composuisse statuendum erit. Vnde sequitur, ut fons ille ex quo Suidae fragmenta Aristophanea fluxerint uetustior fuerit omnibus quotquot adhuc innotuerunt codicibus Aristophaneis. — Codicum [11]) uero a Kustero Gaisfordio Bernhardyo ad crisin lexici Suidani adhibitorum, quantum ex discrepantiis in ipsis fragmentis Aristophaneis inter eos occurrentibus perspicere

---

[1]) lib. XI epist. XX.

[2]) lib. II de exilio pg. 213.

[3]) lib. III Variarum lectt. pg. 361.

[4]) Bibl. Graec. uol. VI pg. 391.

[5]) Ex hoc loco: τὸ δὲ (ἴννος) ἐν τῷ κατὰ στοιχεῖον μεγάλῳ βιβλίῳ τοῦ Σουΐδα κτλ. simul apparet Suidae lexicon Eustathii temporibus satis amplum fuisse librum.

[6]) Obseruatt. in Suidam pg. XII.

[7]) Critic. Baron. ad an. 975 n. XIX.

[8]) Onomast. litter. uol. II pg. 154.

[9]) ad Phalarid. pg. 159.

[10]) Commentt. de Suidae lexico cap. I 2.

[11]) Vetustissimum lexici Suidani fragmentum adseruatur Londini, liber Suda qui appellatur, latine exaratus et septuaginta unum locos historicos et sacros complexus; is pictus est iussu Roberti episcopi Lincolnensis saeculo XIII. cf. V. Rose in Hermae V 115 sq.

licet, duae discernendae sunt familiae: una Parisini (2625, 2626) A optimae notae, qui saeculum XIII[um] attingit, V(ossiani Leidensis), quem Bernhardyus primarium Suidae librum existimat, Oxoniensis C saeculi XV[i]. Hi tres libri etsi uariis de causis multifariam inter se discrepant, opponendi sunt codicibus B i. e. Parisino 2622 saeculi XIV[i] et E i. e. Bruxellensi a. 1475 exarato, quem ex B descriptum esse demonstrant uitia frequentissima his duobus communia[1]) scripturaeque eae, quae in E aliquanto magis uitiatae comparent quam in B[2]). Atque ex priore codicum genere A plerumque genuinam Suidae scripturam repraesentat, cum V et in primis C haud raro correctoris manum perpessi sint modo ex ipsis codicibus quibusdam Aristophaneis modo ex sua coniectura Suidae scripturam immutantis uel emendantis.

§ 2.

Quodsi quaerimus, unde fragmenta illa Aristophanea per totum lexicon dispersa et singulis glossis subiuncta manauerint, grauissimum nobis obuiam fit Suidae ipsius testimonium s. gl. *Ἀριστοφάνης* hoc: . . . *Δράματα δὲ αὐτοῦ μδ', ἅπερ δὲ πεπράχαμεν Ἀριστοφάνους δράματα ταῦτα· Ἀχαρνεῖς, Βάτραχοι, Εἰρήνη, Ἐκκλησιάζουσαι, Θεσμοφοριάζουσαι, Ἱππεῖς, Λυσιστράτη, Νεφέλαι, Ὄρνιθες, Πλοῦτος, Σφῆκες.* Nempe cur haec uerba a Suida aliunde sumpta et pro proprio iudicio uendita esse existimemus, omnino nulla potest causa inueniri; immo uoce

[1]) Veluti Eq. 281 *δραμὼν* BE, *ἐσδραμὼν* AVC ‖ 635 *βερέσχελοι* BE, *βερέσχεθοι* AVC ‖ schol. ad 662 (Eccles. 56) *ἔβη τότε* BE, *ἔβηττε* A recte, *ἔβιττε* VC ‖ 721 *τί γε* BE, *τουτίγε* AVC ‖ 1189 *ἐνετριτάνισε* BE, *ἐνετριτώνισε* AVC.

Thesmoph. 138 *κεκρυβάλῳ* BE, *κεκρυφάλῳ* AVC ‖ 573 *σιγᾶ δ'* BE, *σιγᾶθ'* AVC ‖ 863 *πρὸς τῆς* BE, *πρὶν τῆς* AVC ‖ 1059 *αὐτῶ δὸς* BE, *ἀντῳδὸς* AVC ‖ 1066 *διαφέρουσ'* BE, *διφρεύουσ'* AVC.

Lysistr. 687 *ὠργισμένως* BE, *ὠργισμένων* AVC ‖ 811 *ἀπορράξ* BE, *ἀπορρώξ* AVC ‖ 1151 *κατωνάκτας* BE, *κατωνάκας* AVC.

[2]) Veluti Eq. 757 *λόγους* AVC, *λόχους* B, *λόφους* E.

Lysistr. 45 *κιμβέρικ'* AVC, *κιμμέρικ'* B, *καὶ μέρικ'* E ‖ 171 *πείσειε* AVC, *πείσει* B, *πείσοι* E.

πεπράχαμεν docemur Suidam ipsum has XI Aristophanis fabulas lectitasse ipsumque excerpsisse. De uocum enim *πράττειν πραττόμενος πρᾶξις* apud Byzantinos usu Meinekius[1]): *Tzetzes*, inquit, *Proleg. ad Lycophr. pg. 256: κωμῳδοὶ πραττόμενοι Κρατῖνος, Εὔπολις, Φερεκράτης, Ἀριστοφάνης καὶ ἕτεροι; Suidas s. v. Ἀριστοφάνης· δράματα δὲ αὐτοῦ κτλ. Quibus locis quid πράττεσθαι significet cum me ignorare dixissem*[2]), *opportune I. Geelius*[3]) *uir clarissimus in Bibl. crit. IV pg. 20 et Lobeckius Aglaoph. pg. 567 πρᾶξιν de librorum lectione et interpretatione dici monuerunt. Itaque Cratinus ὁ πραττόμενος est cuius fabulae leguntur et explicantur*[4]). Ergo infeliciter Kusterus *πεπράχαμεν* in *εὑρήκαμεν* mutari uoluit. Immo dilucide hinc apparet Suidam in condendo lexico suo usum esse libro manuscripto non pluribus quam quae nobis innotuerunt integrae Aristophanis fabulis instructo. Nam quae sparsim apud Suidam adnotatae sunt uariae lectiones, ueluti ad Eq. 4 *γράφεται δὲ καὶ εἰσέφρησε*, ubi in uersu ipso *εἰσήρρησε* extat, et ad Eq. 877 *οἱ δὲ Γρύπον λέγουσι διὰ τοῦ π*, ubi in uersu ipso legitur *Γρύττον*, eas sine dubio iam in codice suo Aristophaneo notatas repperit[5]), nec licet inde concludi Suidam ipsum eas uarias scripturas ex alio alius familiae codice adnotasse.

Accedit aliud, unde Suidam ipsum perlegisse ipsumque

---

[1]) Fragm. Com. Graec. I pg. 560 ad Scholiastae Dionysii Thracis (cf. Bekker. Anecdd. pg. 747) uerba: *ἐπίσημος δὲ Κρατῖνος ὁ καὶ πραττόμενος*.

[2]) Quaestt. Scaen. spec. II pg. 2.

[3]) *Ibi quod haeret* (Meinekius) *in uerbo πράττειν ... hanc habeat e margine desumptam notulam Hemsterhusii: verte: quae autem tractauimus Aristophanis dramata haec sunt. Mihi praeterea uidetur scholiorum conscriptio et interpretatio in grammaticorum ludis significari.*

[4]) cf. Schweighaeuserum in Indice ad Epictetum, Fabricium ad Marin. Vit. Procli c. 22 (pg. 114), Cobetum obss. in Plat. com. rel. p. 56, Bernhardyum Hist. Litt. Graec. I^4 § 88, 2: *Die gelesenen und besonders die classischen Autoren hiessen damals (VI. VII. VIII. Jahrh.) οἱ πραττόμενοι, die Lectüre πρᾶξις, commentirt und fleissig studiert werden ist πράττεσθαι.*

[5]) ad Eq. 4 in *VΘ* similiter adnotatum est *ἐν ἐνίοις δὲ ἀντιγράφοις εἰσέφρησε γράφεται.*

excerpsisse fabulas Aristophanis appareat. Etenim s. gl. *Ἐποποῖ* Suidas epiphonemata ab Aristophane formata adhibitaque ita congessit, ut ab Auium fabula, in qua maximam uim pulcherrimarum exclamationum reperias, proficisceretur. Hic autem est ordo epiphonematum:

ἐποποῖ Av. 58, *ἐποποῖ ποὶ ποποὶ ποποὶ ποποὶ* ib. 227, *τιό τιό τιό τιό τιό τιό τιό τιό* ib. 237, *τριοτό τριοτό τοτοβρίξ* ib. 243, *δεῦρο δεῦρο δεῦρο δεῦρο δεῦρο τορό τορό τοροτίξ κικκαβαῦ κικκαβαῦ τοροτοροτολιλίγξ τοροτίγξ* ib. 259—62, *τί τί τί τί τί τί τιό τιό τιοτίγξ . τιό τιό τιό τιοτίγξ* ib. 738, *ποῦ ποῦ 'στι; ποῦ; ποῦ ποῦ 'στι; ποῦ; ποῦ ποῦ 'στι; ποῦ;* ib. 1122, *ποῖ ποῖ ποῖ* ib. 1199, *εὐράξ πατάξ* ib. 1258, *ὠόπ* ib. 1394, *βαβαιάξ* Ach. 64, *στριβιλικίγξ* ib. 1035, *ἀτταταῖ ἀτταταῖ* ib. 1190, *ἰατταταιὰξ . . . ἰατταταῖ* Eq. 1, [*ῥυππαπαῖ* Ran. 1074], *ἱππαπαῖ* Eq. 602, *βαβαὶ βαβαιάξ* Pac. 248, *οἴμοι* ib. 280, *ὢ εἶα* ib. 461, *φῦ φῦ* Lys. 294, *σοῦ σοῦ* Vesp. 209, *ἀππαπαῖ παπαιάξ* ib. 235, *αὖν αὖν* ib. 903, *βομβάξ* Thesm. 45, *βομβαλοβάξ* ib. 48, *ἀτταταταταταῖ* ib. 223, *μῦ μῦ* ib. 231, *ἰαππαπαιάξ* ib. 945, *ἰαῖ εὐαῖ, εὐοῖ εὐαῖ, εὐαῖ εὐαῖ εὐά εὐά* Eccl. 1179—1182. Vides quam seuere Suidas in enotandis his epiphonematis uersuum ordinem seruarit, idemque comparet ubicunque Suidas complures eiusdem fabulae uersus sub eadem glossa coniunxit, ueluti s. gl. *Γλίσχρον* citantur hoc ordine Pac. 192 et 485, item s. gl. *Γνώμη* Nub. 170 et 431, s. gl. *Κόψιχος* Av. 807 et 1081, s. gl. *Κυκλίων* Nub. 332 et 966 alia, ut nulla possit remanere dubitatio quin Suidas XI illas fabulas ipse perlegerit et quae sibi notabilia obuiam fierent in schedas suas transsumpserit.

§ 3.

Iam qualis fuerit is, quo Suidas usus est, codex undecim fabularum Aristophanearum, quaesiturus priore loco de ipsis uerbis uel uersibus Aristophanis, posteriore de scholiis in singulas fabulas conscriptis uerba faciam et quid quoque loco Suidae auctoritati tribuendum sit exponam. Scholia enim singulis fabulis adscripta cum fabularum contextu omnino non

ita cohaerent aut coaluerunt, ut lemma aut explicatio ubique cum contextu congruat[1]).

Ex undecim autem, quae integrae adhuc extant, fabulis ut tres tractandas eligerem, Equites, Thesmophoriazusas, Lysistratam, hoc me commouit, quod harum tantum comoediarum in manibus nostris est accurata cum codicibus collatio. Adolphus de Velsen enim anno h. s. LXVIIII undecim fabularum Aristophanis nouae recensionis tanquam promulsidem Equitum fabulam publici iuris fecit, tum a. 1871 in libello qui inscribitur: „Ueber den Codex Urbinas der Lysistrata und der Thesmophoriazusen des Aristophanes“ Vrbinatem illum librum ex quo editio princeps harum fabularum, Iuntina prima anni 1516, exscripta est et cuius posthac fata crassis tenebris obruta latebant, nullum esse alium quam Rauennatem certissimis euicit argumentis[2]); quam ad sententiam comprobandam Rauennatis et Iuntinae scripturas ab Engero, qui postremus has duas fabulas recensuit, ut diuersas prolatas maximam partem congruere omnibus quae huc pertinebant exemplis demonstrauit, quibus locis uerae discrepantiae inter R^em et Iuntinam extarent enotauit, unde ortae essent aperuit. Denique a. 1878 idem A. de Velsen Thesmophoriazusas apparatu critico instructam edidit.

---

1) Velut Eq. v.	230	ἐξῃκασμένος	codd.	ἐξεικασμένος	scholia
	278	ἐγὼ δείκνυμι	„	ἐγὼ 'νδείκνυμι	„
	975	ἀφικνουμένοισι	„	ἀφικνουμένοις	„
Thesmoph. v.	39	λεώς	„	λαός	„
	179	κοινῇ	„	καινῇ	„
	273	ὑποκράτους	„	ἱπποκράτους	„
	356	λεγούσαις	„	λεγούσας	„
	•834	τηνίοισι	„	στηνίοισι	„
	910	ἀφύων	„	ἰφύων	„
	947	πέσωμεν	„	παίσωμεν	„
Lys. v.	63	θεαγένους	„	θεογένους	„
	282	ἀσπίδων	„	ἀσπίδας	„

cf. Dindorf. praef. uol. III, 1 pg. VIII—IX, et O. Langii Variae lectiones in scholiis Aristophaneis latentes (Gryph. 1872), qui hanc rem non penitus exhausisse uidetur.

2) cf. W. G. Clarkius, Journal of Philology uol. III nr. V pg. 159 sqq.

Vespas uero, cuius fabulae nouissimam editionem parauit R. B. Hirschig adiuncta noua Veneti collatione Cobetiana, ne huic quaestioni subicerem, monuerunt me Velseni[1]) uerba: *„Jetzt finden sich bei Hirschig die handschriftlichen angaben zu R secundum Invernizium und secundum Bekkerum, und zu V secundum Bekkerum und secundum Cobetum. Wenn dazu noch ein oder gar zwei secundum kämen, so würden diejenigen, welche sich mit der kritik des Aristophanes befassen, erst recht nicht wissen, was in den handschriften — — denn eigentlich für lesarten enthalten sind.“* — Eae autem collationes, quibus uel minimae codicum discrepantiae contineantur, quam necessariae quantoque usui sint ad tales quaestiones cum aliquo fructu instituendas, ipse perspexi, postquam quae Albertus de Bamberg de Rauennate et Veneto Aristophanis codicibus Lipsiae 1865 docte ac sollerter scripsit, perlegi; etenim tot in hoc libello occurrunt falsae, si cum Velseni collatione comparaueris, lectiones, quas ad comprobandam suam de illorum codicum pretio et de origine Veneti sententiam artificiose excogitatam protulit, ut imbrem in cribrum legere mihi uiderer, si plures quam has tres fabulas huic disquisitioni subicerem.

LIBER PRIOR.

CAPVT PRIMVM.

§ 4.

Atque ut ab Equitibus ordiar, citatur haec fabula omnium saepissime, locis 469, uersusque ex ea deprompti apud Suidam leguntur 507, ut plus tertia parte fabulae ab eo adseruatum sit. Qua in tractanda libellum adhibui academicum Rudolphi Schneei: de Aristophanis codicibus capita duo (Halis 1876), cuius capite priore in Equitibus, capite posteriore

[1]) Philolog. XXIV pg 129.

in Nubibus qualis fuerit codicum adhuc extantium origo auctoritasque cum docte ac sollerter disquisitum atque perpensum sit, non alienum erit quid in priore fabula de codicibus eruerit uir ille doctus hoc loco breuiter afferre:

1. *V*(enetum) neque ex R(auennate) neque ex eius archetypo deriuatum esse neque omnino cum R[e] cognatum esse.
2. Codices *A* (Parisin. Reg. 2712 saec[i] XIII[i]),
   Γ (Florent. plut. 31, cod. 15 saec[i] XIV[i]),
   Θ (Laurent., abbatiae olim Florentinae 2779, 140 saec[i] XIV[i]),
   Δ (Laurent. plut. 31, cod. 16 saec[i] XV[i] uel XVI[i])
   ex uno eodemque fonte fluxisse.
3. Codices *AΓΘΔ* a Veneti archetypo uel a codice aliquo ex hoc descripto prodiisse.
4. Codicem *P* (Vaticano-Palatinum 128 saec[i] XV[i]) originem ex libro aliquo duxisse, qui *V*[i] archetypo fuerit consimilis.
5. Codicem *M* (Ambrosianum L. 39 sup.) contaminatum esse ex R[e] et archetypo codicum *AΓΘΔ*.
6. Tota hac quaestione id efficere uult Schnee, ut statuatur *indignum esse* R[em] *praepotenti ista dignitate, quae ei adhuc a uiris doctis addici soleat;* immo codices *AΓΘΔ—P*, quos deteriores appellare adhuc soliti sint uiri docti, una cum *V*[o] ad constituendum comici textum esse adhibendos.

Atque quae quattuor prioribus locis proposuit Schnee, quamquam certa non sunt, aliqua probabilitatis specie commendari uidentur; at quae de codicis *M*[i] recensione protulit, ea scrupulum mihi iniciunt et infra paulo accuratius examinanda erunt. —

Iam quoniam Aristophanis apud Suidam memoriam ex codice aliquo undecim fabularum fluxisse statuimus, huius codicis tanquam uultum et auctoritatem ita adumbrare conabimur, ut uersus Aristophaneos, quales a Suida traduntur, cum eis, quos nunc habemus, libris manuscriptis Aristophanis comparemus; cumque propter ipsius Suidae aetatem ex codicum

adhuc extantium nullo Suidae Aristophanea fluxisse queant, id potius in quaestionem uocetur oportet, cui codici uel cui codicum generi Suidas consimilis reperiatur. Sed antequam hoc aggrediamur, afferendi sunt ei loci ex Equitum fabula, quorum corruptae lectiones omnibusque nostris codicibus communes ne a Suidae quidem codice Aristophanis afuerunt. Itaque

v. 89 *κρουνοχυτρολήραιον εἶ* S(uidas)-R-*V-M-ΑΔΘΓ*[1])-*P*, correxit *κρουνοχυτρολῃραιονεῖ* A. Reifferscheid in indice lectionum Vratislauiensium a. 1869/70. pg. 5.

v. 159 *Ἀθηναίων* S cum mss., metro consuluit Bergkius scribendo *Ἀθηνέων*[2]).

v. 196 *ἠνιγμένος* recte uidetur Meinekius[3]) in *ἠνιγμένα* emendasse.

v. 262 *διαβαλὼν* correxit Casaubonus in *διαλαβὼν*,

v. 270 *ἐκκοβαλικεύεται* Toupius in *κἀκκοβαλικεύεται*.

v. 276 pro *τήνελλος εἶ*, quamquam legitur hic uersus apud Suidam s. gl. *Τήνελλα*, Kockius *τήνελλά σοι* restituit.

v. 290 *ἀλαζονείας* correxit Elmsleius[4]) in *ἀλαζονείαις*, quod probatum est editoribus.

v. 326 *ἀμέλγεις* (*ἀμέλγει* R) correxit Bothius in *ἀμέργεις*.

v. 360 pro *ἐκροφήσεις* Elmsleius medialem formam *ἐκροφήσει* Aristophani restituit.

v. 418 ut in omnibus nostris codicibus sic apud Suidam legitur *λέγων* deficiente thesi pedis quinti tetrametri iambici catalectici, quam librarius codicis C (Suidae) et sec. man. *Δ* ita reparare studuerunt, ut ponerent *ἐπιλέγων*, quod miror Dindorfio probatum esse; *ἂν* addidit Bernhardyus, recepit Velsenus; uidetur tamen *λέγων* glossema esse pro inusitatiore quadam dicendi notione[5]).

v. 628 *ἐρείδων*, quod praecedenti *ἤρειδε* debetur, Brunckius in *ἐρείπων* correxit[6]).

---

[1]) *κρουνοχυτρολήραιος εἶ* sec. *Θ*, sec. *Γ*.

[2]) *Ἀθηνῶν* Dawesius Miscell. pg. 245.

[3]) Vindd. Aristoph. pg. 53.

[4]) ad Soph. O. C. pg. 287.

[5]) an *λογοποιῶν* scribendum est?

[6]) *ἐρίζων* Kusterus, *ἐρεύγων* Thierschius, *ἐρείκων* Bergkius.

v. 635 *Μόθωνες* emendauit Kusterus in *Μόθων*.

v. 981 pro *γένοιθ'*, quod numeris obuersatur, reposuit Scaligerus *'γένεθ'*.

v. 1206 *ὑπεραναιδεσθήσομαι* nescio an iure Elmsleius[1]) in *ὑπεραναιδευθήσομαι* mutauerit.

v. 1311 pro *δοκῶ* Bentleius recte *δοκεῖ* posuit.

v. 1401 pro *λοῦτρον* (*λουτρὸν V*) *λούτριον* numeris accommodatum restituit Elmsleius.

His uitiis Suidae cum uniuersis codicibus Aristophaneis communibus apparet non omnino diuersum fuisse Suidae codicem Aristophanis ab eis quibus nunc uti licet, immo ad unum eundemque archetypum omnes esse reuocandos.

§ 5.

Quoniam autem R et propriis uitiis et bonae notae lectionibus a ceteris codicibus uehementer discrepat, ceteri uero libri manuscripti ita inter se cohaerent, ut ad eundem fontem referendi sint, primum uideamus quae intercedat ratio inter Suidam et codices *V-P-ΑΓΘΔ*; quorum tres sunt discernendae familiae:

Codices *ΑΓΘΔ*, inter quos Parisinus *A* tamquam uno gradu uetustior est reliquis, ex eodem archetypo manasse intelleges, si obiter scripturas falsas et correctiones his quattuor communes adspexeris. Sed neque cum *A* neque cum tota hac familia Suidae codicem necessitudine quadam coniunctum fuisse inde apparet, quod et *A* codicis propria uitia[2]) et totius familiae menda[3]) apud Suidam desunt; seruauit tamen Suidas una cum his codicibus rectam illam scripturam in v. 289 *τὸ*

---

[1]) ad Eurip. Heracl. 387.

[2]) 152 *τὸν λεὼν A*, *τοὐλεὸν* S ‖ 400 *μὴ* om. *A*, habet S ‖ 635 *βερέσχεθοί τε* om. *A*, habet S ‖ 793 *γυπρίοις A*, *γυπαρίοις* S ‖ 807 *παρακόπτου A*. *παρεκόπτου* S894 *καλὸν A*, *καυλὸν* S ‖ 924 *ἰπιούμενος A*, *ἰπούμενος* S ‖ 1121 *γνώμαις A*, *κόμαις* S.

[3]) 611 *γεν(ν)ικώτατε ΑΓΘΔ*, *νεανικώτατε* S ‖ 982/83 uerborum ordo perturbatus est in *ΑΓΘΔ*, rectum ordinem exhibet S ‖ 989 *μόνον ΑΓΘΔ*, *πόνην* S ‖ 1053 *καρκίνους ΑΓΘΔ*, *κορακίνους* S.

νῶτον, ubi *τον νότον* R, *τὸν νῶτον VP, τὸ νῶτον* post *τὸ* rasura una littera deleta *M* exhibent.

Neque maior consensus deprehenditur inter Suidam et codicem *P*, cuius quae propriae sunt falsae ac peruersae lectiones omnino non reperiuntur apud Suidam[1]).

Iam uideamus num consensus inter Suidam et Venetum codicem deprehendi possit. Atque ut omittam minutias orthographicas, quibus in eo libro saepissime peccatum est, grauiora quae V^1 propria sunt uitia frustra apud Suidam quaeras, uelut:

248 *φάλαγγα V*, *φάρυγγα* (*φάραγξ* in explicatione addita) S || 821 *μὴ* omissit *V*, habet S || 1187 *κἀκπιεῖν V*, *καὶ πιεῖν* S || 1363 *κρεμάσας V*, *ἐκκρεμάσας* S.

Adde quod in v. 1369 pro V^1 scriptura *ὁπλίτης*, quam auctore Thierschio[2]) Dindorfius Meinekius Velsenus receperunt, Suidas cum reliquis codicibus *ὁ πολίτης* exhibet; uidetur igitur scripturam *ὁπλίτης*, si modo probabilis est, unus *V* fideliter seruasse.

His quibus Suidas a V^0 discrepat unum locum licet opponere quo ueram scripturam una cum eodem retinuit: in v. 56 enim uterque pro *περιδραμὸν*, quod reliqui codices leui errore exhibent, recte *παραδραμὼν* seruauit. — His igitur comparatis Suidam ne cum Veneto quidem artiore uinculo coniunctum esse statuendum erit.

Denique ut manifestum fiat a toto illo genere codicum *V-P-ΑΓΘΔ* Suidae codicem esse separandum, et menda a

---

[1]) ueluti 369 *θρανεύεται P θρανεύσεται* S || 399 *παραστηκότος P παρεστηκότος* S || 518 *ἐπαιτίους P ἐπετείους* S || 523 *ψανίζων P ψηνίζων* S || 528 *προθελυμίνους P προθελύμνους* S || 571 *δέ ποτε P δέ που* S || 682 *κοριάνναν P κοριάννοις* S || 693 *μορμῶν P μορμὼ* S || 794 *βλίττοις P βλίττεις* S || 864 *θηρευόμενοι P θηρώμενοι* S || 895 *γὰρ ἄξιον P τὸν ἄξιον* S || 1032 *χάσκοις P χάσκῃς* S.

[2]) in Actt. Acad. Bauar. ann. 1835 I pg. 700.

codicibus *P-ΑΓΘΔ* admissa[1]) et uitia uniuerso huic generi *V-P-ΑΓΘΔ* communia[2]) a Suidae codice omnino afuisse moneo.

Duos tantum locos his opponere licet: Legimus enim in v. 924 apud Suidam *ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς,* cui simillimum in *Α* legitur *ἰπιούμενος*[3]) *ταῖς συμφοραῖς,* cum ceteri codices Aristophanis *ἰπούμενος ταῖς εἰσφοραῖς* exhibeant; at uerba *ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς* comparent etiam apud Etym. Mg. 473, 31: *καὶ Ἀριστοφάνης· ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς* et apud Zonaram s. v. *Ἰπούμενος* (I, 1118); apud Pollucem denique (VII, 41) haec leguntur:

δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην,
ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς.

Ἀριστοφάνης πού φησι, καὶ Κρατῖνος ἰποῦμεν ἐν Κλεοβουλίνῃ[4]). Itaque hic non tam consensum Suidae cum codice *Α* agnoscemus, sed uulgatam quandam scripturam et oriundam ex Cratini uersu, quem hoc loco expilasse Aristophanem uel imitatum esse non temere statuerunt Casaubonus Brunckius Meierus[5]). Vtroque autem loco, et in *Α* et in eo quo utebatur Suidas codice, *συμφοραῖς* glossema margini adscriptum in comici contextum irrepsisse uidetur[6]).

Altero loco, v. 983, quod apud Suidam *δύο* falso una cum codicibus *ΑΓΘΔ* legitur pro *δύω,* huic mendo quippe ex eadem librariorum incuria profecto uix quicquam momenti tribuendum uidetur.

§ 6.

Transeamus ad codicem R(auennatem), qui alterius codicum Aristophaneorum generis exemplum est unicum.

---

[1]) 530 *ἤνθησ' ἐκεῖνος ΑΓΘΔ ἤνθησε κεῖνος P ἤνθησεν ἐκεῖνος* S ‖ 538 *μικρᾶς ΑΓΘΔ-P σμικρᾶς* S ‖ 884 *οὐδέποτ' ΑΓΘΔ-P οὐπώποτ'* S.

[2]) 61 *εἶθ' ὁ γέρων V-P-ΑΓΘΔ ὁ δὲ γέρων* S ‖ 517 *ὀλίγοις ἤδη χαρίσασθαι V-P-ΑΓΘΔ ἤδη* omis. S ‖ 856 *καθαρπάσαντες V-P-ΑΓΘΔ κατασπάσαντες* S ‖ 1256 *γένωμαί σοι V-P-ΑΓΘΔ ἔσομαι σοι* S.

[3]) cf. supra pg. 16 adnot. 2.

[4]) sic h. l. restituit secundum codicem Falk. Meinekius in Fragm. Com Graec. II. 71.

[5]) ind. lect. aest. Hal. 1832 pg. 4.

[6]) in codie *Γ*, qui saepius aliunde correctus est (cf. pg. 21), *εἰσφοραῖς* super *εἰς* addito *συμ.*

Cum hoc libro omnium rarissime Suidae scripturae consentiunt: ueras probabilesque R^is scripturas apud Suidam quoque reperies, corruptelas uero R^is nusquam deprehendes[1]).

Bonas igitur probabilesque quas praebet R scripturas Suidas exhibet has:

61 *ὁ δὲ γέρων*[2]) || 357 *ἐπιπιὼν* || 408 *ἰηπαιωνίσαι* || 761 *προσικέσθαι σου πρότερον* || 846 *ἢ τῶν ἀσπίδων* || 856 *κατασπάσαντες*[2]).

Contra propria Rauennatis uitia Suidas omnia uitauit, ueluti

32 *ἥγει σύ* R, *ἥγῃ γὰρ* S || v. 143 in R^e a secunda manu[3]) margini adscriptus est, legitur apud S^am || 270 *ἡμᾶς* omis. R, non item S || 276 *τῇ βοῇ* omis. R, non item S || 289 *σε τὸν νότον* R, *σου τὸ νῶτον* S || 301 *ἀδεκατεύτων* R, *ἀδεκατεύτους* S || v. 414 omissus est in R^e, non item apud S^am || 517[4]) *ὀλίγοις πάνυ χαρίσασθαι* R, *πάνυ* omis. S || 532 *οὐκ ἐόντος* R, *οὐκ ἔτ' ἐνόντος* S || 630 *ψευδάτράφαξυς* R, *ψευδατραφάξυος* S || 1265 *ἄϊδειν* R, *ἀείδειν* S || 1276 *ὤν* R, *ὅν* S || 1311 *καθεῖσθαί μοι* R, *καθῆσθαί μοι* S || 1368 *ὑπολίποις* R, *ὑπολίσποις* S.

Vno autem loco Suidas fere eandem atque R uitiosam scripturam uidetur amplexus esse:

In v. 272 *ἢν δ' ἐκκλίνῃ* R falso pro *ἢν δ' ὑπεκκλίνῃ*, *εἰ δ' ἐκκλίνοι* V, *εἰ δ' ἐκκλίνει* BCE, *εἰ δ' ἐκκλίνοι* A (Suidae codices);

uterque igitur *ὑπ-* uoculam praetermisit; at uix hic notabilem Suidae, qui aliud insuper mendum hoc loco exhibet, cum R^e consensum agnosces; immo illum suo Marte hoc uitium admisisse uerisimilius est.

---

[1]) Non alienum est hic praemonere scholia ad vv. 216—1408, quae absunt a codice R^e, in eo, quo utebatur Suidas, codice oportere extiterint, quoniam saepissime ab eo afferuntur.

[2]) eandem Ambrosianus, quod fugit Schneeium.

[3]) i. e. priore duarum manuum correctricium, ut comiter me docuit Velsenus.

[4]) de huius uersus uariis scripturis infra, ubi de Ambrosiano quaerendum est, paulo fusius agetur, quia praeter ceteros aptus est ad codicum familias secernendas.

Nam quod Suidas s. gl. *Τρίπαλαι* vv. 1153—56 profert:

Τρίπαλαι κάθημαι, βουλόμενός σ' εὐεργετεῖν.
ἐγὼ δὲ δεκάπαλαι
ἢ χιλιόπαλαι καὶ πρόπαλαι πάλαι πάλαι[1]),
ἐγὼ δὲ τρισμυριόπαλαι καὶ πρόπαλαι πάλαι πάλαι,

hinc non concludendum est *γε* particulam ut R[i] sic Suidae codici Aristophaneo defuisse; aberrauit enim Suidas a uoce *δεκάπαλαι* in uersum sequentem et sponte insuper mutauit v. 1156 omissis *προσδοκῶν* et *γε* uocibus.

Cum autem ex R[is] uitiis multa uix librarii incuria orta esse possint, nec cum Rauennate ipso nec cum Rauennatis archetypo ulla affinitate Suidae codex coniunctus est.

§ 7.

Denique de codice Ambrosiano (*M*) pauca disserenda sunt. De quo cum Velsenus[2]) haec adnotasset: *atque is liber diligentissime pictus grauissimi in constituendis poetae uerbis est momenti, utpote qui genuinam Aristophanis manum saepe seruauerit solus cum Rauennate, interdum quamuis raro solus,* Schneeius[3]) *et mihi quoque,* inquit, *olim non esse uana huius manuscripti gloria uidebatur ita ut etiam antiquissimam ei originem uindicare non dubitarem. Profectus enim eram a v. 673, ubi M scripturam praebet ἐρρέτω* (superscr. γρ. ἑρπέτω)*. Cum igitur ἐρρέτω, quod iam scholiasta in aliquot exemplaribus legi testatur, apud Suidam nostrum uersum laudantem reperiatur, cumque insuper nonnullis locis cum Suida M codex concordet, in mentem mihi uenit coniectura Ambrosianum fortasse ex illo libro haustum esse, quo ipse Suidas usus esset. Accuratius tamen Ambrosiani examinati et cum ceteris libris comparati prorsus inanem et caducam auctoritatem fidemque esse perspexi. Potestne igitur re uera aliquid ex singulari ista lectione ἐρρέτω effici? Immo solo casu orta est. Scriptum enim erat, quod nunc liber Γ praebet, in archetypo ἑρπέτω,* (superscr. γρ. καὶ ἐρρέτω)

[1]) ἢ καὶ BECM, ἔκπαλαι post πρόπαλαι additum est in BECM.
[2]) praefat. ad Eq. pg. VIII.
[3]) pg. 9.

unde utroque uocabulo transmutato Ambrosiani discrepantia prodiit. Tum Schneeius prolatis multis locis, quibus *M* aut cum R[e] aut cum altero codicum genere et maxime cum *ΑΓΘΔ* consentiat, eo peruenit sententiae, ut ad perficiendum Ambrosianum non unum sed duos codices usurpatos esse statuat, quorum alter R, alter archetypus codicum *ΑΓΘΔ* fuerit.

γρ. ἑρπέτω

Atque ut primum quae de scriptura *ἱρρέτω* Ambrosiani protulit uir ille doctus refellam, quid ueri est dissimilius, quam

γρ. καὶ ἐρρέτω

codicem *Γ* archetypi scripturam *ἑρπέτω* retinuisse, cum hunc codicem a recentiore uiro et sciolo illo quidem tractatum esse doceat magna illa correctionum copia qua is codex aspersus est? Accedit quod ea ipsa uerba in codice *Γ* suprascripta *γρ. καὶ ἐρρέτω,* cum teste Velseno a secunda manu picta sint, genuinam archetypi scripturam omnino non repraesentare possunt. Immo non desunt exempla quibus appareat ex ipso codice Ambrosiano nonnunquam codicem *Γ* correctum uel inquinatum esse, ueluti in

v. 762 *παράβαλε M* solus,

γρ. παράβαλλε (sic)

παραβάλου Γ (secunda manus correxit *παραβάλου* ex *παραβαλοῦ* et superscripsit *παράβαλλε*).

η

v. 435 *καταπροίξει M,* item super *ει* scripto a secunda *η Γ.*

θαρ

v. 856 *κατασπάσαντες M,*

καθαρπάσαντες corr. secunda ex *κατασπάσαντες Γ.*

κι

v. 877 *βινουμένους M,*

β

κινουμένους, β littera a secunda *Γ.*

γρ. οὗτος

v. 1277 *αὐτὸς M,*

γρ. αὐτὸς

οὗτος (*γρ. αὐτὸς* a secunda) *Γ.*

Eodem nescio an pertineat etiam

v. 289 *τὸ νῶτον,* post *τὸ* rasura deleta est una littera, *M,*
τὸ νῶτον, in rasura pinxit *τὸ* secunda *Γ.*

Iam si Ambrosiani scripturas hic cum Rauennate illic cum codicibus *V-P-ΑΓΘΔ* communes examinaueris, conspicuum erit plerumque Ambrosianum ipsas ueras scripturas repraesentare, quas alterum utrum codicum genus seruauerit, uelut in vv. 61 212 272 412 482 507 514 604 727 728 849 896 955 970 1027 1062 1084 1110 1256.

Accedit quod nonnullis locis solus *M* ueram lectionem retinuit; inter quos, ex eis uersibus, qui citantur apud Suidam, has scripturas afferam:

v. 535 *χρῆν* || v. 542 *πρῶτα* || et si ex Velseni silentio coniectura fieri potest v. 406 *πῖνε πῖν'* || v. 517 *ὀλίγοις χαρίσασθαι* || v. 782 *ἐγγλωττοτυπεῖν*.

Denique in eis uersibus, qui apud Suidam leguntur, plus uiginti obuiam fiunt scripturae uitiatae, quae inter codices Aristophaneos unius Ambrosiani propriae sunt, et de quibus paulo infra plura dicenda erunt.

Quibus de causis tertium existimo esse statuendum codicum Aristophaneorum genus, cuius quasi specimen unicum adhuc extat Ambrosianus. —

Atque ut demonstrem eidem ipsi codicum generi adtribuendum esse eum undecim comoediarum codicem quem in excerpendis Aristophanis fabulis Suidas adhibuerit, proficiscendum uidetur a uersu 517, quem codices sic exhibent:

πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις π α ν υ χαρίσασθαι R

πολλῶν γὰρ δὴ[1] *πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις*[2] *ἤδη χαρίσασθαι* *V-P-ΑΓΘΔ*

πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χαρίσασθαι *M*.

Hic apparent tria illa codicum genera, unum Rauennatis, alterum codicum *V-P-ΑΓΘΔ*, tertium Ambrosiani, qui unice hoc loco ueram numerisque accommodatam tetrametri anapaestici catalectici seruauit scripturam i. e. eandem quam Suidas s. gl. *Χαρίσασθαι* tuetur.

Neque aliter ceteris locis quibus Ambrosianum solum

[1]) *γὰρ ἤδη* *P-ΓΘΔ*.

[2]) *ὀλίγας* *Δ*.

ueram scripturam retinuisse monuimus, Suidas cum hoc codice facit: in vv. 402 535 542 782.

Porro in corruptis quoque locis saepius Suidas cum Ambrosiano consentit: ueluti in v. 359 *λέγων* cum Ambrosiano omisit, in vv. 673 *ἐρρέτω,* 1138 *τύχοι,* 299 *σοφίζῃ,* 606 *πόας* falso cum eodem exhibet. Adde quod haud parua copia earum lectionum, quae Ambrosiano aut cum Rauennate aut cum codicibus *V-P-ΑΓΘΔ* communes sunt, etiam a Suida seruata est, uelut in vv. 61 *ὁ δὲ γέρων*[1]) || 182 *ἰσχύειν*[1]) || 196 *σοφῶς*[1]) || 211 *αἰκάλλει* || 378 *γλῶσσαν* || 849 *αὐτοῖσι τοῖς πόρπαξιν* || 856 *κατασπάσαντες*[1]) || 928 *τάδε* || 1256 *ἔσομαί*[1]) || 1277 *αὐτὸς* ueras probabilesque scripturas Suidas una cum Ambrosiano et Rauennate tuetur; et in vv. 8 *δεῦρο νῦν* || 31 *ποι* || 143 *ἐξολῶν* || 147 *κατὰ θεῖον*[2]) || 365 *ἐξελῶ* recte exhibent *V-P-ΑΓΘΔ,* Ambrosianus, Suidas.

Quo fit, ut praeter ceteros codices plurimis locis[3]), quibus quidem codices inter se discrepant, Ambrosiani scripturam Suidas tueatur. —

At sane multi inueniuntur loci, quibus Suidas ab Ambrosiano discrepat: nam aut a Suida in describendo eo, quo utebatur, libro manuscripto peccatum est, aut is, qui Ambrosianum exarauit, archetypum suum nimia incuria tractauit, aut uterque uario modo a genuina scriptura aberrauit. Atque de propriis Suidae scripturis et quomodo eae ortae sint infra paulo fusius dicendum erit. Reperiuntur tamen paucae apud

---

[1]) Neque enim recte Schneeius (pg. 4) vv. 61 *ὁ δὲ γέρων* || 189 *ἰσχύειν* || 196 *σοφῶς* || 388 *ἔλαττον* || 856 *κατασπάσαντες* || 1256 *ἔσομαί* scripturas unius Rauennatis esse opinatur; immo easdem Ambrosianus quoque tuetur; neque aliter v. 1277 *αὐτὸς* cum Rauennate *M* et *Δ* tuentur, ubi Suidae auctoritatem uni Rauennati uindicat; praeterea falso a Schneeio v. 1278 citatur, ubi *ὤν* pro *ἦν* Suidam cum Rauennate habere cum iudicet fallitur; etenim in v. 1276 *ὤν* pro *ὄν* R exhibet et v. 1277 edit. Mediol. Suidae *ὤν* pro *ἦν* impressum habet; quae res a uiro docto inter se confusae uidentur.

[2]) *θεὸν* correxit Coloetus, *καταθείων* R.

[3]) ducentis nonaginta tribus, si recte computaui.

Suidam corruptae lectiones, quae in uno alteroue codice Aristophaneo praeter Ambrosianum occurrunt, non quod ex codice aliquo in Suidam translatae sint, sed quia idem ab utroque librario uitium admissum est, uelut

v. 75 *αὐτὸς* falso cum Suida codices *V-P-ΓΘΔ* scriptum habent, cum recte *οὗτος* codices R*MA* seruauerint;

v. 104 *ταῖς* male Suidas et *ΑΘ-P,*
ταῖσι recte R-*V-M,*
ταῖσι ex *ταῖς* correctum *ΓΔ;*

v. 257 *παραβοηθεῖθ'* falso cum Suida codices *V-ΑΓΘΔ-P,* cum recte *παραβοηθεῖσθ'* R*M* exhibeant;

v. 756 *νῦν δεῖ σε πάντα δὴ* ut a Suida sic in codd. *ΘΔ* male pictum est pro

νῦν δή σε πάντα δεῖ codicum *VM*;

similiter autem atque in *ΘΔ* et apud Suidam in codd. R*ΑΓP* peccatum est:

νῦν δῆ σε πάντα δὴ R,
νῦν δή σε πάντα δὴ A,
νῦν δεῖ σε πάντα δεῖ prim. *Γ*
(*νῦν δή σε πάντα δεῖ* corr. sec. *Γ*),
νῦν δεῖ σε πάντα P.

v. 924 *συμφοραῖς* quomodo in Suidae codicem et in codicem *A* irrepserit supra exposui.

His simile esse iudico, quod v. 277 Suidas cum R-*V-P-ΑΓΘ* falso *παρέλθῃς* tradit (*παρέλθῃς* correctum ex *παρέλθεις Δ*); Ambrosianus a uera scriptura *παρέλθῃ σ'* proxime abest, cum nihil praetermiserit nisi iota subscriptum *η* litterae.

Iam afferenda sunt ea, quae librarius Ambrosiani oculorum lapsu suoque Marte peccauit, uelut in vv.:

	M	S recte cum cett. codd.
18	*κομψευριπιδικῶς* [1])	*κομψευριπικῶς*
36	*δρᾶμα*	*πρᾶγμα*
224	*βδύλη*	*βδύλει*

[1]) idem peccauit Phauorinus.

368	σου	σε
402	περὶ πάντων	περὶ πάντ'
481	παριστορῶ	παραστορῶ
527	τάσεως	στάσεως
693	μορμῶν	μορμὼ
756	σαυτοῦ	σεαυτοῦ
784	ἐπανέρου	ἐπαναίρου
830	θαλαττοκομπεῖς	θαλαττοκοπεῖς
853	τούτοις	τούτους
978	ἀργαλεωτέρων [1])	ἀργαλεωτάτων
983	χρυσίνων	χρησίμω [2])
991	ἐθέλει	ἐθέλειν
1150	καταμυλῶν	καταμηλῶν
1264	καταπαυομένοις	καταπαυομένοισι
1285	κασαυρίοις	κασαυρίοισι [3])
1370	μετεγραφήσεται	μετεγγραφήσεται
1405	ἕδραν	. ἕδραν θ'

denique v. 501 ὡς ἐφ' ἡμᾶς pro ὡς ἡμᾶς, ubi Ambrosiani uitium inde ortum est, quod glossema ἐπὶ uoculae ὡς superscriptum in contextum inuasit.

Vides quam sint leuia Ambrosiani propria uitia, quibus a Suida discrepet.

His adiungendi sunt aliquot loci, quibus eodem modo quo in Ambrosiano in uno alteroue ex reliquis codicibus erratum est, cum Suidas cum ceteris codicibus faciat, uelut in vv.

295 *γρύζεις M-P-ΑΔΘ* pro *γρύξει(ς)*,

357 *ἐκπιὼν M-V-P-ΑΔ, ἐκπιὼν, κ* in rasura sec. m. *Γ*, pro *ἐπιπιὼν* SR; genuinae lectionis uestigium remansit in *Θ*: *ἐπιὼν*, supra *π* picto *κ* sec. m.,

580 *κομῶσιν M*-R pro *κομῶσι*,

630 *ψευδατραφύξυος M-ΑΘ* pro *ψευδατραφάξυος*,

631 *ἀνέσπασε M-V-P-Δ* pro *ἀνέσπασεν*,

---

[1]) ortum ex praecedenti *πρεσβυτέρων*.

[2]) *χρυσίμω, υ* puncto notatum, *P*.

[3]) *καυσαρίοισι Α*.

783 *φροντίζεις M-ΓΘΔ* pro *φροντίζει,*
814 *ἐποίησε M-V-P-A* pro *ἐποίησεν.* —

Nec desunt loci nonnulli, quibus Suidas solus genuinam scripturam seruarit, Ambrosianus uero una cum reliquis libris manuscriptis leuiter aberrauerit, uelut

v. 254 *ἔφευγεν,* quod metrum flagitat, apud Suidam reperies, cum *M* una cum reliquis codicum familiis falso *ἔφυγεν* exaratum habeat.

Tum v. 278 Suidas cum scholio *VΘ ἐνδείκνυμι καὶ φαίνω· ἐνδεικνύναι δὲ ἔλεγον τὸ καταγγέλλειν τινὰ κακουργοῦντα περὶ τὰ κοινά* uocem *ἐνδείκνυμι* recte retinuit, unde profectus *'νδείκνυμι* Dindorfius pro simplici *δείκνυμι* codicum Aristophani restituit.

v. 292 *ἀσκαρδαμυκτί,* quam formam unice ueram esse docuit Goettlingius[1]), Meinekius Aristophani restituit, eandem Suidas s. gl. *Ἀσκαρδαμυκτί* seruauit, codices *ἀσκαρδαμύκτως MΘΓΔ ἀσκαρδάμυκτος* R-*V-A* sec. *Γ* sec. *Δ P* minus bene exaratum habent.

v. 991 *λαβεῖν* Suidae praeferendum est uoci *μαθεῖν,* quam in omnibus codicibus ex uoce *μαθεῖν* uersus 995 irrepsisse monuit Porsonus; hanc Suidae scripturam poetae restituit Dindorfius[2]).

Eodem nescio an trahenda sint, quae apud Suidam s. gl. *Κοπρία* ad uersus 294 295 pertinentia leguntur: *κοπρία ὁ πηλός· καὶ Ἀριστοφάνης· κοπροφορήσω σ', εἴ τι γρύξεις. ἀντὶ τοῦ, εἰ λαλήσεις, κόπρου σου καταφορήσω, τουτέστι, κόπρου πληρώσω.* Differt igitur Suidas ita ab Ambrosiano et reliquis codicibus, ut *γρύξεις*[3]) non uersum 294 sed uersum 295 claudat. Leguntur enim sic in Aristophanis codicibus:

Παφ. διαφορήσω σ', εἴ τι γρύξει(ς).
Ἀλλ. κοπροφορήσω σ', εἰ λαλήσεις.

Solet autem in dialogo inter isiciarium et Paphlagonem habito

---

[1]) ad Theodos. Grammat. pg. 230 IV.
[2]) praef. pg. X.
[3]) correxit Elmsleius in *γρύξει,* cf. supra.

ille uilioribus et sordidioribus uerbis Cleonis orationem excipere et impudentia superare, cf. vv. 285 286

Παφ. καταβοήσομαι βοῶν σε.
Αλλ. κατακεκράξομαί σε κράζων.

Itaque cum *γρύζειν* uox plebeium sapiat sermonem optimeque quadret ad sordidam uocem *κοπροφορήσω,* duce eo codice Aristophanis deperdito, quo Suidas utebatur (consentit cum Suida Phauorinus, qui hunc exscripsit), non inepte suspiceris apud Aristophanem transponenda esse illa uerba *εἴ τι γρύξει(ς)* et *εἰ λαλήσεις*. Sed cum apud Suidam in interpretatione ipsa uerba *εἰ λαλήσεις* adhibeantur, potest locus ille Aristophaneus grauius ita corruptus esse, ut uerba *εἰ λαλήσεις* v. 294 glossemati cuidam debeantur uerbis *εἴ τι γρύξεις* adscripto, quae expulerint ultima uerba eius uersiculi qui a *διαφορήσω σ'* incipit. —

Accedunt perpauci loci, quibus diuerso modo in utroque et Suida et Ambrosiano leuissime peccatum uidemus:

veluti v. 70
ὀκταπλάσιον S-*V-P-ΓΘΔ,*
ὀκταπλάσια R[1])-*Α* suprascriptis *-ον* litteri ∞ uper *-α,*
ὀκταπλασίονα M.

v. 79 *ὁ δὲ νοῦς ἐν* S-*V-ΑΓΘΔ,*
ὁ δὲ νοῦς δ' ἐν M,
ὁ νοὺς δ' ἐν R,
ὁ νοῦς δ' ἐν P recte;

quod uitium inde ortum est, quod in archetypo eo auito, ad quem omnes codices nostri una cum Suidano reuocandi sunt, *δὲ* duplex pictum erat.

v. 819 *ἀπομάττῃ* S-*ΑΓ,*
ἀπομάττει R-*V-P-ΘΔ* recte,
ἀπομάττεις M.

v. 1163 *ἐγὼ* S-*P,*
ἢ ἐγὼ M-Δ,
ἢ 'γὼ V-ΑΓΘ, ἠγὼ R.

---

[1]) recte.

§ 8.

Restat ut de propriis Suidae uitiis, quae plus centum et uiginti in Equitum fabula occurrunt, disseratur. Quarum tria sunt discernenda genera: primum earum mutationum et omissionum, quas Suidas ipse in excerpendo suo codice Aristophaneo sponte ac consilio admittere non dubitauit, alterum eorum quae Suidas neglegentia aut oculorum errore peccauit, tertium earum corruptelarum, quae incuriae librariorum debentur, qui codices lexici Suidani nostros exarauerunt.

Ac primum quidem cum eius, qui huius lexici fundamenta iecit, id maxime interesset, ut uoces enuntiationesque apud aequales suos inusitatas exemplorum copia ex uariis maximeque Atticis scriptoribus desumpta illustraret, ad talis scriptoris uel compilatoris consuetudinem indolemque perbene quadrat quod nec rationem habuit legum metricarum quas ipse uix nouerat nec seruauit ordinem quo apud scriptorem, quem expilauit, uerba extabant, nec pepercit ipsis uerbis sed temere mutauit, si qua uerborum compositio mentem ipsius transgrediebatur, eiecit si quae uerba ipsi inutilia uidebantur, summa denique et licentia et neglegentia in excerpendis eligendisque poetae uerbis usus est. Pars igitur corruptelarum in Suidae lexico occurrentium Suidae ipsius licentiae crimini uertenda est. Immutasse autem uidetur Suidas ipse comici uerba, cum scriberet in vv. 359 360:

Τὰ μὲν ἄλλα μ' ἤρεσε τῶν πραγμάτων, ἓν δ' οὐ προσίεταί με,
ὅτι ὡς μόνος τὸν ζωμὸν ἐκροφήσεις,

quem locum codices Aristophanis sic tradunt:

Τὰ μὲν ἄλλα μ' ἤρεσας λέγων, ἓν δ' οὐ προσίεταί με,
τῶν πραγμάτων, ὁτιὴ μόνος τὸν ζωμὸν ἐκροφήσεις [1]).

In v. 397 S neglectis numeris uersus cretici scripsit:

Ὁ δὲ πρὸς πᾶν ἀναιδεύεται,

quae recte in codicibus Aristophanis sic leguntur:

Ὡς δὲ πρὸς πᾶν ἀναιδεύεται

---

[1]) corr. Elmsleius *ἐκροφήσει.*

In v. 542 Suidas scripsit inuitis numeris:

ἐρετὴν χρὴ πρῶτα γενέσθαι, πρὶν πηδαλίοις ἐπιχειρεῖν,

pro ἐρετὴν χρῆναι κτλ., nimirum, cum uersum praecedentem omitteret, ut integram efficeret sententiam.

In v. 844 inuertit uerborum ordinem neglectis numeris tetrametri iambici catalectici:

Ἐμοὶ δὲ τοιοῦτον ἔργον ἐστ' εἰργασμένον, ὥστε

qui uersus integer sic cluet:

Ἐμοὶ γάρ ἐστ' εἰργασμένον τοιοῦτον ἔργον, ὥστε.

In vv. 978—980, ubi duos uersus glyconeos excipit uersus pherecrateus, Suidas eam compositionem misere turbauit cum describeret:

οἵων ἀργαλεωτάτων ἤκουσ'
ἐν τῷ δείγματι τῶν δικῶν
ἀντιλεγόντων,

qui uersiculi in codicibus Aristophanis recte sic distinguuntur, ut ἤκουσ' ante ἀντιλεγόντων positum sit.

Versuum 259 260 fragmenta haec apud Suidam extant:

διασείων τοὺς ὑπευθύνους, εἰ πέπων ἢ μὴ πέπων.

Primum hic διασείων glossema superscriptum irrepsit pro πιέζων, quod Suidam in codice suo inuenisse docent ipsius uerba s. gl. Ἀποσυκάζεις — ἀποσυκάζειν γὰρ τὸ τὰ πέπειρα σῦκα διαλέγειν· διόπερ προσέθηκε πιέζων. Tum neglectis uerbis ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν ex ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων formauit enuntiatum εἰ πέπων ἢ μὴ πέπων, quod a participio σκοπῶν regi uoluit.

In v. 276 ἀλλ ἐὰν νικήσῃς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ Suidas omissis uerbis μέντοι γε uel μὲν τόνδε[1]) pro νικᾷς Aristophani inculcauit νικήσῃς, quod uocabulum ante diaeresin tetrametri trochaici catalectici ferri non potest.

Eodem referendum est, quod v. 4 ἀφ' οὗ γὰρ εἰσήρρησεν exhibet pro ἐξ οὗ γ. εἰ.; mutauit enim Aristophanis ἐξ οὗ in ἀφ' οὗ quod communi loquendi usui accommodatius ipsi uidebatur. Aristophanes enim uerbis ἀφ' οὗ notionem ‘ ex

[1]) sic Porsonus.

eo tempore quo ' non subicit nisi iis locis quibus propter metrum ἐξ οὗ usurpari nequit, ueluti:

Plut. 1113 εἴργασθ᾽· ἀφ᾽ οὗ γὰρ ἤρξατ᾽ ἐξ ἀρχῆς βλέπειν ὁ Πλοῦτος,

et Amphiar. frg. XV (Dindorf. 97)

⏑ — ἀφ᾽ οὗ κωμῳδικὸν μορμολυκεῖον ἔγνων,

tetrameter iambicus catalecticus choriambo pro tertia dipodia posito. Vnus[1]) extat apud Aristophanem locus, quo ἀφ᾽ οὗ in primo trimetri iambici acatalecti pede in codicibus nostris Aristophaneis traditur, Plut. 968

ἀφ᾽ οὗ γὰρ ὁ θεὸς οὗτος ἤρξατο βλέπειν,

qui uersus infra recurrit ab interpolatore inepte insertus 1173[1]). Videtur autem utroque loco ad similitudinem v. 1113 quem supra attuli ἀφ᾽ οὗ interpolatum esse pro eo quod extitisse puto ἐξ οὗ.

Solet enim multo saepius apud eundem poetam ἐξ οὗ[2]) iis locis adhiberi, quibus etiam ἀφ᾽ οὗ metro satisfaceret uelut:

Eq. 644 ἐξ οὗ γὰρ ἡμῖν ὁ πόλεμος κατερράγη,
Av. 1515 ἐξ οὗπερ ὑμεῖς ᾠκίσατε τὸν ἀέρα,
Lys. 108 ἐξ οὗ γὰρ ὑμᾶς προὔδοσαν Μιλήσιοι,
Lys. 759 ἐξ οὗ τὸν ὄφιν εἶδον τὸν οἰκουρόν ποτε,
Lys. 866 ἐξ οὗπερ αὐτὴ 'ξῆλθεν ἐκ τῆς οἰκίας.

Neque aliter apud poetas tragicos ἀφ᾽ οὗ et ἐξ οὗ locutiones usurpantur: ἀφ᾽ οὗ ab Euripide nunquam, a Sophocle et Aeschylo nisi iis locis, quibus metro postulatur, non admittitur:

Soph. O. R. 758 οὐ δῆτ᾽· ἀφ᾽ οὗ γὰρ κεῖθεν ἦλθε καὶ κράτη,
Antig. 562 ἄνουν πεφάνθαι, τὴν δ᾽ ἀφ᾽ οὗ τὰ πρῶτ᾽ ἔφυ,
Aiac. 600 ἐγὼ δ᾽ ὁ τλάμων παλαιὸς ἀφ᾽ οὗ χρόνος,
Aeschyl. Pers. 177 ξύνειμ᾽, ἀφ᾽ οὗπερ παῖς ἐμὸς στείλας στρατὸν.

---

[1]) Iure enim Velsenus (Symb. Philol. Bonnens. pg. 420) hunc uersum damnauit ut ex vv. 968 1113 effictum.

[2]) ἐξ οὗ metro anapaestico flagitatur Acharn. 628 ἐξ οὗ γε χοροῖσιν ἐφέστηκεν τρυγικοῖς ὁ διδάσκαλος ἡμῶν.

Contra ἐξ οὗ saepius iis quoque locis usurpatur, quibus ἀφ' οὗ legibus metricis non uetatur:

Aeschyl. Pers. 762 ἐξ οὗτε τιμὴν Ζεὺς ἄναξ τήνδ' ὤπασεν,
Eumen. 25 ἐξ οὗτε Βάκχαις ἐστρατήγησεν θεός,
Soph. Trach. 38 ἐξ οὗ γὰρ ἔκτα κεῖνος Ἰφίτου βίαν,
Aiac. 1337 ἐξ οὗ 'κράτησα τῶν Ἀχιλλείων ὅπλων,
O. R. 1201 ἐξ οὗ καὶ βασιλεὺς καλεῖ,
Eurip. Troad. 4 ἐξ οὗ γὰρ ἀμφὶ τήνδε Τρωικὴν χθόνα[1]).

Nescio an eidem temeritati Suidae debeantur corruptiones
v. 49 τισι pro ἄκροισι et
v. 104 θύραις pro βύρσαις; priore enim loco scripturam genuinam oblitteratam fuisse uerisimile est[2]), quam Suidas coniectura Byzantino compilatore digna et inuito metro τισι uocula explere non dubitauit; altero loco cum Suidam facetiae Aristophanis coriarium uoce βύρσαις significantis fugerent, inuitis numeris θύραις, quod ab actione non plane abhorrebat, comico inculcauit.

Sequuntur eae falsae scripturae quibus oculorum errore deceptus Suidas librum suum male depinxit. Saepe enim ex scholio uel adscripto uel superscripto Suidas glossema pro genuina scriptura in schedas transmigrare iussit, ueluti in v. 62

ὁ δὲ ὡς ὁρᾷ μεμακκοακότα τὸν δεσπότην

uerba τὸν δεσπότην ad circumscribendum pronomen αὐτὸν margini adnotata pro genuina lectione descripsit.

Item in v. 247:

παῖε, παῖε τὸν ἀλιτήριον καὶ πανοῦργον καὶ ταραξιππόστρατον

uox ἀλιτήριον, quae ad explicandum πανοῦργον superscripta erat, addita καὶ particula in textum inuasit.

---

[1]) ἐξ οὗ metro flagitatur apud Aeschylum nunquam, apud Sophoclem Aiac. 661 ἐγὼ γὰρ ἐξ οὗ χειρὶ τοῦτ' ἐδεξάμην, apud Euripidem Electr. 1279 Μενέλαος ἐξ οὗ Τρωικὴν εἷλε χθόνα, Cretens. frg. 457 ἁγνὸν δὲ βίον τείνομεν ἐξ οὗ Διὸς Ἰδαίου μύστης γενόμην.

[2]) Meinekius cum ἄκροισι codicum corruptum esse suspicatus proponeret σαθροῖσι, dubito num recte iudicauerit.

Neque aliter in v. 602

ῥυππαπαῖ, τίς ἐμβαλεῖ;

ex scholio, quo epiphonema *ἱππαπαῖ* instar epiphonematis *ῥυππαπαῖ* ab Aristophane formatum esse exponitur, *ῥυππαπαῖ* irrepsit [1]).

Porro in v. 909:

ἰδού, δέχου κέρκον λαγώ, ὥστε τὰς λήμας περιψεῖν

uerba *ὥστε τὰς λήμας περιψεῖν* ex scholio, quod in codicibus *VΘ* quoque seruatum est, intrusa genuinam lectionem *τῷ φθαλμιδίῳ περιψῆν* loco mouerunt; eodemque modo in vv. 920 921 922:

Ὑφελκτέον τῶν δᾳδῶν καὶ ἀπαρυστέον τῶν κρεῶν,

quorum genuina forma haec est:

ὑφελκτέον
τῶν δαλίων [2]), *ἀπαρυστέον*
τε τῶν ἀπειλῶν ταυτηί

corruptela apud Suidam inde orta est, quod in scholio addito haec leguntur: *τοῦτο ποιοῦσιν ὅταν παφλάζῃ ὁ λέβης, ἀφαιροῦντες ἐκ τῶν κρεῶν.*

Similiter in vv. 989 990:

Τὴν Δωριστὶ μόνην ἁρμονίαν ἁρμόττεσθαι θἀμα τὴν λύραν,

uox *ἁρμονίαν* glossae debetur uerbis *τὴν Δωριστὶ* olim adscriptae [3]). Syllabam autem breuem quae desideratur in v. 989 recte suppleuisse uidetur Bernhardyus *μὲν* post *μόνην* positam.

Item 1129—30: *Τοῦτον δ', ὅταν ᾖ πλέως,*
ταπεινώσας ἐπάταξα

— *ἄρας ἐπάταξα* cum codicibus Aristophaneis scribendum est — *ταπεινώσας* debetur scholio: *Ἀντὶ τοῦ γένηται φαεινός·*

---

[1]) Ceterum a Suida uocibus *ῥυππαπαῖ* et *ἱππαπαῖ* rectum tribui accentum circumflexum teste Herodiano (I pg. 502) docuit Aemilius Schinck in libello, quem scripsit de interiectionum epiphonematumque ui atque usu apud Aristophanem (pg. 26).

[2]) correxit Bentleius; codices *δᾳδῶν* R*VΓM*, *δάδων* *PΘΔ*, *δαδίων* *A*.

[3]) de hac figura etymologica nonnulla adnotauit Lobeckius Paralip. pg. 521.

τουτέστι πλήρης· ὅταν ηὐξῆσθαι δοκῇ, καὶ μέγας εἶναι, τοῦτον ταπεινὸν ἐποίησα. τουτέστιν, ἐάσας πλουτῆσαι δημεύσω. Miserrime autem Suidam hoc scholium tractasse ex ea scholii forma apparet, quae codicibus *VΘ* seruata est: *ὅταν ᾖ πλέως Φαεινὸς ἀντὶ τοῦ πλήρης. τουτέστιν, ὅταν ηὐξῆσθαι δοκῇ καὶ μέγας εἶναι.* Ergo omnino non hic locus est adiectiuo *φαεινός*, sed Phainum grammaticum uocem *πλέως* per *πλήρης* explicari uoluisse scholio docemur[1]).

Etiam in v. 796 scriptura *ῥοθοπυγίζων* — *ῥαθαπυγίζων* codices Aristophanis exhibent — ex explicatione addita originem duxit: *λάθρᾳ τύπτων κατὰ τῆς πυγῆς πλατείᾳ τῇ χειρὶ ἢ* (sic Suidas, scholia *VΘ καὶ*, quod apud scholiastas eodem sensu atque *ἢ* usurpari solet) *πλατεῖ τῷ ποδὶ τῇ πυγῇ ῥόθον ποιῶν.* Ceterum quoniam uerbis *ῥαθαγέω, ῥάθαγος, ῥαθάσσω*[2]) codicum scriptura confirmatur, Thomae Magistro *ῥοθοπυγίζειν* et *ῥοθοπυγισμός* afferenti non maior quam Suidae auctoritas tribuenda uidetur, cum in eundem errorem utique Suidas simili scholio perductus sit.

Neque aliter iudicandum uidetur de uersu 9

ξυναυλίαν πενθήσωμεν Οὐλύμπου νόμον

qui in codicibus Aristophanis sic traditur:

ξυναυλίαν κλαύσωμεν Οὐλύμπου νόμον[3]).

Collato enim Theodoro Hyrtaceno[4]): *δεῦρο δὴ Καλλιόπη καὶ Μοῦσαι, Σειρῆσιν αὐτοῖς Ἀχελωΐσι, ξυναυλίαν πενθήσατε* uerisimile fit *πενθήσωμεν* nihil aliud esse quam glossema uoci *κλαύσωμεν* Byzantinorum temporibus inusitatae superscriptum. Cum autem forma *Οὐλύμπου* uirorum doctorum dubitationem moueret, utpote quae ab Atticorum loquendi usu abhorreret, Kusterus *ἂν Ὀλύμπου* scribendum esse censuit, Meinekius[5]) illa uerba *αὐτολεξεὶ ex tragico aliquo Aristophanem assumpsisse statuit, non ut ea rideret, sed ut comicae*

---

[1]) cf. Dindorf. Addend. ad Schol. vol. III pg. 388 adnot., ubi loci, quibus Phaini grammatici mentio fit, enotantur.

[2]) Hesych. *ῥαθασσόμενοι· ῥαινόμενοι, πληττόμενοι.*

[3]) *νολόμον* R.

[4]) Boissonad. Anecdd. Graec. I. 277.

[5]) Vindd Aristoph. pg. 50.

dictioni aliquid grauitatis conciliaret; Toupius[1]) denique rectam, qua hic locus sanari posset, uiam ingressus esse sibi uisus est, cum Suidae scripturam a uero proxime abesse ratus *tum metri tum atticismi gratia*

ξυναυλίαν πενθήσομεν Ὀλύμπου νόμον

reponendum esse moneret.

At male hic metro consuluisse uidetur uir doctissimus; etenim quoniam docuerunt Porsonus, G. Hermannus, Westphalius caesuram post absolutum pedem alterum ita tantum apud poetas tragicos comicosque ferri posse, ut simul caesura hephthemimeres in eodem uersu intercederet, huic regulae satisfacit uersus

ξυναυλίαν | κλαύσωμεν | Οὐλύμπου νόμον,

obuersatur uersus, qualis a Toupio e Suida restitutus est:

ξυναυλίαν πενθήσομεν Ὀλύμπου νόμον.

Quare statuemus consulto hoc loco Aristophanem formam *Οὐλύμπου* adhibuisse, ut uel sono clamorem gemitumque seruorum depingeret.

His similes extant aliquot loci, quibus Suidas uoce uel praecedente uel insequente deceptus Aristophanis uerba immutauit: ueluti v. 502 *ἥξεις στεφάνοις κατάπαστος,* ubi *ἥξεις* pro *ἔλθοις* ex v. 497 *χὤπως — ἥξεις πάλιν* in hunc uersum transmigrauit. Similiter errauit in v. 1312 *ἐπὶ τὸ Θησεῖον* (om. *πλεούσαις*) *ἢ ἐπὶ τῶν Σεμνῶν θεῶν,* atque in v. 1355 *αἰσχύνομαι ταῖς προτέραις ἁμαρτίαις* pro *πρότερον* exarauit *προτέραις*; etiam in v. 311 *ἀνακεκώφηκας,* quae uox pro *ἐκκεκώφηκας*[2]) propter *ἀνατετυρβακώς* uersus praecedentis falso a Suida depicta est.

Leuiora autem uitia et oculorum errore orta etsi non certo potest discerni utrum ipsi Suidae an codicum Suidanorum librariis crimini danda sint, haec tamen quae sequuntur, quia magis compilatoris paucos uersus extra ordinem decerpentis quam librarii totam fabulam continuam depingentis

---

[1]) Emendd. in Suidam III pg. 438.

[2]) corr. Dindorf *ἐκκεκώφωκας*.

signa prae se ferunt, Suidae ipsius neglegentiae tribuenda uidentur:

v.	35	προβιβάζεις †[1])	falso pro προσβιβάζεις,
v.	51	ἔσχε	„ ἔχε,
v.	56	πανουργοτάτως †	„ πανουργότατά πως,
v.	57	αὐτὴν	„ αὐτὸς,
v.	192	ἔτ᾽ omissum est ante ἔστι †	
v.	230	ἐξεικασμένος[2])	pro ἐξῃκασμένος,
v.	360	ὅτι ὡς	„ ὁτιή,
v.	379	ἐκκοψόμεσθα†	„ σκεψόμεσθ᾽,
v.	546	ἀποπέμψατ᾽†	„ παραπέμψατ᾽,
v.	835	ἕξ i. e. ϛ′†	„ τετταράκοντα i. e. μ′.
v.	889	τοῖς τρόποισι†	„ τοῖσιν τρόποις,
v.	1159	τοῦτον†	„ τουτονί,
v.	1277	ἀνδρὸς omiss.†	
v.	1355	τοι omiss.†	

Eodem refero v. 634 σκίταλοί τε: τε non extat in codicibus Aristophaneis; licet enim neque de origine neque de mensura uocis σκίταλος satis constet, uerisimile tamen est illud τε ex uersu insequente

Βερέσχεθοί τε καὶ Κόβαλοι κτλ.

in v. 634 transmigrasse.

Denique si quinque illorum codicum ad crisin lexici Suidani adhibitorum corruptelas omnes uellem enumerare, chartae me misereret[3]). Exempli gratia pono has

v. 269 εἶδε σ᾽ οἶ VBE,
εἰ δέ σ᾽ οἶ A,
εἶ δέ σοὶ Med.; } pro εἶδες οἶ

v. 1378 συνεριστικὸς AC,
συνερειστικὸς BE,
συνεριστικῶς V; } pro συνερκτικὸς[4])

---

[1]) eae uoces quas cruce signaui metro aduersantur.

[2]) idem uitium in scholiis *VΘ*.

[3]) codicum BE locos corruptos supra enotaui (§ 1 extr.)

[4]) κ saepius in ις abire monuit Schaeferus ad Gregor. Corinth. pg. 244.

v. 570 ἠρίθμησε CBE recte,
ἠρήμησε V,
ἠρέμησε A.

Quod Kusterus scholiastae explicationem ἀποδειλιᾶν et μεθ' ἡσυχίας ἄγειν uoci ἐρεμεῖν magis conuenire censet quam uoci ἀριθμεῖν, acute illud quidem est obseruatum, at ne codicis A scripturam genuinam Suidae esse existimemus, glossarum ordine apud Suidam obseruato impedimur: ἠρέμα, ἠρεμία, ἡρετισάμην, Ἥρη, ἠρήκασι, ἠρημένην, ἠρήρειστο, Ἥρης, ἠρήσαντο, ἤρθη, ἦρι, ἠρία, ἠριγένειαν, Ἠριγόνειος, Ἠριδανὸς, ἠρίθμησεν, Ἠρικαπαῖος κτλ.[1]) — Sed proposito nostro satisfaciet eas proferre corruptas scripturas, quas iam in archetypo quinque illorum codicum Suidanorum exaratas fuisse uerisimile est, ueluti ubi codd. Aristoph. exhibent:

v. 263 ἐκολαβήσας†	ἐνεκολάβησας[2]),†
v. 354 ἐπειπὼν[3])†	ἐπιπιὼν,
v. 400 εἰ μή σε μισῶ†	εἴ σε μὴ μισῶ,
v. 419 ὁρᾶτ' ἄρα	ὁρᾶθ' ὥρα (ὥρα V),
v. 509 ἔτυχες	ἔτυχε[4]),†
v. 527 ἐρρεῖ	ἔρρει,
v. 529 συμποσίοις	συμποσίῳ[5]),
v. 721 τουτίγε†	τουτογί,
v. 803 καθορᾶται	καθορᾷ σοῦ[6]),
v. 807 αὐτῶν	αὐτὸν,
v. 930 ἐφιστάναι	ἐφεστάναι,
v. 969 Σμηκύθην	Σμικύθην.

Haec de propriis Suidae scripturis erant dicenda.

---

[1]) Seruatus autem is est in Suidae lexico litterarum ordo, quem uocalium ἀντιστοιχεῖαν uocant, ut disponerentur uocales αι ante ε, ει et η ante ι, ω post ο, οι ante υ, et haec litterarum series efficeretur: α β γ δ αι ε ζ ει η ι θ κ λ μ ν ξ ο ω π ρ σ τ οι υ φ χ ψ. cf. Anecdd. Villois. II pg. 121 (adnot. 1) ad Theognosti librum mille regulas de recta scribendi ratione continentem, Bernhardyum in Commentt. de Suidae lexico pg. 38 et Hist. Litt. Graec. I[4] pg. 722.

[2]) ἐνεκολήβασας correxit Brunckius.

[3]) sic etiam Phauorinus.

[4]) ἔτυχεν recte pr. m. Δ.


[5]) ξυμποσίῳ ΓΔ.

[6]) καθαρῶ σοῦ A.

§ 9.

Atque ut quid sentiam de Suidanis ex Equitum fabula excerptis breuiter comprehendam, Suidae scripturae neque ad id codicum genus referendae sunt quod codices *V-P-ΑΓΘΔ* complectitur, neque cum Rauennate arta quadam cohaerent necessitudine, uerum propter complures scripturas a ceteris libris prorsus alienas singulari cuidam codicum familiae sunt adtribuendae, a qua codex Ambrosianus omnium proxime abest. Certo reicienda est Dindorfii aliorumque sententia qui Suidam uno pluribusue codicibus Rauennati Venetoque simillimis usum esse arbitrantur.

Vniuersorum igitur Aristophanis codicum originem, qualem quidem in Equitum fabula perspicere licet, hoc stemmate illustrasse iuuabit:



· Quae cum ita sint, quamuis dispersa et dilacerata Aristophanis fragmenta a Suida exhibeantur et Suidae ipsius codices maximeque BE foedissimis corruptelis nonnunquam uitiati sint, tamen laudem meruisse uidetur Wold. Ribbeckius, quod Equitum editioni Suidae quoque scripturas et adnotationes si non omnes at certe grauissimas subscripsit. Et pro-

1) h. e. is, quem Suidas in usum uocauit, codex undecim fabularum Aristophanearum.

fecto minime neglegendus est Suïdas in recensendis Aristophanis fabulis: nam et uetustissimi et singularis codicis Aristophanei reliquiae satis amplae his lexicographi excerptis seruatae sunt. Et quoniam quantum a Rauennate scripturae Suidae discrepent considerauimus, hoc monendum est, ne cum nonnullis uiris doctis Rauennati libro corruptelis apertis saepenumero infecto nimiam auctoritatem tribuamus.

CAPVT ALTERVM.

§ 10.

Nunc transeo ad tractandas Thesmophoriazusas et Lysistratam fabulas. Quibus in recensendis praeter *BC* codices (Parisinos 2715 2717), Vossianum Leidensem (*L*) Laurentianum *Δ* (31, 16), quibus Thesmophoriazusae non adseruantur, uulgo in usum uocabantur codices R(auennas) et Augustanus (G Velseni), denique Iuntina editio princeps. Nunc Velseni commentatione: „Ueber den codex Urbinas der Lysistrata und der Thesmophoriazusen des Aristophanes" luculentissime apparet editionem illam principem Iuntae ex ipso R° fluxisse [1]). Augustanus uero *ubique fere uel saltem in rebus grauissimis cum R° consentire nec nisi calami erroribus a R° differre* Thierschio uidebatur et Engero.[2]) Quo fit, ut in Thesmophoriazusis cum uno R° Suidae lectiones comparandae sint.

§ 11.

Leguntur autem huius fabulae apud Suidam uersus 203 — ea est sexta fere totius fabulae pars — locis 148 citati [3]).

Ac primum quidem ex eis locis ubi Suidas cum R(auennate) congruit, insignes quosdam enumerabo:

V. 100 Suidas cum R° διαμινυρίζεται immisso contra metri

1) Refellitur igitur sententia Engeri Iuntinam a R° et Augustano *non calami tantum erroribus sed grauiore etiam scripturae diuersitate differre* opinantis.

2) praef. Lysistr. XII, Mus. Rhen. II 245.

3) Reliquae comoediae a Suida afferuntur: Nubes locis 424, Aues 408, Acharnenses 385, Ranae 331, Pax 231, Plutus 252, Vespae 209, Lysistrata 201, Ecclesiazusae 195.

elegantiam proceleusmatico exhibet, quod Dawesius[1]) in *διαμινύρεται* correxit[2]).

v. 125 *δοκίμῳ*[3]) et v. 179 *κοινῇ*[4]) contra scholii testimonium legitur et in R° et apud Suidam.

v. 868 *τί οὖν ἔτι ζῶ* (*ζῇ* S) *τῶν κοράκων πονηρίᾳ;* R et Suidas inepte Mnesilocho continuant, cuius partem alteram *τῶν κοράκων πονηρίᾳ* mulieri esse tribuendam ex scholio apparet perspexitque Bentleius.

v. 772 ultimus pes trimetri iambici acatalecti deest R¹ et Suidae.

Post v. 129 parepigraphen exhibet *ὀλολύζεις γέρων* R, *ὀλολύζει ὁ γέρων* rectius S, quam uix probabiliter in textum recepit Fritzschius.

His opponatur non mediocris differentiarum inter Suidam et R^om copia. Atque ut taceam, ubi leuiter in R° peccatum sit, Suidas uero genuinam scripturam retinuerit[5]), grauioris momenti hae uariae scripturae esse uidebuntur[6]). Itaque praebent in vv.:

S	R
42 *μελοποιῷν*	*μελωποιῶν* †,
53 *ἁψίδας* s. gl. *Δρύοχοι* et s. gl. *Χιανεύει*, *ἁψῖδας*[7]) s. gl. *Λαικαστής*	*ἀσπίδας*,†

[1]) Miscell. Crit. pg. 263.

[2]) Meinekius Vindd. Aristoph. pg. 176 *δὴ μινυρίζεται* proposuit.

[3]) Dindorfius *δόκιμον* ex scholio.

[4]) Bisetus *καινῇ* ex scholio.

[5]) uelut vv. 2 159 515 601 948 aut uerbà uno ductu perperam in R° exarata apud Suidam dirimuntur aut uerba falso in R° dirempta apud Suidam contrahuntur; vv. 36 180 263 383 accentus recte apud Suidam picti sunt; vv. 195 258 486 iota subscriptum, quod uocatur, recte apud Suidam positum est.

[6]) In his enumerandis eas Suidae lectiones, quae uiris doctis probatae pleraeque ab editoribus Aristophani restitutae sunt, litteris latius dispositis, itemque in altera plagulae parte Rauennatis probabiles scripturas conspicuas reddam; cruce notabo eos locos, quibus numeri uiolantur, asterisco eos, de quibus paulo infra fusius agendum est.

[7]) restituit Bentleius.

	S	R
54	τωρεύει A τορεύει BCVE †	τορνεύει *,
74	χρή σε	χρῆν σε *,
100	μυρμήκων†	μύρμηκος,
106	ἔχει[1])	ἔχεις *,
130	πότνιαι	πότνια,
139	ἀξύμφορον ABE ξύμφορον VC †	οὐ ξύμφορον *,
140	τίς δὲ †	τίς δαί,
142	ποῦ δὲ τὸ[2]) πέος; s. gl. Πέος, ποῦ τὸ πέος† s. gl. Λακωνικαί.	καὶ ποῦ σπέος (πέος Aug.),
162	οἴπερ[3])	οἵ περί,
162	ἐχύμισαν	ἐχύμησαν † *,
163	διεκίνουν	διεκίνων *,
178	οἷός τε	οἷόν τε,
196	ἂν extat[4])	omissum est † *,
223	ἀτταταταταταί	αττατα· ατταται·,
245	φῦ	φεῦ,
246	γεγένημαι[5])	γεγέννημαι †,
261	ἔγκυκλον	ἐγκύκλιον †,
263	γοῦν[6])	γ' οὐ[a]),
278	Θεσμοφόρῳ †	Θεσμοφορίῳ *,
295	εὐφημία ἔστω[7])	εὐφημί' ἔστω,
364	λέγουσ'	λέγουσιν †,

[1]) sic ex Suida Reiskius.
[2]) καὶ ποῦ τὸ πέος Bothius; adstipulatus est Velsenus.
[3]) corr. Bentleius.
[4]) corr. Porsonus et Koenius ad Gregor. Corinth. pg. 44.
[5]) cf. Eustath. pg. 314, 15.
[6]) reposuit Brunckius.
[7]) εὐφημία 'στω Brunckius.

[a]) etiam sec. m. R γοῦν correxit.

v.	S	R
369	*ὥσϑ'*	*ὡς* ‖ *ϑ'* (in v. 370),
374	*ἐπιστάτει* ABV } *ἐπιστάσει* CE }	*ἐπεστάτει,*
380	*πρότερον*	*πρῶτον,*
390	*ἔμβραχυ*	*ἐνβραχὺ,*
392	*μοιχοτρόπους*[1])	*μυχοτρόπους,* } *
392	*ἀνδρεραστρίας*[2])	*ἀνδρεαστρίας,* } *
393	*οἰνοπίπας*	*οἰνοποτίδας,* } *
394	*ἀνδράσιν*	*ἀνδράσι* †,
427	*ἐδίδαξε*	*ἐδίδαξεν* †[a]),
427	*ϑριπηδέστατ'*[3])	*ϑριπήδεστα,*
436	*ἰδέας*[4])	*εἰδέας,*
438	*ποικίλως*	*ποικίλους,*
469	*ὀναίμην*[5])	*ὀνοίμην* *,
481	*μου ̓́κνυεν*	*μ' οὔκνυεν* *,
493	*μάλισϑ' ὅταν*	*ὅταν μάλισϑ',* } *
493	*ληκώμεϑα*[6])	*κινώμεϑα,* } *
494	*ὅλην*†	*ἔωϑεν,* } *
514	*ἔκμαγμα σὸν* BCE } *ἔκμασον* A } † *ἐκμάσσοντα* V }	*αὐτέκμαγμα σὸν,*
532	*πλὴν ἄλλαι*	*πλὴν ἄρ' εἰ* *,
576	*ὑμᾶς*	*ὑμῶν,*
616	*χϑὲς γὰρ*† AVE } *ἐχϑὲς γὰρ* B }	*γὰρ ἐχϑὲς*[b]) *,

[1]) corr. Zanettius.

[2]) *ἀνδρεαστρίας* etiam codex A Suidae.

[3]) sic s. gl. *Λακωνικαὶ* omnes codices, s. gl. *Κακοηϑέστατα* codd. AVE *ϑριπηδέστατα*, BC *ϑριπήδεστα*.

[4]) Phauorinus *ἰδίας*, coniecit Velsenus *εἶδος*.

[5]) restituit Brunckius.

[6]) corr. Bentleius.

[a]) cf. Velsen: Ueber den codex Urbinas pg. 33.

[b]) sic etiam codex C Suidae.

	S	R
630	*μέντοι*[1])	deest – | ⏑ † *,
631	*μετὰ τοῦτο*	*με τοῦτο*†
647	extat apud Suidam	a scholiorum manu adscriptus est,
710	*ἥκεις γ'*[2])	*ἥκεις τ',*
730	*σὺ δὲ τὸ*[3])	*σὺ τόδε τὸ* †,
737	*καλὸν*[4]) †	*ἀγαθὸν,*
737	*δὲ κακὸν* †	*δ' αὖ κακὸν,*
747	*ὅσον* †	*καὶ ὅσον,*
769	*οἶδα δ'*	*οἶδ',* } *
769	*πρότερον* ABVEC *πότερον* Oxon. } †	*πόρον,* } *
772	*γ' ἔκειντο*	*γένοιτ',* } *
773	*εἰ ταδὶ*	*εἶτα διά,* } *
834	*Στήνι(α)*[5])	*τηνίοισι,*
868	*ζη τῶν* BVCE *ζῇ τῶν* A	*ζῶ τῶν**,
910	*Μενέλεων*[6])	*μενέλαον,*
910	*ὅσον ἐκ*	*ὅσα γ' ἐκ,*
910	*ἰφύων*[7])	*ἀφύων,*
926	*ἣν ἐμπνέω* †	*ἥνπερ ἐμπνέω,*
935	*ταύτην* †	*αὐτὸν,*
948	*θεῶν* A *θεαινῶν* BVE[8])† *θε*῀ (i. e. *θεαῖς*) C	*θεαῖν*[a]),

[1]) probauerunt Porsonus, Reisigius Coni. 231, Dobraeus, receperunt Dindorfius, Fritzschius, Engerus.

[2]) corr. Reisigius Coni. 297.

[3]) corr. Kusterus.

[4]) sequitur paulo post *κακὸν*.

[5]) restituit Kusterus *Στηνίοισι* ex scholio.

[6]) restituit Dindorfius duce Reisigio in Coni. 277.

[7]) emendauit Porsonus, restituit Brunckius.

[8]) itaque in archetypo codicum Suidanorum scriptum fuerat *θεαιν* (*ων* suprascr.).

[a]) *θεοῖν* Meinekius, Velsenus.

S		R
1197	*συβήνην*[1])	*συμβήνην*,
1197	*οὐκ ἔχω οὐδὲν*[2])	*οὐκ ἔκ ὠδέν*[a]),
1214	*διέβαλέ*	*διέβαλλε* †,
1214	*ἡ γραῦς*[2])	*ὁ γραῦς*[b]),
1217	*ἢ ἔφερεν*	*ἤφερεν* (= *ἢ 'φερεν*).

§ 12.

Iam quid singulis Thesmophoriazusarum uersibus ex Suida emendationis possit redundare uideamus.

Itaque quod ad v. 39 Engerus adnotauit: *Recte λαὸς Suidas s. gl. εὐφήμει,* non prorsus recte fecit; nam duo tantum codices *λαὸς* exhibent, quorum alterum E interpolatum et ex ipsis recentissimis poetae codicibus esse refictum Bernhardyus monuit, alterum V a correctore eodem fere modo tractatum esse apparet, si obiter huius codicis scripturas cum codice optimo et uetustissimo Parisino A comparaueris.

Ante v. 52 apud Suidam s. gl. *Δρύοχοι* et s. gl. *Χιανεύει* legitur *Ἀγάθων ἄρχεται* (*ἔρχεται* ABC s. gl. *Δρύοχοι*) parepigraphe, quae similis est eis, quae post v. 129 extant, uerbis *ὀλολύζει ὁ γέρων*. Bernhardyus autem, cum in adnotatione ad gl. *Δρύοχοι* illa uerba Aristophani restituenda putaret, *ut exprimeretur Aristophaneum μέλλει* (in v. 49), errat, immo uerisimile est haec uerba a librario, qui illa *δρυόχους τιθέναι* et quae sequuntur Agathonis non ministri esse uerba somniaret, uersui 52 adscripta esse.

v. 54 Suidae codices BVCE falso *τορεύει* pro *τορνεύει* exhibent; quam ut offensam metricam tolleret, is qui codicem A exarauit, *τωρεύει* emendasse sibi uisus est; potest tamen etiam *ω* casu ex *ο* effectum esse.

Ad v. 74 Dobraeus adnotat posse hunc uersum in Euri-

---

[1]) *συβίνην* corr. Brunckius.

[2]) nimirum ut perplexis Scythae uerbis forma legibus grammaticis accommodatior efficiatur.

[a]) *οὐκ ἔκ οὐδὲν* ex editione Farrei recepit Engerus.

[b]) corr. Brunckius *ὦ γραῦς*.

pidis orationem sequentem transferri legendo scilicet *χρὴ* pro *χρῆν*. Huic sententiae Suidae lectio *χρὴ* uidetur fauere, etsi personarum notae constanter in locis a Suida citatis omittuntur[1]). Nam *χρὴ* illud neglegentiae librariorum deberi ea de causa minus est uerisimile, quod aliis locis[2]) Suidae codices aut bonam scripturam *χρῆν* (*ἐχρῆν*) aut corruptam in *χρῆ*, nunquam in *χρὴ* exhibent. Accedit quod ex scholiastae adnotatione, quam Suidas quoque tuetur, *οὐ μόνον κηδεστὴς ὁ ἐκδιδοὺς* (*διδοὺς* minus bene Suidas) *ἀλλὰ καὶ ὁ λαμβάνων* elucere uidetur hoc loco *κηδεστὴν* idem esse quod generum non idem quod socerum, uelut in v. 210 Mnesilochus generum Euripidem sic adloquitur *ὦ φίλτατ', ὦ κηδεστά, μὴ σαυτὸν προδῷς*. Nullius uero momenti hoc loco est Suidae uocis *κηδεστής* explicatio, quam in adnotatione subministrat, *ὁ πενθερός*, quippe quae uox ambigua duas significationes et soceri et generi complectatur. Denique accusatiuum personae ex uocabulo *κρύπτειν* pendentem desiderantibus Brunckio Dobraeo Dindorfio placuit *κηδεστὴν ἐμέ* pro *κηδεστὴν ἐμόν* proponere; quae coniectura superuacanea sit, si Euripides uerba *οὐ χρή σε κρύπτειν ὄντα κηδεστὴν ἐμόν* loquatur.

v. 106 *ἔχει* a Reiskio ex Suida correctum receperunt editores; monuit enim iam Toupius[3]): *sed uerior et elegantior Suidas ἔχει; quod ex interpretamento subiecto patet. Idem εὐπίστως τοὐμὸν ἔχει et εὐπίστως ἔχω.*

v. 125 pro *δοκίμῳ*, quod codices Aristophanei et Suidas habent, Dindorfius ex R[is] scholii uerbis: *ἐπεὶ Ἀπόλλων ἐστὶν ὁ κιθαρίζων. τῆς οὖν κιθάρας ἄρσενι βοᾷ δοκίμου οὔσης φῶς ἔσσυτο*, scribendum putauit *δόκιμον*; at haec uerba ex coniectura grammatici alicuius originem duxisse et probauit Engerus[4]) et testatur auctor scholii: *τῇ θαυμαστῇ καὶ δεδοκι-*

[1]) cf. gl. *τεχνάσμασι*, ubi vv. 198—201 continui leguntur omnique personae nota carent.

[2]) Eq. 535 *χρὴ* R-*P-ΑΓΘΔ*, *χρῆ* *V* et S (CV), *χρην* *M* et S (ABE); Lys. 526 *χρῆν* codd. Aristophanei et Suidas; Nub. 371 *χρῆν* codd. Aristophanei, *ἐχρῆν* S; Pac. 733 *χρῆν* codd. Aristophanei et S (A), *ἐχρῆν* S (BCE), *χρῆ* S (V).

[3]) Emendd. in Suidam III. 410.

[4]) in adnot. ad h. l.

μασμένη φωνῇ et confirmat denique Suidas apud quem longior illa grammatici adnotatio non extat, sed sola uerba *τῇ θαυμαστῇ φωνῇ καὶ δεδοκιμασμένῃ* s. gl. *Ἄρσενι* leguntur. Probabiliorem igitur coniecturam protulit Meinekius[1]) *δοκίμων* ad *ὕμνων* referendum.

v. 139 pro *οὐ ξύμφορον* in Suidae codicibus ABE *ἀξύμφορον* legitur, in codicibus VC *ξύμφορον*, quod per errorem pro *ἀξύμφορον* scriptum est; recte autem Bothius *ἀξύμφορον*[2]) uidebitur recepisse, si comparaueris Nub. 1371, ubi eundem Aeschylum irridet[3]) Aristophanes atque hoc loco et propter grandem et sonoram orationem *ψόφου πλέων ἀξύστατον* appellat. Incaute uero Fritzschius, ut uocem *ἀξύμφορον* reiceret, Sophoclis O. T. 439 affert, ubi recte codex Laurentianus optimae notae *κοὐ σαφῆ* suggerit, cum uulgo legatur *κἀσαφῆ*. Hic enim locus ad nostrum minime quadrat; nam cum ibi sollemnis sit apud tragicos duorum adiectiuorum idem significantium copulatio, hoc loco tale quicquam omnino non reperitur.

Quod ad v. 162 in scholio R[is] adnotatum est scripturam *Ἀχαιός τὰ παλαιότερα ἀντίγραφα* habuisse et ab Aristophane Byzantio in *κ' Ἀλκαῖος* mutatam esse, id Suidas non nouit. Inter coniecturas autem ad sanandum hunc locum prolatas[4]) Meinekii[5]) praeferenda uidetur, qui *καχαιος* facile ex *καιλασος* i. e. *καὶ Λᾶσος* gigni potuisse suspicatur collato Vesp. 1410, ubi Lasum commemorat et cum Simonide componit Aristophanes.

In eodem uersu *ἐχύμισαν* pro *ἐχύμησαν* inde ab editione Aemilii Porti ex Suida Aristophani restitutum est; idemque correxit M. Schmidtius apud Hesychium: *ἐχύμισαν· ἤρτυσαν.*

---

1) Vindd. Aristoph. pg. 147.

2) *ἀξύμφορος* legitur Eurip. Troad. 491, Thucyd. I 32, II 91, VIII 50, alibi apud; Xenophontem, Platonem, Aeschinem similiter formatae sunt *ἀσύντονος, ἀσύμβολος, ἀσύμπλοκος, ἀσύστολος, ἀσυνείσφορος* alia multa.

3) Nam hoc loco contra Hermannum (Opusc. V 14, 15) et cum Fritzschio longiorem esse Aeschyli parodiam existimem et per octo uersus extendi.

4) *χὠ Κεῖος* Fritzschius, *ἀρχαῖος* Hermannus probante Engero.

5) Vindd. Aristoph. pg. 149.

Ad v. 163 *διεκίνων*[1]) Suidas aptissime addit hanc explicationem: *ἀντὶ τοῦ μίτραις τουτέστι ζώναις διαζωσάμενοι ἁβρῶς περιεπάτουν* (R nihil exhibet nisi *ἁβρῶς*); nam docent Agathonis uerba initio orationis vv. 159 160

ἄλλως τ' ἄμουσόν ἐστι ποιητὴν ἰδεῖν
ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν

et quae in v. 165 de Phrynicho dicuntur *καὶ καλῶς ἠμπίσχετο,* mollem et luxuriosum uestitum illum excusare. Quam ob rem coniecturis quas proposuerunt uiri docti Toupius[2]) *διέκλωντ'*, Dorvillius[3]) *διέκνων* (quod probat Dindorfius) praestat Fritzschii *διεχλίδων*, nisi quod rectius Meinekius[4]) *τε* particula seruata *τε κἀχλίδων* scribendum esse monuit, idque arrisit Velseno.

v. 196 ex Suida prius *ἂν* Aristophani reddiderunt Porsonus et Koenius ad Gregor. Corinth. pg. 44, quos secuti sunt editores recentiores seruato scilicet *ἂν* posteriore. At cum apud Suidam aliis locis, ubi apud Aristophanem duplex *ἂν* legitur[5]), posterius *ἂν* omitti soleat, etiam hoc loco eiciendum esse Kusterus censuit et *ἂν μαινοίμεθα* pro *ἂν μαινοίμεθ' ἂν* Aristophani restituendum putauit. Ceterum de duplicis *ἂν* usu et pretio cf. G. Hermannum ad Vigerum pg. 814 sqq. et Reisigium in Coniectt. pg. 187 188.

In v. 257 *ἥδιον* quod apud Suidam peruerse legitur pro *ἡδὺ* ita fortasse ortum est, ut librarius accentum grauem casu longiorem factum pro nota ea acciperet, qua *-ον* solet significari a tachygraphis.

Versus 261 duae extant apud Suidam formae, altera s. gl. *Ἔγκυκλον:*

Φέρ' ἔγκυκλον τουτί. Λάμβαν' ἀπὸ τῆς κλινίδος,

altera s. gl. *Κλινίς:*

⏑ *Ἔγκυκλον. Τουτὶ λάμβαν' ἀπὸ τῆς κλινίδος,*

---

[1]) sic s. gl. *Ἐμιτρώσατο*; s. gl. *Ἰωνικὸς· διεκίνουν.*
[2]) Emendd. pg. 166 ed. Oxon.
[3]) ad Charitonem pg. 560.
[4]) Vindd. Aristoph. pg. 149.
[5]) ueluti Eq. 1168. Lys. 115 116 361.

quam recepit Phauorinus. Praeferenda tamen uidetur Reiskii emendatio *Φέρ' ἐγκυκλόν τι,* quam probarunt Fritzschius et Engerus.

Pro *Θεσμοφορίῳ* in v. 278 Suidas peruerse *Θεσμοφόρῳ* profert; attamen ne R^is quidem scripturam ferendam sed *Θεσμοφορείῳ* scribendum esse Meinekius docuit[1]).

v. 341 Suidae libri manuscripti[2]) qui hodie supersunt *ἐνετρύλλισεν* exhibent una cum codicibus Aristophaneis, Zonara[3]), grammatico manuscripto in catalogo codd. Naniann. pg. 493; sed cum Phauorinus, qui saepissime in componendo Dictionario Suidam compilauit, *ἐνετρύλησε* hoc loco subministret, conici licet Suidam ipsum aut idem exarasse aut, quod magis placet, *ἐνετρύλισε,* quam scripturam Dindorfius Aristophani restituit.

In vv.

392 *τὰς μοιχοτρόπους τὰς ἀνδρεραστρίας καλῶν*

393 *τὰς οἰνοπίπας, τὰς προδότιδας, τὰς λάλους*

μοιχοτρόπους, pro *μυχοτρόπους* R^is [4]), Zanettius restituit; tum *ἀνδρεραστρίας*, quod in codicibus BCVE Suidae legitur pro R^is *ἀνδρεαστρίας*, ueram esse scripturam confirmat Eustathii[5]) *ἀνδρεραστρίας,* testatur Eupolidis[6]) *ἐραστρίας* et Pollucis[7]) *ἀνδρεραστίαν,* quod tertio *ρ* omisso ex *ἀνδρεραστρίαν* corruptum esse apparet. Codicis A autem Suidani *ἀνδρεαστρίας* eodem modo atque in R^e deprauatum uidetur ex *ἀνδρεραστρίας.* Porro in v. 393 *οἰνοπίπας* Suidae, quam scripturam commendant scholia in h. l. conscripta, editoribus probatum est praeter Dindorfium, qui H. Stephanum *οἰνοπίπας* genere feminino dici non posse iudicantem non inepte secutus censuit eum, *qui οἰνοποτίδας posuerit, recte uideri correxisse*

---

[1]) Vindd. Aristoph. pg. 150.

[2]) collatio Gronoviana codicis V(ossiani) *ἐνετρύλλισες.*

[3]) I 245.

[4]) saepius in eo codice *οι* et *υ* confunduntur, uelut vv. 417 501.

[5]) pg. 381, 15.

[6]) apud Polluc. III, 70: *καὶ γυναῖκας δὲ ἐραστρίας Εὔπολις εἴρηκεν* (Meinek. Fragm. Comic. II 574.)

[7]) III, 20.

antiquorum codicum uitium οἰνοπίπας. Quamquam potest *οἰνοπότιδας* R[is] homoeoteleuto propter *προδότιδας* effectum esse; nec Dindorfii confirmat sententiam quod in Suidae codice A, in lemmate proposito non in ipso uersu, exaratum est *οἰνοπίτας,* quippe quod non ex *οἰνοποτίδας* uerum ex *οἰνοπίπας* corruptum esse uerisimile sit.

v. 449 *ἀλλ' ἡμικάκως* Suidas cum R[e] tuetur; etenim quod in Suidae codicibus V et Oxon. legitur *ἀλλ' εἰ κάκως* [sic][1]) sine dubio ex illa scriptura profectum est, quam etsi Phrynichus[2]) condemnat, tamen comprobat et Aristophani uindicat Pollux[3]).

v. 469 *ὀναίμην* formam a Suida seruatam Aristophani uindicauit Toupius collatis Luciano in Philops. 27 *οὕτως ὀναίμην, ἔφη, τούτων τῶν υἱέων* et Hesychio *ὀναίμην· τύχοιμι ἀπολαύσαιμι, ὠφεληθείην,* probauerunt Lobeckius[4]) et Valckenarius[5]), restituit Brunckius.

In v. 481 contra R[is] scripturam *μ' οὔκνυεν*[6]) Suidas *μου ̓́κνυεν*[7]) tradit, quod nescio an praeferendum sit[8]) ceteris scripturis a uiris doctis prolatis: Kusteri *μοῦ ̓́κνυεν,* Bergleri *'μοῦ ̓́κνεν,* Bekkeri *μού 'κνυεν,* Bothii et Fritzschii *μοὔκνυεν,* Thierschii *μοὖ 'κνυεν, μου 'κνυεν* Dindorfii Engeri Velseni. — In eodem uersu *ἐλθών* Suidae confirmat R[is] scripturam contra Eustathii *ἕλκων* et Zonarae[9]) *κινῶν.*

Vv. 493 494 sic apud Suidam leguntur:

μάλισθ' ὅταν ὑπό[10]) *του ληκώμεθα*
τὴν νύχθ' ὅλην, σκόροδα διαμασώμεθα[11]).

---

[1]) fallitur enim Engerus, cum *ἀλλ' εἰ κακῶς* apud Suidam extare adnotet.

[2]) pg. 336 ed. Lobeck.

[3]) VI 161.

[4]) ad Phrynich. pg. 13.

[5]) ad Theocrit. Adoniaz. v. 55 pg. 363.

[6]) teste Velseno.

[7]) testatur Eustathius ad Od. pg. 1746.

[8]) cf. Lys. 48 *χἠ ̓́γχουσα* Soph. O. C. 1608 *πεσοῦσαι ̓́κλαιον.*

[9]) I 669.

[10]) CE minus bene *ἀπό.*

[11]) sic etiam Phauorinus hos uersus tradit.

Deprehendit autem apud Suidam *ληκώμεθα*[1]) lectionem Piersonus[2]). Tum scriptura *μάλισθ' ὅταν* praeferenda uidetur R^is *ὅταν μάλισθ'*, quod frigide Kusterus Vossius Brunckius interpretati sunt: si uel maxime (id est uehementissime) ab aliquo subagitatae simus; praestat sane uertere: tum maxime, cum ab aliquo subagitatae sumus, alium mandimus. Denique *ὅλην*, etsi sensum lepidum efficit, glossemati ad *τὴν νύχθ'* adscripta deberi uerisimile est, cum praesertim de orgiis per totam noctem perpetratis agi doceat *ἕωθεν* aduerbium, quod proxime sequitur; recepit tamen *ὅλην* Velsenus in uersum 493 pro *ὑπό του*.

In vv. 531 532:

Ἀλλ' οὐ γάρ ἐστι τῶν ἀναισχύντων φύσει γυναικῶν
οὐδὲν κάκιον εἰς ἅπαντα πλὴν ἄλλαι γυναῖκες

uerba *πλὴν ἄλλαι γυναῖκες* ex adnotatione addita *τουτέστιν, εἰ μὴ ἄλλη γυνή*, genuinam quam seruauit Rauennas scripturam *πλὴν ἄρ' εἰ γυναῖκες* expulerunt. Neque tamen Dindorfio adsentior, qui scholii uerbis *εἰ μὴ* circumscribi Aristophanis *πλὴν ἄρ' εἰ* et *ἄλλη γυνή* proximi uersus lemma esse statuit; quid enim sibi uelit tale lemma et quam tali lemmati explicationem a scholiasta additam esse uelit Dindorfius, non uideo.

Versus 560 scripturam Suidae

.... *Ἑτέρα τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει κατεσπόδησεν*

contra R^is lectionem

οὐδ' ὡς τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει γυνὴ κατεσπόδησεν

probant Porsonus[3]) et Dindorfius[4]), cum anapaesti in tetrametri iambici catalectici pede quarto positi rara sint apud poetas Atticos exempla. Cui opinioni repugnat Reisigius in Coniectt. pg. 90, cum *ἑτέρα separatim de una non dicatur nec possit nisi cum quadam oppositione poni.* At hoc certo nec inusitatum nec absurdum est, ut postquam uniuersarum mulierum facinora exemplis quibusdam illustrauit poeta, pergat *ἑτέρα* —

[1]) etiam in R^e prima manu *ληκώμεθα* exaratum uidetur.

[2]) ad Moeridem pg. 6.

[3]) in Append. ad Toupium pg. 453 et in Sup plemento ad Praefat. Hecub. pg. XLI.

[4]) in adnot. ad h. l.

τὸν ἄνδρα κατεσπόδησεν. Nec nimium tribuendum est Fritzschii dubitationi, qui *ἑτέρα* ex proximo uersu *ἑτέρα τὸν ἄνδρ' ἔμηνεν* illapsum esse sollerter suspicatus est; immo *ἑτέρα* bis positum in illa Mnesilochi enuntiatione aptissimum uidetur locum obtinere.

V. 601 *ξυνέξευρ'* Suidae codicis V lectio, quae in ceteris libris in *συνέξευρ'* abiit, auctore Bentleio Brunckius Aristophani restituit neque opus est coniecturis Toupii[1]) *συνανέξευρ'* aut Koppiersii *σύ γε συνέξευρ'*.

Versum 616 Suidae codices sic tradunt:

στραγγουριῶ χθὲς γὰρ ἔφαγον κάρδαμα AVE Oxon.
στραγγουριῶ ἐχθὲς γὰρ ἔφ. κ. B
στραγγουριῶ γὰρ ἐχθὲς ἔφ. κ. C (item R).

Ex his tribus uariis lectionibus compositis uera Aristophanii scriptura restituenda uidetur:

στραγγουριῶ γάρ· χθὲς γὰρ ἔφαγον κάρδαμα,

duplici posito *γάρ*, quod ne Engero quidem insulsum uidebatur. De duplicis autem *γάρ* usu Kuehnerus[2]) haec adnotat: *„Häufig folgen zwei oder mehrere Sätze mit γάρ auf einander, und zwar wechselt entweder das grundangebende γάρ mit dem erklärenden ab oder sie sind beide grundangebend.“* Apud Aristophanem autem duplicis *γάρ* obuiam fiunt exempla Plut. 76 sqq., 104 sqq., 828 sqq., Vesp. 1016 sqq., Pac. 346 sqq. Magnam insuper exemplorum uim ex Homero, Thucydide, Xenophonte affert l. c. Kuehnerus.

Pro v. 702

ὡς ἅπαντ' ἄρ' ἐστι τόλμης ἔργα κἀναισχυντίας[3])

ex Suidae glossa: *Ἅπαντα τόλμης πλέα κἀναισχυντίας· ἐπὶ τῶν ἰταμῶν καὶ ἀναιδῶν,* Toupius hanc uersus formam Aristophani restituendam putauit:

---

[1]) Emendatt. III pg. 380.

[2]) Gramm. Graec.[2] II 2 pg. 856 adnot. 4.

[3]) Hunc uersum ex Bentlei coniectura affero; R enim *ὡς απαν γάρ ἐστιν τ. ἔ. κ.* habet; Velsenus Porsonum secutus sic eum restituit: *ὡς ἅπαντ' ἄρ' ἐστὶ τόλμης μεστὰ κἀναισχυντίας.*

ὡς ἅπαντ' ἐστὶν πλέα τόλμης ἔργα κἀναισχυντίας,
inuito metro, quoniam spondeus in pede tertio tetrametri trochaici catalectici (πλέα) ferri non potest; Porsonus:

ὡς πλέα 'σθ' ἅπαντα τόλμης ἔ. κ.

Reisigius [1]) denique eiecta uoce ἔργα (propter insequens ἔργον) in v. 703 hos dochmiacos numeros adsecutus est:

ὡς ἄρ' ἅπαντα γ' ἐστὶ τόλμης πλέα κἀναισχυντίας.

At si consideraueris a scholiasta R[is] ad h. l. παροιμία adnotatum esse, adsentieris Dindorfio Fritzschio Engero, qui seruasse hoc loco Suidam illud prouerbium arbitrantur, quod et ipsum in eo scholio uoce παροιμία indicatum sit et quo scholia augeri possint, nec laudabis Bernhardyum [2]) qui collato Eq. v. 304

τοῦ σοῦ θράσους πᾶσα μὲν γῆ πλέα

ex Suida reponi iussit:

ὡς ἅπαντ' ἄρ' ἐστι τόλμης πλέα τε κἀναισχυντίας.

Immo nescio an prouerbium illud trimetrum iambicum acatalectum effecerit scribendumque sit apud Suidam: Ἅπαντα τόλμης πλέα [τε] κἀναισχυντίας· ἐπὶ τῶν ἰταμῶν καὶ ἀναιδῶν. [παροιμία]. —

Vv. 769—775 sic a Suida [3]) exhibentur:

οἶδα δ' ἐγὼ καὶ δὴ πρότερον [4])
ἐκ τοῦ Παλαμήδους· ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων [⏑ — ⏑ — ⏑ — ⏑ —].

(hic scholium intercalatum est)

πόθεν οὖν γ' ἔκειντό μοι πλάται [⏑ — ⏑ —]
[⏑ —] ταδὶ τἀγάλματα ἀντὶ [—] πλατῶν
γράφων διαρρίπτοιμι. Βέλτιον πολύ.
Ξύλον γέ τοι [5]) καὶ ταῦτα κἀκεῖνο ἦν [6]) ξύλον,

---

[1]) Coniectt. pg. 274.

[2]) in adnot. ad hunc Suidae locum.

[3]) In Suidae codice A haec glossa ideo intercidisse uidetur, quia librarius ex tribus glossis a lemmate Παλαμήδης incipientibus ultimam omisit.

[4]) πότερον ex codice Oxoniensi Bernhardyus profert.

[5]) γέ τι ABVE.

[6]) κακύνειν E, unde sequitur, ut etiam a Suida κἀκεῖν' ἦν scriptum fuerit.

qui uorsus sic a R[e] traduntur:

οἶδ' ἐγὼ καὶ δὴ πόρον
ἐκ τοῦ Παλαμήδους· ὡς ἐκεῖνος τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων. ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται.
πόθεν οὖν γένοιτ' ἄν μοι πλάται; πόθεν [◡ —]
τί δ' ἄν, εἰ ταδὶ τἀγάλματ' ἀντὶ τῶν πλατῶν
γράφων διαρρίπτοιμι; βέλτιον πολύ.
ξύλον γέ τοι καὶ ταῦτα κἀκεῖν' ἦν ξύλον.

Vbi uerba illa *ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται* haud paruam uiris doctis offensam praebuerunt: Brunckius *πάρεισί μοι* coniecit, nec non Fritzschius *ueretur ne πάρεισιν grammatico alicui debeatur, Aristophanes autem scripserit ἀλλ' οὐ γάρ εἰσιν αἱ πλάται.* Quare cum etiam in R[e] uersus sequentis (772) ultimus pes desideretur[1]), nescio an uerba *ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται* (v. 771) et *πόθεν* (exeunte uersu 772) interpolata sint. Quid enim haec uerba utilitatis aut augmenti his uersibus afferunt? Immo ab interpolatore ex iis ipsis uerbis quae integra tradita erant formari atque refingi poterant; quid enim aliud sibi uult *ἀλλ' οὐ πάρεισιν αἱ πλάται* quam *πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν μοι πλάται;*? Et *πόθεν* illud uersui 772 adglutinatum frigide repetitum est. Verba *τί δ' ἄν, εἰ* uero, quae desiderantur apud Suidam, genuina esse Aristophanis uerba existimabimus, cum similia legantur Nub. 154 *τί δῆτ' ἄν, ἕτερον εἰ πύθοιο;* Nub. 1445 *τί δ', ἢν ἔχων τὸν ἥττω λόγον σε νικήσω;* Lys. 366 *τί δ', ἢν σποδῶ τοῖς κονδύλοις;* Suspicor igitur in unum contrahendos esse vv. 771. 772 et scribendum:

ῥίψω γράψων. πόθεν οὖν γένοιντ' ἄν μοι πλάται.

Altera vv. 770. 71 forma et ea corruptissima a Suida s. gl. *Πλάτη* seruata est:

ὥσπερ Παλαμήδης τὰς πλάτας
ῥίψω γράφων Ναυπλίῳ;

---

[1]) *πλάται* suppleuit Engerus, *γένοιντ' ἂν ἀθλίῳ* coniecit Brunckius, *γένοιντ' ἄν μοι πλάτας λαβεῖν; πόθεν;* Dindorfius. Ceterum *γένοιντ'* ex Suidae peruersa scriptura *γ' ἔκειντο* restitutum est pro *γένοιτ'* *R.*

etenim *ὥσπερ Παλαμήδης* et *Ναυπλίῳ*[1]) excerpta habes ex scholiastae adnotatione, quae sic exhibetur in

R^{e}	et S^{a}[2])
ὥσπερ Οἴαξ τῷ Ναυπλίῳ γράφει ἐν τῷ Παλαμήδει τοῦ Εὐριπίδου. Ὁ γὰρ Οἴαξ ἐγχαράττει πολλαῖς πλάταις τὰ περὶ τὸν Παλαμήδην καὶ ἀφίησιν εἰς θάλασσαν ὥστε μιᾷ γέ τινι τὸν Ναύπλιον προσπεσεῖν.	*ὥσπερ Οἴαξ τῷ Ναυπλίῳ γράφει τῷ πατρὶ* exciderunt *τὸν Παλαμήδην ἐν διαφόραις πλάταις καὶ ῥιπτεῖ εἰς θάλασσαν, ὥστε μιᾷ γέ τινι Ναυπλίῳ περιπεσεῖν.*

Tamen ex corrupta illa uersuum forma, quae a Suida s. gl. *Πλάτη* exhibetur, concludi potest, cum in archetypo uersus 771 in duas partes diremptus legeretur, scholio marginali tantum spatii fuisse, ut uox *Ναυπλίῳ* ultimam uersiculi partem occupare posset.

Versus 868 has formas Suidas tradit:

Τί οὖν ἔτι ζῃ τῶν κοράκων πονηρίᾳ V. Oxon. E.
Τί οὖν ἔτι ζῇ τῶν κοράκων πονηρία (sic) A.
Τί οὖν ἔτι ζητῶν κοράκων πονηρίαν C B,

ex quibus scripturis alteram et tertiam ex coniectura satis mira prodiisse apparet. Videtur autem mendosa apud Suidam lectio inde orta esse, quod olim exaratum legebatur:

Τί οὖν ἔτι ζῶ τῇ κοράκων πονηρίᾳ;

quam scripturam Scaligerus in editione sua Aristophani restituit.

Ad v. 878 *ὦ δύστηνος, οἳ πεπλώκαμεν*, quam formam et ipse Suidas tuetur, recte uidetur iudicasse Buttmannus[3]): „*Euripides, der dies Perfect auch auf die attische Bühne brachte* (*Helen.* v. 532 *πεπλωκότα*), *scheint von Aristophanes desswegen verspottet zu werden*"; nec opus est coniecturis Dindorfii ad hunc locum et Matthiaei ad Euripidis locum *πεπλεύκαμεν* et *πεπλευκότα.*

Denique in v. 1059 notabiles sunt Suidae scripturae uariae:

---

[1]) *Ναυπλοίῳ* teste Bernhardyo collatio Gronoviana codicis V(ossiani).
[2]) lacunosam et deprauatam scholii formam Suidas seruauit.
[3]) Gramm. Graec. part. II pg. 220.

ἐπικοκάστρια C,
ἐπικοκκάστρια ἢ ἐπικαγχάστρια A,
ἐπικακοστρᾶ et in marg. ἐπικαχάστρια V,
ἐπικουκούστρια B E,
ἐπικαγκάστρια Oxon. teste Bernhardyo;
tamen R[is] scriptura quam probant A (C) Suidae codices et Eustathius[1]) ἀοιδὸς ἐπικοκκάστρια praeferenda est. —

Magna est igitur in recensendis Thesmophoriazusis Suidae auctoritas; nam et plus quadraginta locis solus genuinam Aristophanis scripturam seruauit, et saepissime R[is] scripturam fulcit et confirmat, denique ex ipsis Suidae mendis ineptiisque hic illic aliquid lucis Aristophani afferri uidimus; quod quamquam uiros doctos minime fugit, immo saepissime ii qui in edenda uel explicanda hac fabula operam studiumque collocabant Suidae scripturas et adnotationes ad emendandam hanc fabulam adhibuerunt, tamen dignae uidentur quae fere integrae Thesmophoriazusarum apparatui critico inserantur.

CAPVT TERTIVM.

§ 13.

Pergamus ad Lysistratam. De cuius fabulae codicibus quos nunc habemus Engerus haec adnotat: *Duo extant Lysistratae librorum genera, quorum alterum specie quidem emendatius sed interpolatum, alterum multis uitiis inquinatum longe tamen sincerius est atque praestantius priore.* Prioris autem generis sunt codices *B C*[2]) (Parisini 2715 et 2717) et Vossianus Leidensis (*L*), quem Velsenus[3]) non temere Florentini *Γ* (bibliothecae Laurentianae 31, 15) ultimam partem effecisse suspicatus est, et Laurentianus *Δ* (31, 16); etenim lacunae

[1]) ad Od. pg. 1761, 21.

[2]) Dindorfianis siglis utor; non bene enim Engerus Parisinos 2715 et 2717 nominat *AB*, cum Dindorfius rectius littera *A* insigniuerit Parisinum 2712, qui Lysistrata caret, et Vossianum Leidensem Engerus insigniuit nota *V*, ut facile cum *V*(eneto) possit confundi; cf Velsen. Philol. XXIV pg. 126.

[3]) Ueber den Codex Urbinas pg. 53.

his quattuor libris manuscriptis communes sunt uersuum 62—131, 200—267, 820—890, 1098—1236, nisi quod Leidensis iam v. 1034 desinit. Posterioris uero familiae sunt R(auennas) et quem ex eo descriptum esse Engerus probabiliter docuit Augustanus. Quod in prioris generis codicibus primo loco 70, altero 68, tertio 71, quarto 139 uersus omissi sunt, id ita explicandum esse monuit in scholis Guil. Studemundus praeceptor meus, ut singulis foliis in archetypo horum codicum fere 68 — 70 uersus comprehensi fuerint, nonnulla autem archetypi folia casu perierint.

Legebantur igitur:		Lysistratae foliis:
vv. 1—61	=61 [1]) uersus	I°.
62—131	=70 „	II°. †
132—199	=68 „	III°.
200—267	=68 „	IV°. †
268—819	=552 i. e. 8 × 69 vv.	V°—XII°.
820—890	=71 uersus	XIII°. †
891—1097	=207 i. e. 3 × 69 vv.	XIV°, XV°, XVI°.
1098—1236	=139 i. e. 69+70 vv.	XVII°†, XVIII°†.
1237—1305	=69 uersus	XIX°.
1306 ad finem	=(17) „	XX°.

Ergo folia cruce notata II IV XIII XVII XVIII in archetypo codicum *BCLΔ* exciderunt. Quas archetypi lacunas optime animaduertit librarius codicis *C*, qui post v. 200 uacuum spatium paginarum quattuor et dimidiae, post v. 820 quattuor circiter plagulas, post v. 1098, etsi interciderunt tantum uersus 138, quinque paginas uacuas reliquit [3]), lacunam uero in archetypo extare post v. 62 non perspexit. Atque cum ea quam modo proposuimus computatione optime consentit, quod Velsenus coniecit Vossianum Leidensem ultimam codicis Florentini *Γ* partem effecisse, cui desunt Auium — quam fabulam exceptam olim esse in codice *Γ* a Lysistrata bibliothecae catalogus testatur hisce uerbis: „in catalogo erat hoc loco

[1]) Ergo initio primae paginae octo fere uersuum spatium erat.

[2]) Ab Engeri exemplo praecipue in canticis aliquotiens recessisse uersuum diuisionem in codice de quo agitur archetypo consentaneum est.

[3]) teste Dindorfio in adnotationibus ad Lysistratam.

Lysistrata, quae uero non inest"[1]) — ultimi uersus 1419—1764 i. e. 346, qui facile quinque folia undeseptuagenorum fere uersuum explent. Accedit quod Vesparum fragmentum, quod omissis prioribus uersibus in codice *Γ* seruatur, vv. 421—1396 i. e. 976 uersus quattuordecim foliis, quorum unumquodque 69—70 uersus contineat, comprehendi potest, et quod vv. 1—420 Vesparum in eo codice omissa simili modo sex folia eiusdem generis explere potuerunt.

Sed cum neutro codicum genere plane congruit Suidas; saepe enim illam formam exhibet, quae codicum *BCLΔ* eis locis, ubi felicibus interpolatorum coniecturis correcti sunt, propria est, aliis tamen nec raris locis integriorem R^is scripturam seruauit, compluribus denique locis propriam repraesentat scripturam. — Iam uniuscuiusque generis exempla quae contuli hic enumerabo.

§ 14.

Itaque cum codicibus *BCLΔ* Suidas consentit — neque uero ita ut semper cum uniuersis congruat; sed hic illic ad unum alterumue propius accedit, certam tamen regulam aut rationem in hac re frustra quaesiui — hisce locis:

vv.	S—*BCLΔ*:	R:
26	*ἀνεζητημένον*[2])	*ἂν ἐζητημένον,*
156	*παρενιδὼν BΔ*	*παρευ ἰδὼν,*
170	*ῥυχάχετον*	*ῥυγχάχετον,*
291	*τὼ ξύλω*	*τῶ ξύλω* (corr. ex *ξυλῶ*),
367	*πλεύμονας* S(AVC)[3])-*BLΔ πέλμονας* S(BE)-*C.*	*πνεύμονας*[a]),
417	*πιέζει* S(ABCE)-*BCLΔ*[4]) *πιέζοι* S(V).	*πιεζεῖ,*
448	*ἐκκοκκιῶ*[5])	*ἐκκοκιῶ,*

[1]) cf. Velsenum praef. ad Equites pg. VII adnot. 4.

[2]) litteris latius dispositis ueras probabilesque scripturas insigniui.

[3]) uncis inclusi Suidae codices.

[4]) Itaque nec Dobraei *συμπιέζει* nec Reisigii *ἐμπιέζει*, quod placuit Engero, a Suida confirmantur.

[5]) editio Mediolanensis Suidae *ἐκκωκιῶ*.

[a]) sic etiam Suidas s. gl. *Ἐξαμήσω*.

vv.	S—*BCLΔ*:	R:
458	*σκοροδοπανδοκευ* .	*σκοροπανδοκευ* . . . .,
506	*γραῦ σαυτῇ*	*γραῦς αὐτῇ*,
546	*ἔνι θράσος BL*	*ἔνι δὲ θράσος CΔ*,
549	*τηθῶν*	*τήθων*,
553	*ῥοπαλισμοὺς*	*ῥοπαλιμοὺς*,
562	*πῖλον*	*πίλον*,
577	*πιλοῦντας BL*[1])	*θλίβοντας*,
629	*οἷσι*	*οἷσιν*,
645	*ἦ*	*ἤ*,
656	*ἆρα — ἐστιν*	*ἄρα — ἐστὶν*,
700	*τῇ Ἑκάτῃ*	*τῆι κάτῃ*,
705	*τοῦ σκέλους -- τις*	*τοὺς σκέλους — τὶς*,
742	*εἰλείθυι'*	*εἰλήθυι'*,
788	*ἐς*	*εἰς*,
789	*κᾆτ'*	*κᾶτ'*,
791	*τιν'*	*τίν'*,
795	*ἡμεῖς δ'*	*ἡμεῖς τ'*,
983	*κυρσάνιε*	*κυρσάνειε*,
988	*παλεός(γα)* S[2])-*BΔ* *παλε*^{ρος} *L* *παλαιός γα* Vatic.[3])	*πάλαι ὄργα*,
1038	*κἆστ'*	*κᾶστ'*,
1039	*σὺν πανωλέθροισιν*	*συνπανολέθροισιν*,
1073	*ἔχοντες*	*ἔχοντας*.

Has discrepantias tam religiose enotaui ut, ubicunque Suidas cum codicibus *BCLΔ* congruat, leuissima plerumque menda in R° extare appareat; unum locum excipias v. 577, ubi *πιλοῦντας* cum *BCLΔ* recte Suidas seruauit, in R° uero ex scholio *καὶ πιλοῦντας· τοὺς θλίβοντας εἰς τὴν πολιτείαν ἑαυτοὺς* irrepsit *θλίβοντας*.

---

[1]) De codicibus reliquis nihil adnotauit Engerus.

[2]) Suidas solam uocem *παλεός* affert.

[3]) Hunc codicem non totum excussit Kusterus, sed et pauca inde attulit et ex parte fide uix digna.

§ 15.

His opponam eos locos, quibus aduersus codices *BCLΔ* Suidae lexicon cum R[e] facit.

Qua in re admonendum est uersus illos 62—131, 200—267, 820—890, 1098—1236, quos ab altera illa familia codicum abesse supra dixi, apud Suidam citari, nec neglegendum est et R[i] scholia uersuum 376—404 deesse nec apud Suidam ex uersibus 367—413 fragmentum ullum extare. Quamquam eiusmodi lacunae saepius apud Suidam occurrunt ueluti Ran. 326—357, 770—803, 1049—1079, 1511—1545; Pac. 1184—1226; Eccles. 1118—1157; Thesmoph. 995—1068; Eq. 1202—1233; Lys. 743—777, 855—886, 1173—1213, 1245—1293; Nub. 465—503; Au. 1022—1073; Vesp. 1—80, 508—579, 1210—1251. Praeterea grauioris momenti locis quibusdam Suidas cum R[e] consentit ueluti

Versum 48[1]) *χὴ ̓γχουσα*[2]) *καὶ τὰ διαφανῆ χιτώνια* post v. 45 collocat Suidas cum R[e]; fallitur enim Engerus, cum Suidam eundem atque codices *BCLΔ* ordinem uersuum exhibere adnotat.

Versuum 486—488 eadem apud Suidam formatio et distributio obseruatae sunt atque in R[e].

In v. 360 *ἤδη* et in v. 704 *τούτων* et a Suida et a R[e] omissa sunt.

Praeterea in vv.

	R et S:	*BCLΔ*:
27	*πολλαῖσι τ'* S(AV)R *πολλαῖς τ'* S(BCE)	*πολλαῖσιν,*
705	*λαβὼν ὑμᾶς τις*	*ὑμᾶς λαβών τις,*
789	*ἐλαγοθήρει* S(AVCE)R *ἐλαγωθήρει* S(B)	*ἐλαγοθήρα*[3]),
1028	*ἐκσάλευσον*	*ἐκσκάλευσον,*

[1]) Engeri constanter sequor uersuum ordinem.

[2]) *κήγχουσα* Suidae codices ABE, *χὔγχουσα* VC.

[3]) *ἐλαγοθήρα* probauit Bothius, *ἐλαγοθήρει* Dindorfius et Engerus, *ἐλαγωθήρει* Bekkerus, *ἐλαγωθήρα* Brunckius.

R et S:	*BCLΔ*:
1073 χωροῦσιν	χωροῦσ',
1244 ἐς τοὺς Ἀσαναίως τε καὶ ἱμᾶς	ἐς τὼς Ἀσαναίως τε καὶ ἐς ἡμᾶς[1]).

Propius denique accedunt ad R^is quam ad alterius familiae scripturas hae propriae Suidae lectiones in vv.

R et S:	*BCLΔ*:
45 κιμβέριχ' ὀρθοστάδια S κιμβερινκορθοστάδια R	κιμμερικορθοστάδια,
461 παύεσθ' S[2]) παύσεσθ' R	παύσασθ',
616 πλειόνων καὶ μεγίστων S πλειόνων καὶ μειζόνων R	μειζόνων καὶ πλειόνων,
1004 θίγειν S θιγῆν R	σίγειν *BLΔ* σιγεῖν *C*[4]),
1243 καείσω S[3]) καΐσω R	καὶ κινήσω.

§ 16.

Restat ut eos proferam locos — et sunt sane multi in Lysistrata — quibus Suidas propriam scripturam repraesentat. Qua in re hoc est tenendum, quidquid propriarum lectionum iis inueniatur locis, quibus deficiunt codices *BCLΔ*, ad solum R^em id referendum esse ideoque subnasci dubitationem, an leuiores scripturae discrepantiae, ubi R a uero aberrauerit, Suidae cum integro codicum *BCLΔ* archetypo communes fuerint.

Ante omnia autem mire apud Suidam tractati sunt ii uersus, qui Laconicam prae se ferunt dialectum: nam quod Engerus de codicibus *BΔ* dicit, solere eos pro Laconicis formis Atticas supponere, hoc etiam magis quadrat ad Suidam, apud

---

[1]) unde τε κἠς ἡμὰς posuit Brunckius probante Dindorfio.

[2]) sic etiam Augustanus.

[3]) σιγῆν corr. Inuernizius, probant Dindorfius et Engerus.

[4]) κάείσω restituit Brunckius ex Meursii coniectura.

quem omnes paene uoces Doricae in Atticam linguam uerti solent exceptis plerumque eis, quibus similia in dialecto Attica prorsus non reperiuntur. Cuius rei addam nonnulla exempla. Itaque v. 82 Suidas sic exhibet:

Γυμνάζομαι γέ[1]*), καὶ ποτὶ*[2]*) πυγὴν ἅλλομαι.*
v. 84 *Ἥιπερ ἱερεῖον τοί μ' ὑποψαλάσσετε.*
v. 105 *Ἀλλ' ἐμός γα, κἂν ἐκ τῆς ταγᾶς ἔλθῃ πόκα*
v. 106 *πορπακισάμενος.*[3])
v. 155 *ὁ γοῦν Μενέλαος τῆς Ἑλένης τὰ μῆλα που*
v. 156 *γυμνῆς παρενιδὼν ἐξέβαλ', οἰῶ, τὸ ξίφος.*
v. 170 *τὸν τῶν Ἀθηναίων γε μὴν ῥυχάχετον*
v. 171 *τίς ἂν πείσειε μὴ πλαδδιεῖν.*
v. 988 *παλεός.*
v. 1003 *ὥσπερ λαμπροφόροι ὄντες*[4]) *ἀποκεκύφαμεν.*
v. 1004 *οὐδὲ τῶ μύρτω θίγειν*
v. 1005 *ἐῶντι πρὶν ἐξ ἑνὸς λόγου*
v. 1006 *σπονδὰς ποιησόμεθα ποττὰν Ἑλλάδα.*
v. 1164 *βλιμάττομεν.*
v. 1243 *Ἵν' ἐγὼ διποδιάξω γε καείσω καλὸν*
v. 1244 *ἐς τοὺς Ἀσαναίους τε καὶ ἡμᾶς ἅμα.*
v. 1316 *παραμπυκίζεται.*

Cumque eaedem mutationes correctionesque etiam in codicibus *BΔLC* occurrant neque omnino absint a R[e], non omnia ea uitia neglegentiae librariorum, quibus codices Suidae manuscripti debentur, adscribenda uidentur. Iam si reputaueris Acharn. uersum 772 apud Suidam s. gl. *Περίδου* sic traditum esse:

Εἰ βούλει, περίδου μοι περὶ θυμητίδων ἁλῶν,

cum codices Aristophanei talem eum exhibeant:

αἰ λῇς, περίδου μοι περὶ θυματιδᾶν[5]) *ἁλῶν,*

---

[1]) *γε* hoc loco etiam R.

[2]) litteris latius dispositis insignire uelim, quas ex Dorica dialecto formas Suidas retinuerit.

[3]) sic s. gl. *Πόρπαξ*, s. gl. *Ἀλλ' ἐμός*· hic uersus deprauatus extat: *Ἀλλ ἐμός γ' οὐκ ἂν ἐκτὸς ἔλθῃ πόκα πορπησάμενος.*

[4]) pro dorica forma *λυχνοφορίοντες.*

[5]) *θυμητίδαν* R *θυμητιδᾶν* *Γ.*

uerba *εἰ βούλει* uix neglegentia librarii cuiusdam ex *αἰ λῇς* orta esse, immo consulto a grammatico quodam scripturam traditam immutatam esse apparebit. Eodemque modo explicandae uidentur eae mutationes, quae in ceteris Acharnensium uersibus dialecto Megarensi prolatis apud Suidam obuiam fiunt, uelut in vv.

	S:	Codd. Aristoph.:
738	*ἀλλ᾽ ἔστιν ἡμῖν Μεγαρικὴ τις μηχανή.*	*ἀλλ᾽ ἔστιν γάρ μοι Μεγαρικά τις μαχανά.*
741	*ὅπως δὲ δόξητ᾽ ἦμεν*[1]) *ἀγαθὰ συός*	*ὅπως δὲ δοξεῖτ᾽ ἦμεν ἐξ ἀγαθᾶς ὑός.*
751	*διαπεινῶμεν ἀεὶ πρὸς τὸ πῦρ*	*διαπεινᾶμες ἀεὶ ποττὸ πῦρ.*
762	*οὐκεἰσβαλεῖτε*[2]),*ὡςἀρουραῖοι μύες*	*ὄκκ᾽ ἐσβάλητε, τὼς ἀρωραῖοι*[a]) *μύες.*
763	*ὀρύσσετε πασσάλῳ τὰς ἄγλιθας.*	*πασσακὶ τὰς ἀγλῖθας*[b]) *ἐξορύσσετε.*
786	*δελφακουμένη*	*δελφακουμένα.*
787	*ἕξει*[3]) *μεγάλην τε καὶ παχεῖαν (κέρκον)*[4])	*ἑξεῖ μεγάλαν τε καὶ παχεῖαν κἠρυθράν.*
813	*τροφαλίδος*	*προπαλίδος.*
814	*τὸ δ᾽ ἄτερον [ἂν λῇς]*[5])	*τὸ δ᾽ ἄτερον, αἰ λῇς.*

Quare cum eandem corruptionem uocum Laconicarum etiam in codicibus *BCL* grassatam esse appareat, sequitur ut non Suidas ipse illas mutationes perpetrauerit, uerum codex ille ex quo Suidas Aristophanea sua excerpsit, aut simili morbo afflictus fuerit atque codices *BCL* aut rarioribus formis Laconicis uulgatas Atticas habuerit superscriptas.

---

[1]) sic s. gl. *Σῦς*, at s. gl. *Ὗς*: *δόξητ᾽ ἡμὲν ἀγαθὰ συός* (*δόξη τῇ μὲν* V).

[2]) *εἰ καὶ ἐκβαλεῖτε* E.

[3]) *ἥξει* teste Bernhardyo collatio Gronoviana codicis V.

[4]) *κέρκον* glossema est extra uersum ponendum.

[5]) omiserunt codices AVBE.

[a]) *ἀρουραῖοι* etiam R.

[b]) *γλίθας* R.

§ 17.

Iam in enotandis propriis Suidae scripturis primum eas ponam, quibus a solo R[e] discrepat in iis uersibus, qui absunt ab altera codicum familia *BCLΔ*; nimirum hae pro numero uersuum praestant iis discrepantiis, quae inter Suidam et uniuersos Lysistratae codices intercedunt. Itaque in vv.

	S:[1])	R:
64	*Ἑκάτειον*	*τ' ἀκάτιον,*
91	*δὲ* †*	*δ' αὖ,*
105	*ἀλλ' ἐμὸς* †	*ὁ δ' ἐμὸς,*
109	*ὀκταδάκτυλον* *	*ὀκτωδάκτυλον,*
113	*χρεῖ' ἢ* *	*χρὴ ἥ*
115	*ἐγὼ δὲ, κἂν* †	*ἐγὼ δὲ γ' ἂν, κἂν,*
116	*δοῦναι*[2]) †	*δοῦναι ἂν,*
129	*ἑρρέτω*[3])	*ἑρπέτω,*
221	*ἁνὴρ*	*ἀνὴρ,*
223	*τὠμῷ,* s. gl. *Ἠπεροπεύειν* *τοὐμῷ* s. gl. *Κύλιξ*	*τὼ μὼ*
225	*οὐδὲ* ABVE *εἰ δὲ* C } †	*ἐὰν δὲ,*
229	*ἀντενῶ* A * *ἀτενῶ* BV*E* † }	*ἀνατενῶ*[a]),
231	*λέαιν'*	*λέαινα* †,
231	*τυροκνήστιδος* s. gl. *Κύλιξ* *τυροκνήστιδι* s. gl. *Λέαινα*	*τυρυκνήστιδος,*
235	*ἐμπλησθῇ*	*ἐμπλησθῇ,*
247	*ξυμβοηθήσειν*	*ξυνβοηθήσειν,*

---

[1]) Verae probabilesue aut Suidae aut R[is] scripturae latius impressae sunt; cruce insigniui eas, quae metro obuersantur, asterisco eas, de quibus paulo infra pauca addenda sunt.

[2]) *ἂν* recte additum est in codd. BV.

[3]) cf. Eq. 670.

[a]) Suidae C item *ἀνατενῶ*.

S:	R:
264 δὲ καὶ κλήθροισιν * omisit	habet,
839 σὸν ἔργον ἐστὶ τοῦτ' — τρέφειν †	σὸν ἔργον εἴη[a]) τοῦτον, — στρέφειν,
840 καὶ φιλεῖν καὶ μὴ φιλεῖν omiss. *	non item,
844 ξυσταθεύσω	ξυνσταθεύσω,
855 αἰεὶ	ἀεί,
856 ᾠὸν	ᾠιόν,
857 φησί †	φησίν,
1100 αἰθέκαστα	αὖθ' ἕκαστα
1111 κοινῇ	κονῇ †,
1124 μοῦσα *	νοῦς,
1127 ἀκούσασ'	ἀκούσας,
1128 λοιδορεῖσθαι	λοιδορῆσαι,
1129 οἳ	οἱ,
1150 οἶσθ' AE pr. m.[1])	ἴσθ',
1151 κατωνάκης ACV κατωνάκτας BE †	κατωνάκας,
1153 ἑταίρους	ἑτέρους †
1153 Ἱππίᾳ AC, Ἱππίαν BE, Ἱππείαν V *	ἱππίους.

Leuia igitur peccata R[is] absunt a Suida in vv. 221 223 231 bis 287 844 1110 1111 1127 1129 1153; contra aperta uitia extant apud Suidam in vv. 91 115 116 129 217 225 839 857 1128.

In v. 91 talis uersus forma, qualem tradit Suidas: χαΐα μέν ἐστι, Κορινθία δὲ inde orta est, quod primum μὲν[2]) — δὲ ex glossemate interlineari irrepserunt, id quod docet scholium codicis R[is] χαΐα· ἀντὶ τοῦ ἀγαθὴ μὲν Κορινθία

[1]) BCV ut R ἴσθ', Iuntina uero οἶσθ'.

[2]) μὲν etiam R exhibet (teste Velseno), deleuerunt Dindorfius Bothius Engerus.

[a]) ἤδη auctore Dobraeo probant Dindorfius et Engerus.

δὲ, quod apud Suidam ipsum decurtatum legitur χαΐα, ἀντὶ ἀγαθή; tum Suidas sua sponte addidit ἐστὶν, ut integram efficeret sententiam.

In v. 109 ὀκταδάκτυλον formam cum Suida Plauorinus tuetur, Bentleius Aristophani uindicauit probauitque Brunckius; Elmsleius uero ad Euripidis Medeam (1150) pag. 256 et Lobeckius ad Phrynichum pag. 415 ὀκτωδάκτυλον formam praeferendam esse iure monuerunt. In v. 113 Suidae χρεῖ' ἤ ad ueram scripturam χρείη, quam restituit Dawesius[1]), propius accedit quam χρὴ ἢ R[is].

In v. 229 ἀντενῶ codicis A Suidae, quod idem sine dubio latet in ἀτενῶ codicum VBE, uix praeferendum est R[is] ἀνατενῶ. Eiusmodi enim formae syncopatae non occurrunt apud Aristophanem nisi Acharn. 766 ἄντεινον, 796 ἀμπεπαρμένον et Lysistr. 106 ἀμπτάμενος, ubi comicus dialecto Dorica usus est, Ran. 1477: τίς οἶδεν, εἰ τὸ ζῆν μέν ἐστι κατθανεῖν, quem uersum parodiae causa comicus ex Euripidis Polyido mutuatus est, Pac. v. 1299 κάλλιπον, qui est uersus Archilochi (Bergk frgm. 6); [apud Pherecratem, fab. incert. fragm. XXII (apud Meinekium II, 347), legitur ἄγχασκε : ἀντὶ τοῦ ἀνάχασκε. οὕτω Φερεκράτης[2]) et in Amipsiae Moechis (apud Meinekium II, 706) καββαλὼν.]

Versuum 264 265 Suidas s. gl. Πακτοῦν non laudat nisi haec uerba Aristophanea μοχλοῖσι τὰ προπύλαια πακτοῦν, quo, qui Suidae nimium tribuat auctoritatis, confirmari facile putet coniecturam Reisigii, qui pro μοχλοῖσιν δὲ καὶ κλήθροισιν R[is] scribi uoluit κλήθροισι δ' εὖ καὶ μοχλοῖσι.

In v. 840 quod ultima uerba καὶ φιλεῖν καὶ μὴ φιλεῖν apud Suidam non leguntur — citantur autem continui vv. 839 840 841 — hoc mire consentit cum scholio huic loco adiuncto: παραλογίζεσθαι καὶ τὰ τούτοις ἐπακολουθοῦντα[3]) πλὴν ὧν συνωμοσάμεθα μὴ ποιεῖν[4]), τουτέστι συνουσιάζειν; apparet enim uoce παραλογίζεσθαι explicari ἐξηπεροπεύειν

---

[1]) Miscell. crit. pg. 271.

[2]) Bekker. Anecdota pg. 340, 22.

[3]) καὶ τὰ ταύτην παρακολουθοῦντα schol. R[is].

[4]) ἐπὶ τῆς κύλικος additum est apud Suidam.

contextus uerbis, καὶ τὰ τούτοις ἐπακολουθοῦντα πλὴν ὧν συνωμοσάμεθα μὴ ποιεῖν circumscribi uersum 841 καὶ πάνθ' ὑπέχειν, πλὴν ὧν σύνοιδεν ἡ κύλιξ, denique τουτέστιν συνουσιάζειν nouum interpretamentum, quod ad eundem uersum 841 pertineat. Ergo deest, quo pronomen τούτοις referatur, neque dubium uidetur, quin post παραλογίζεσθαι in scholio lacuna sit statuenda et interciderit explicatio uerborum καὶ φιλεῖν καὶ μὴ φιλεῖν.

In v. 1124 Suidae lectio μοῦσα δ' ἔνεστί μοι adeo placuit Porsono[1]), ut μοῦσα δ' ἔστι μοι Aristophani uindicaret. Videtur tamen illud μοῦσα ex v. 1127 μεμούσωμαι irrepsisse, praesertim cum propter hanc ipsam uocem μεμούσωμαι uersus 1124—1127 a Suida s. gl. Μουσωθῆναι citati sint. Accedit quod exemplis, quae affert Reisigius[2]), Acharn. 556 νοῦς ἄρ' ὑμῖν οὐκ ἔνι; Eccles. 850 ἦν γ' ἐκείναις νοῦς ἐνῇ, Eurip. Andr. 230 τέκν', ὅσοις ἔνεστι νοῦς, eiusdem fabulae 668 σοὶ δ' ἔνεστι νοῦς, Hippol. 920 οἷσιν οὐκ ἔνεστι νοῦς, Sophocl. Electr. 1328 νοῦς ἔνεστιν οὔτις ὑμῖν ἐγγενής, R[is] scriptura νοῦς δ' ἔνεστί μοι confirmatur.

In v. 1153 ἑταίρους Florens Christianus pro ἑτέρους R[is] flagitante metro correxit.

In eodem uersu ex Suidae codicum scripturis ἱππίᾳ (AC), ἱππείαν (V), ἱππίαν (BE) Kusterus Ἱππία genetiuum Doricum quem uocant Aristophani restituendum putauit collato Pac. 640, ubi pro Βρασίδου codicum Aristophaneorum Suidas exhibet Βρασίδα quod placuit editoribus praeter Bergkium et Richterum[3]). At quoniam Pac. 640 duo tantum codices Suidani VB Βρασίδα, E Βρασίδου, AC optimae notae Βρασίδου exhibeat, in codicibus VB uero Βρασίδα propter τὰ quod proxime praecedit uitiose exaratum esse uerisimilius est, denique teste Kuehnero[4]) poetae tragici et Aristophanes genetiuo

---

[1]) ad Eurip. Med. 1079.

[2]) Coniectt. pg. 249.

[3]) Dindorfius in uersu ipso Βρασίδα posuit, in adnotationibus ad Pacis et Lysistratae uersus Βρασίδου reuocari iussit.

[4]) Gramm. Graec. I[2] pg. 302, 7.

Dorico in *α* exeunte nisi in canticis non utuntur, etiam hoc loco *Ἱππίου*, quod in R[e] propter homoeoteleuton in *ἱππίους* abiit, retinendum est.

§ 18.

Iam in proferendis propriis Suidae scripturis difficile est diiudicatu quas corruptelas librariorum codicum Suidanorum incuriae, quas Suidae ipsius temeritati, quas denique codicis illius prauitati adnumeremus, quem in excerpendis fabulis Aristophaneis lexicographus in usum uocauit. Codices enim Suidani multifariam inter se differunt, ut modo unus alterue ex iis genuinam Aristophanis scripturam retinuerit[1]), modo omnes uario modo peccauerint[2]); atque adeo in archetypo codicum nostrorum Suidanorum esse erratum uidemus in

vv. 13 *αὐτοῖς* pro *αὐταῖς*,
138 *ἑτῶς* pro *ἑτὸς*,
353 *θύρασι* pro *θύρασιν*,
475 *χάρεθίζει* pro *χάρεθίζῃ*,
544 *οἷς* pro *αἷς*,
660 *δοκῶ* pro *δοκεῖ*,
682 *μὴ* pro *νὴ*,
737 *ἀμόργην* pro *ἀμόργιν*,
791 *εἶχε* pro *εἶχεν*,
974 *τύφῳ* pro *τυφῷ*,
1037 *καὶ ἐστὲ* pro *ὡς ἐστὲ*.

Quamquam non negauerim haec et similia leuioris momenti uitia eodem iure codici illi XI fabularum Aristophanearum, quem Suidas in componendis schedis suis adhibuerit, posse imputari; at quoniam etiam in codicibus Graecis XIII[i] XIV[i] XV[i] saeculorum, ad quae Suidae libri manuscripti pertinent, eiusmodi corruptelae, quales modo attuli, saepissime occurrunt, nescio an haec uitia librariis lexici Suidani attribui possint.

---

[1]) uelut v. 459 *ἀρήξετε* recte A, *ἀρήχετε* CVBE ‖ v. 553 *ἐντέξῃ* recte A, *ἐντείξῃ* CVBE ‖ v. 1092 *Κλεισθένη* recte A, *Κλεισθένην* VBE, *Κλεισθένει* C.

[2]) uelut v. 361 *ἂν οὐκ εἶχον* ABE, *γὰρ οὐκ εἶχον* VC, falso pro *ἂν οὐκ ἂν εἶχον* ‖ v. 549 *ἀκαλήφων* ACVE, *ἀκαλήφρων* B pro *ἀκαληφῶν* ‖ v. 1091 *διαλλάξῃ* AC, *διαλλάξαι* VBE pro *διαλλάξει*.

Longum autem est inter uoluntarias Suidae mutationes enumerare, ubi omissis nonnullis uoculis decurtatum uersum in schedas suas receperit[1]): luculenter tamen Suidam suo Marte mutantem deprehendas in v. 1092 *ὅπως μὴ* ex *ὅπως οὐ*.

Saepissime uero glossae interlineares uel a Suida uel a librario eius quo Suidas usus est codicis pro genuinis Aristophanis uerbis descriptae sunt, ueluti in

vv. 452—454 *γνώσεσθ'*
ὅτι καὶ παρ' ἡμῖν εἰσι λόχοι δ'
μαχίμων ἀνδρῶν ἔνδον ἐξωπλισμένων

uox *ἀνδρῶν* pro *γυναικῶν* debetur scholio, unde Suidas hos uersus desumpsit, ad Acharn. 1073: *Ἔνιοι μὲν τὸ ἐξ ἀνδρῶν ὀκτὼ σύστημα, οἱ δὲ τὸ ἐξ ἀνδρῶν δώδεκα, οἱ δὲ τὸ ἀπὸ ἑκκαίδεκα ἀνδρῶν πλῆθος . . . . ὡς ἀλλαχοῦ Ἀριστοφάνης· γνώσεσθ' ὅτι κτλ.*

Atque in vv. 896 897

Διαφορουμένης τῆς κρόκης ὑπὸ τῶν ἀλεκτρυόνων,

qui uersus in codicibus Aristophanis sic leguntur:

ὀλίγον μέλει σοι τῆς κρόκης φορουμένης
ὑπὸ τῶν ἀλεκτρυόνων;

uox *διαφορουμένης* interpretamentum esse interlineare uocis *φορουμένης* docet scholium R[is] *τῆς κρόκης φορουμένης· διαφορουμένης, διασπωμένης,* qua ex explicatione interpretamentum *διασπωμένης* Suidas ipse in adnotatione retinuit.

Item in v. 1082:

καὶ μὴν ὁρῶ τοὺς Ἀθηναίους

glossema interlineare *τοὺς Ἀθηναίους* genuinam scripturam *τούσδε τοὺς αὐτόχθονας* loco mouit.

Neque aliter in v. 743 Suidae *ἀπέλθω* pro *μόλω 'γὼ* codicum Aristophaneorum glossa est interlinearis, etsi Bentleius *ἐγὼ* inutile esse ratus nec habere cui opponeretur, ex Suidae codicum V[1] et Oxon., qui *ἀπέλθη* praebent, memoria *ἀπέλθω,* quod re uera codices ACBE tuentur, h. l. scribendum esse monuit.

---

[1]) ueluti v. 14 omisit *βουλομέναισιν*, 56 *ὦ μέλ'*, 899 *χρόνον τοσοῦτον*.

Simili modo Suidas uicina aliqua uocula abductus errauit in v. 139: *Οὐδὲν γάρ εἰσι πλὴν Ποσειδῶν καὶ σκάφη*, ubi uox *εἰσι* pro *ἐσμὲν* uersui praecedenti debetur.

Item in v. 688 *ἵν' ὄζωμεν*, uox *ἵνα* pro *ὡς ἂν* ex uersu qui proxime sequitur: *νῦν πρὸς ἔμ' ἴτω τις, ἵνα κτλ.* transmigrauit.

Etiam in vv. 795 796

ἡμεῖς δ' οὐδὲν ἧττον
τοῦ Μελανίωνος σωφρονέστεροι

σωφρονέστεροι pro *οἱ σώφρονες* ex glossa ortum est, qua uerba *οὐδὲν ἧττον οἱ σώφρονες* quispiam circumscribere conabatur.

Denique afferendae sunt eae scripturae uariae, quas Suidam in ipso eo, quo utebatur, codice fabularum Aristophanearum inuenisse uerisimile est.

Ac primum quidem Suidas genuinam Aristophanis scripturam retinuit in v. 694 *ἀετὸν* et in v. 701 *ἑταίραν*.

Tum vv. 543—548 anapaesticos Reisigius [1]) Suida *grauissimo teste* usus sic restitui iussit:

ἐθέλω δ' ἐπὶ πᾶν
ἰέναι μετὰ τῶνδέ γε [2]) *τῆς* [3]) *ἀρετῆς*
ἕνεχ' αἷς ἔνι φύσις,
ἔνι θράσος [4]), *ἔνι δὲ σοφόν, ἔνι δὲ* [5]) *φιλόπολις*
ἀρετὴ φρόνιμος.

Omisit igitur Reisigius testibus Suida Zonara [6]) Phauorino *ἔνι χάρις* ante *ἔνι θράσος* in codicibus Aristophaneis positum; idem placuit Westphalio [7]) et H. Schmidtio [8]), non item Hermanno [9]) Dindorfio Engero.

---

[1]) Coniectt. pg. 202.
[2]) *τῶνδ'* S.
[3]) *τῆς* add. Reisigius.
[4]) *ἔνι θράσος* deest V.
[5]) *δὲ* apud Suidam ante *θράσος* collocatum est.
[6]) I pg. 748.
[7]) de re metr. II² 438.
[8]) de metrorum compositione pg. CCXIV.
[9]) Elemm. doctr. metr. 383.

In v. 549 *ἀνδρειοτάτη* ex Athenaeo[1]) Suida Eustathio[2]) auctore Reisigio pro *ἀνδρειοτάτων* codicum Aristophaneorum restitutum est.

Versuum 704 705 Suidas duas exhibet formas, alteram s. gl. *Ψηφοφορία*

Κοὐχὶ μὴ παύσησθε τῶν ψηφισμάτων πρὶν ἂν
τοῦ σκέλους λαβὼν ὑμᾶς τις ἐκτραχηλίσῃ θέλων[3]).

Omissum ergo erat ut in R° sic in Suidae libro manuscripto *τούτων*, et *λαβὼν ὑμᾶς τις*[4]) pariter atque in R° exaratum erat. Ex scriptura *θέλων* autem Bentleius *θένων* efficiendum esse monuit, quod cum ad huius cantici ingenium melius quadrare uideretur quam mitis illa uox *φέρων* codicum, et probatum est Porsono et receptum a Bothio nec non Engero arrisit. Altera autem horum uersuum forma

οὐ μὴ παύσησθε τῶν ψηφισμάτων, πρὶν ἂν
ὑμᾶς τοῦ σκέλους λαβών τις ἐκτραχηλίσῃ,

quorum uerborum principio trimetrum iambicum lexicographus affectasse uidetur, simul luculentissime apparet, quanta libidine quantaque incuria Suidas poetae comici uersus in schedas transsumpserit et in condendo lexico tractauerit.

His igitur exemplis ex Lysistrata, cuius fabulae omnino uersus 274 h. e. quinta fere totius comoediae pars citantur, prolatis et collatis scripturis Suidanis cum codicum generibus R et *BCLΔ* uidemus ad neutram codicum familiam eas esse referendas, sed ut in Equitibus probare conati sumus, singularis codicum familiae quasi specimen fuisse Suidae codicem XI fabularum Aristophanis, quamuis in Lysistrata Suidanae lectiones propius a R° quam a *BCLΔ* absint.

---

[1]) lib. III, pg. 90.

[2]) ad Od. pg. 1485, 40.

[3]) *ἐκτραχηλίσαι θέλων* CBE.

[4]) haec scriptura pro *ὑμᾶς λαβών τις* codicum *BCL* probata Bentleio Porsono Dobraeo confirmatur antistropha (681) *ἐγκαθαρμόσαι λαβόντας τουτονὶ τὸν αὐχένα.*

LIBER POSTERIOR.

§ 19.

Quoniam habemus quantum ex Suidae lexico cum codicibus Aristophaneis comparato ad trium quas tractauimus fabularum contextum emendandum redundare possit, nunc uideamus quae fuerit scholiorum apud Suidam uersibus Aristophaneis adscriptorum origo quantumque discrepent ab iis, quae in codicibus, ex quibus quidem scholia innotuerunt, Aristophaneis adseruantur.

De ueterum autem in Aristophanem scholiorum fontibus egregie quaesiuit O. Schneiderus: is argumentis maxime commotus, quae petiuit ex schol. Plut. 1037 *ἐν δὲ τῷ ὑπομνήματι οὕτως,* schol. Pac. 757 *οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι,* et ex Eustathii [1]) loco: *τὸ δὲ χαίρετον ἀρχαιοτάτη φιλικὴ προσφώνησις, ἐπιστολιμαῖός τε καὶ ἑτερoία, ὡς καὶ ὁ κωμικὸς καὶ ὁ κατ' αὐτὸν ὑπομνηματισμὸς ἐν τῷ Πλούτῳ δηλοῖ,* unum fuisse commentarium praecipuum scholiorum nostrorum fontem, cuius auctorem Symmachum esse uult, eumque uetustiorum quidem scholiorum unicum fontem esse argumentis probare conatus est (pag. 9). At quam infirma essent, quae protulit uir doctissimus ad stabiliendam suam sententiam, primus docuit Dindorfius in Addendis ad scholiorum uol. I pag. 388 sqq., mox Schneideri sententiam refutauit O. Gerhardus in libelli quem de Aristarcho Aristophanis interprete scite et diligenter scripsit (Bonnae 1850) capite primo; is *τὰ ὑπομνήματα* uel *ἔνια τῶν ὑπομνημάτων,* quae plurali numero citantur [2]), demonstrauit Schneiderum falso existimauisse eadem esse, quae

[1]) ad Il. pg. 1483, 32.

[2]) schol. Vesp. 542 962, Au. 1075 284 557 282 1242 Plut. 385; cf. Dindorf. Addend. pg. 389 c.

a uetustioribus grammaticis condita et a Symmacho ipso adhibita essent ad commentarium suum conficiendum, immo ea significari, quae a recentioribus scholiastis exscripta et in libros manuscriptos Aristophaneos essent translata. Etenim simplici ὑπομνήματος uel ὑπομνημάτων nomine eas appellari docuit Gerhardus interpretationum collectiones, quas auctorum nominibus carentes in scholiorum farragine condenda adhibuissent scholiastae. Neque tamen iudicium amplectemur Stoeckeri [1]), qui *haud*, inquit, *improbabile sit iam tum* — scilicet paullo post Aristophanem mortuum uel ipsis poetae temporibus — *Aristophanis comoediis scholia quaedam adscripta fuisse, ubi uideres* (sic) *habuisse eas lectores, qui exegesin aliquam non poterant non desiderare. Praesertim quia nostris, quibus hodie uteremur, scholiorum codicibus, multa continerentur de hominibus alioquin obscuris narrata, quae nisi iam ipsis poetae temporibus singulis comoediarum locis addita essent, nunquam nostram aetatem uidisse diceres.*

Non male uero Gerhardus dicit interpretationum collectiones Byzantinorum [2]) certe temporibus extitisse; unde cum scholiastae et qui in codicibus dictandis scribendisue operam collocabant, quod quisque adnotatione dignum esse existimabat, expromerent et in libris suis adscriberent, factum est, ut alii se continerent excerpendo et describendo eas ipsas interpretationum collectiones, alii ex sua quisque doctrina et litterarum cognitione uel ex magistrorum in scholis Aristophanem explicantium dictatis, si quid poetae comico lucem afferre putarent, adicerent; hinc ineptiae illae ac iudicii peruersitate insignes adnotatiunculae, quae Byzantinorum doctrinam redolentes in omnibus quorum notitiam habemus codicibus reperiuntur praeter Rauennatem, qui

[1]) in libello de Sophocl. et Aristoph. interpretibus Graecis pg. 1 2.

[2]) Constat sub Constantino Porphyrogenneto et ab imperatore ipso et a uiris doctis CPolitanis ingens corpus uniuersarum litterarum Graecarum excerptis undelibet desumptis confectum esse, unde posterioris aetatis Graeculi doctrinam suam hauserint. cf. Bernhardyum Hist. Litt. Graec. I[4] 708 sqq. et eiusdem Commentt. de Suidae lexico pg. XLVIII: *nec dubitare patitur scholiorum corporis Dindorfiani et Suidae comparatio, quin illis Byzantinorum temporibus haec ipsa commentariorum Aristophaneorum forma tanquam perfecta ualuerit.*

a librario quodam exaratus uidetur esse, qui cum de sua doctrina quicquam adicere nollet, sola ea, quae in commentariis supra memoratis collecta inuenit, in librum suum transtulit. —

Quoniam autem uidimus Suidae quoque librum quendam manuscriptum praesto fuisse, non in ea quaestione uersabimur, quid ex Suidae adnotationibus ad grammaticos Alexandrinos, Callimachum, Eratosthenem, Aristophanem Byzantium, Lycophrontem, Didymum, Symmachum, Phaïnum sit referendum et quid singulis ex his sit adtribuendum, sed utrum ea quoque scholia, quae Suidas ex codice fabularum Aristophanearum hausta in lexicon suum transtulerit, Byzantinorum additamentis inquinata fuerint necne, tum quantum ex uetustiorum scholiorum thesauro in Suidae lexico seruatum sit, et num scholiorum forma a codicibus Aristophaneis ex quibus scholia innotuerunt discrepet, denique num recte iudicarit Bernhardyus cum diceret[1]): „*Endlich las Suidas den so redigirten Stamm guter Scholien in einem reineren Exemplar, welches nicht selten auch vollständiger war.*“

CAPVT PRIMVM.

§ 20.

Suidam usum esse codice Aristophaneo scholiis instructo praeter illud *Σχο.* glossae *Βληχωνία,* ubi agitur de Pacis vv. 710—712, praefixum docent imprimis ei loci, quibus ex scholio adscripto singula uerba in textum irrepserunt; cuius rei exempla ex Equitibus et Lysistrata supra adnotaui. Erant hae sane glossae interlineares. Nec defuisse glossas marginales quae uocantur codici ei quem Suidas in excerpendis fabulis Aristophaneis adhibuit innumerabilibus fere comprobatur locis, quibus longiores explicationes uersibus Aristophaneis subiciuntur, quae eaedem ad uerbum in eis codicibus leguntur, ex quibus scholia collegit et disposuit G. Dindorfius. Caret autem Suidae citandi modus non raro certa ratione firmoque consilio, utpote qui tum uni glossae cohor-

---

1) Hist. Litt. Graec. II³ 2, 674.

tem uersuum, quibus nulla cum lemmate proposito cognatio est, subiungat[1]), tum solos afferat uersus poetae omni explicatione carentes, tum ad unius uersus frustulum copiosas subiciat explicationes ad complurium uersuum complexionem pertinentes[2]). Recte enim Bernhardyus in commentt. de Suidae lexico pg. XLVII: *Itaque scholia,* inquit, *hoc est siluam inconditam ac multis saeculis aggestam, ut inuenerat, Suidas bona fide repetiit, nec raro digitos magis quam iudicium secutus plura describit, quam lemma locique interpretatio postulet,* et Kusterus ad gl. *Εἰμένος: Hic et saepe,* ait, *iudicium compilatoris requiro qui multa auctorum loca lexico suo inseruit, non res et sensum sed tantum seriem litterarum spectans."* Qua citandi et adnotandi inconstantia fit ut nonnunquam incertum maneat, num Suidas totum, quod in codice suo Aristophaneo adnotatum erat, scholium transsumpserit, et ut, quae fuerit uniuersa in Suidae codice scholiorum copia quaeque eorundem forma nisi adumbrando depingere non possis. Accedit huc quod sub una eademque glossa haud raro complures loci ex uariis scriptoribus, poetis oratoribus historicis aliis desumpti coniunguntur et inter sese particulis *καὶ· αὖθις, ὡς καὶ* similibus ita conectuntur, ut solida aliquo modo compositio eueniat. Talia igitur additamenta cum a scholiorum Aristophaneorum corpore prorsus abhorreant, ab hac quaestione sedulo segreganda sunt.

---

[1]) uelut s. gl. *Σοῦ*, quo epiphonemate uolucres *ἀποσοβοῦνται*, ut cum scholiasta (ad Vesp. 209) loquar, leguntur Thesmoph. vv. 177—180, in quibus illud *σοῦ* omnino non exstat, immo qui sub glossa aliqua *Σοφοῦ* inserendi sunt.

[2]) uelut s. gl. *Λείβεται* ad Eq. v. 327 adicitur adnotatio, quae ad vv. 326 327 pertinet; s. gl. *Εἰμένος*, ubi citantur Eq. vv. 1276—1279, in fine adduntur: *ὁ δὲ Ἀριφράδης παρὰ φύσιν ἠσέλγαινε ταῖς γυναιξίν*, cum Ariphradis mentio fiat demum in v. 1281; denique ad Eq. v. 1310 s. gl. *Εἴπερ ἐκ πεύκης κτλ.* legitur explicatio, quae ad vv. 1301 1302 pertinet: *Σωματοποιεῖ γὰρ τὰς ναῦς, καὶ τὰς παλαιὰς καλεῖ γραίας, τὰς δὲ μὴ πλευσάσας παρθένους.*

CAPVT ALTERVM.

§ 21.

Priusquam autem scholia Suidana cum eis codicibus Aristophaneis, ex quibus scholia innotuerunt, comparemus, quae inter Suidam et ceteros lexicographos maximeque Hesychium, Photium, Zonaram ratio intercedat, paucis explicandum erit.

Ac primum quidem de Zonara iure ac merito Bernhardyus [1]) exagitauit Tittmannum, quod *duobus uoluminibus Zonaram nobis uenditasset, qui nullus unquam exstitisset, nedum a Suida describi posset.* Quod quamquam non aperte contendit Tittmannus, Suidam Zonarae lexicon partim descripsisse [2]), probabile tamen ei uidetur, *utrumque ex eisdem fontibus hausisse, Suidae autem lexicon, quale quidem nunc habemus, e Zonara postea interpolatum esse locis plurimis.* [3]) Immo Zonaram uel eum, qui lexicon illud Zonarae nomine ornatum compilauerit, ipsius Suidae thesauro usum esse paucis illustrem exemplis:

Equitum vv. 989—991 sic exhibent:

Suidas s. gl. *Δωριστί*	Zonaras I 592
Τὴν Δωριστὶ μόνην ἁρμονίαν ἁρμόττεσθαι θάμα τὴν λύραν, ἄλλην δ' οὐκ ἐθέλειν λαβεῖν.	*τὴν Δωριστὶ μόνην ἁρμονίαν ἁρμόττεσθαι θαυμαστὴν λύραν ἄλλην δ' οὐκ ἐθέλειν λαβεῖν.*

Singulares Suidae scripturas, *ἁρμονίαν* additum et *λαβεῖν* pro *μαθεῖν* exaratum, Zonaras quoque tuetur et uitium insuper addidit *θαυμαστὴν* pro *θάμα τὴν*.

Tum in adnotatione ad Eq. vv. 103 104 leguntur

apud Suidam:	apud Zonaram I 813:
Ἐπίπαστα τὰ ἐπιπασσόμενα (ἐπιπλασσόμενα AV) τῷ σώματι ἄλφιτα. ἔθος γὰρ εἶχον ποιεῖν πλα-	*Ἐπίπαστα τὰ ἐπιπλασσόμενα τῷ σώματι ἄλφιτα. ἔθος γὰρ εἶχον κτλ.*

[1]) in Commentt. de Suidae lexico cap. I 4.

[2]) quod uidebatur Valckenario ad Theocrit. p. 297.

[3]) Prolegomm. ad Zonaram pg. LIII.

κοῦντας ἢ ἄρτους, καὶ ἐπιπάσσειν τινὰ καρυκεύματα ἢ ἁλμυρά. καὶ ἐκ τούτου ἠναγκάζοντο πίνειν πολλά.	πιεῖν πολλά.

His opponam scholia ea quae ad h. l. leguntur

in V^o Θ^o:	in R^o:
τὰ ἐπιπασσόμενα ἔτνει ἄλευρα. ἔτνος δέ, ἣν ἀθάραν ἔλεγον. καὶ τὸ πίσινον ἕψημα. τὰ δὲ ἄλφιτα δημοσίᾳ πιπράσκεται. ἔθος δὲ εἶχον ποιεῖν πλακοῦντας ἢ ἄρτους καὶ ἐπιπάσσειν τινὰ καρυκεύματα ἁλμυρά.	τὰ ἐπιπασσόμενα μέλιτι ἄλευρα. reliqua non leguntur in R^o.

Zonaras igitur hoc scholium et eodem modo uitiatum, scilicet admisso σώματι pro μέλιτι — in V^o Θ^o alio uitio ἔτνει ex uerbis sequentibus irrepsit — et eodem modo in fine auctum tradit atque Suidas; iam cum magis uitiatam scripturam ἐπιπλασσόμενα codicum AV Suidae Zonaras quoque subministret, apparet ex codice aliquo Suidano AV simillimo Zonarae doctrinam fluxisse.

Addo complures Equitum locos, quibus ad uerbum fere Zonaras cum Suida consentit, quamuis in scholiis Aristophanis eadem uel similia non extent, ueluti ad Equit. v. 105:

S:	Zonaras I 606:
Ἐγκάναξον· ἔνσεισον, προσένεγκε, ἔγχεον, πεποίηται δὲ ἡ λέξις. Ἀριστοφάνης· Ἴθι νῦν ἄκρατον ἐγκάναξόν μοι πολύν. ἕλκυσον ἐκρόφησον, ἔκπιε.	Ἐγκανάξαι. ἐνσεῖσαι, ἐγχέαι. πεποίηται δὲ ἡ λέξις. Ἀριστοφάνης· Ἴθι νῦν ἄκρατον ἐγκάναξόν μοι πολύν. ἕλκυσον ἐκρόφησον, ἔκπιε.

Ad v. 152 a Suida et a Zonara I 683 in fine adnotationis ad explicandam uocem ἐλεὸς additum est: . . . ἔστι δὲ ἐλεὸς καὶ εἶδος ὀρνέου.

Ad v. 182 a Suida s. gl. Ἀξιῶ et a Zonara I 230 praeter scholium codicum Aristophaneorum haec traduntur: σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἱκετεύω.

Ad v. 311 Suidas s. gl. Ἀνακεκώφηκας et Zonaras I 199 pleniorem subministrant scholii formam: ἀνεπλήρωσας βοῆς, τὰς ἀκοὰς ἡμῶν κωφὰς εἰργάσω.

Ad v. 625 uoci Ἱέμην a Suida (uide glossam) et a Zonara II 1094 additur explicatio ἐπορευόμην, quae deest codicibus nostris Aristophaneis.

Ad v. 709 Suidas s. gl. Ἀπονυχιῶ, Zonaras I 268 post scholium a codicibus Aristophaneis quoque seruatum addunt ἀπονυχίσαι μᾶλλον λέγουσιν, ἢ ὀνυχίσαι.

Ad v. 1115 et Suidas s. gl. Εὐπαράγωγος et Zonaras I 901 suppeditant explicationem εὐπειθής.

Praeterea confer gl. Ἰατταταιάξ ad Eq. 1 cum Zon. II 1083 || gl. Ἐριώλη ad Eq. 511 cum Zon. I 866 || gl. Θαλαττακοπεῖς ad Eq. 830 cum Zon. I 1024 || gl. Ἀπαρυστέον ad Eq. 921 cum Zon. I 257 || gl. Ἠλιθιάζω ad Eq. 1124 cum Zon. I 988 et alibi passim.

Videntur autem eae quas modo attuli breues glossae interlineares fuisse, quas Suidas ex codice fabularum Aristophanearum una cum uersibus Aristophaneis in thesaurum suum transsumpsit, postea uero Zonaras cum reliqua farragine Suidana in lexicon suum transmigrare iussit. Qua in re mirum certe est, quod nisi ex uocibus a litteris Α—Θ incipientibus — scilicet secundum litterarum ordinem Suidanum etiam apud Zonaram littera ι praecedit litterae ϑ[1]) — glossae Zonarae e Suidae lexico desumptae obuiam non fiunt; quod si casui tribuas, non repugnem; fortasse tamen licet conicere, ex priore tantum Suidae lexici parte Zonaram glossas excerpsisse.

§ 22.

Quod cum Photio compluribus locis Suidas consentit, hoc ita uidebitur explicandum esse, quantum ex excerptis Aristophaneis cognoscere licet, ut uterque ex communi fonte hauserit. Neque enim adsentiar Nabero dicenti[2]) *quod adeo pertineat ad interpretationem comicorum poetarum, Platonis, Thucydidis, aliorum, haec igitur omnia cum* (i. e. Suidam) *Photio*

[1]) uide supra pg. 36 adnot. 1.

[2]) in editione Photii lexici pg. 166.

debere; concedit enim ipse Naberus Suidam sua *undique corrasisse ex scholiastis, ad Aristophanem potissimum* uel, quod malim, ex codice Aristophaneo scholiis satis copiosis instructo.

At ne breuiores quidem glossas, quae apud Photium et apud Suidam reperiuntur desiderantur uero in codicibus nostris Aristophaneis, a Suida ex illo desumptas esse putem; quod quidem apparere uidetur ex gl. *Ἤνυστρον* ad Eq. 356, ubi

Suidas:	Photius:
τὸ παχὺ μέρος τῆς κοιλίας ἐν ἐντέρῳ· εἰς τρία γὰρ τέτμηται ἡ γαστήρ· ἤνυστρον, ἐχῖνον, κεκρύφαλον.	*τὸ παχυμερὲς τῆς κοιλίας ἔντερον· ὧν εἰς τρία τέτμηται ἡ γαστήρ· ἤνυστρον, ἐχῖνον, κεκρύφαλον.*

Atqui elucet ex Hesychio: *ἤνυστρα[ι] αἱ κοιλίαι τῶν βοῶν, ἢ τὸ παχὺ μέρος αὐτῶν,* Suidam hoc loco genuinam glossae formam retinuisse; qui si ex Photio sua compilasset, certe, ut alioquin quae excerpsit cum puluisculo recipere solitus est, deprauatam illius glossae formam uix repudiasset.

Accedit quod quidquid Suidas in glossis ad uersus Aristophaneos pertinentibus cum Photio commune habet, breuissimae plerumque sunt singularum uocum interpretationes, quae apud Suidam ei scholio praecedere solent, quod et ipsum in codicibus Aristophaneis legitur, ueluti ad u. 154 s. gl. *Προσκέψομαι* scholio ei, quod etiam in codicibus Aristophaneis legitur, explicatio praemittitur *περισκοπήσω* eadem, quam Photiust uetur. Idemque ualet in gl. *Πτερυγίζων* ad Eq. 522: *πετόμενος* || gl. *Ῥόθιον* ad Eq. 546: *τὸ μετὰ ψόφου κῦμα ἢ ῥεῦμα* || gl. *Ἡνίαι* ad Eq. 1109: *λῶροι χαλινῶν* || gl. *Στερίφη* ad Thesmoph. 641: *σπεῖρα, μὴ τεκοῦσα (μηδὲ τίκτουσα* add. Photius) || gl. *Συβήνη* ad Thesmoph. 1197: *ἡ δερματίνη αὐλοθήκη, ἢ ἡ φαρέτρα* || gl. *Πάσῃ τέχνῃ* ad Lys. 412: *ἐκ παντὸς τρόπου* || gl. *Στρόφιον* ad Lys. 931: *τὸ στρογγύλον ζωνάριον.* —

Longiores uero adnotationes, Photio et Suidae communes, quae desunt in codicibus nostris Aristophaneis, in utriusque libros ex communi fonte fluxisse magis putauerim, quam Suidam Photii lexicon compilasse. Velut Suidae et Photii glossam *Ψωλὸν γενέσθαι δεῖ σε μέχρι τοῦ μυρρίνου* (Eq. 964). *Ἡ παροιμία*

παρὰ Ἀριστοφάνει ἐν Ἱππεῦσιν. Ἐλέχθη δὲ ἐπὶ τῶν μέχρι πολλοῦ διεσχυλμένων (διελκυσμένων Phot., διειλκυσμένων [1]) Prouerb. Append. Vat. cent. IV 49) et quae sequuntur ex paroemiographo quodam fluxisse uerisimile est.

Item s. gl. *Κύτταρος* (ad Thesmoph. 516) copiosior scholii forma, quam seruauit Suidas cum Photio: ἡ τῆς βαλάνου πυελίς· ἢ τὸ προεξάνθημα τῆς ῥοιᾶς· ἢ ἡ ἐν τοῖς κηρίοις τῶν μελιττῶν πυελὶς καὶ κατάτρησις, facile ex descriptione quadam rerum naturalium nunc deperdita in utriusque lexicon introire potuit [2]).

Simili modo quae s. gl. *Καρύκη* apud utrumque et apud Hesychium leguntur:

Suid.	Phot.	Hesych.
ἔδεσμα ἐκ πολλῶν συγκείμενον, βρῶμα Λύδιον ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἐδεσμάτων, ἀφ᾽ οὗ καὶ τὰ συνταράττειν τι καὶ ἀναδεύειν καρυκεύειν φασί.	ἔδεσμα ἐκ πολλῶν συγκείμενον. (nec quicquam amplius)	βρῶμα Λύδιον ἐξ αἵματος καὶ ἄλλων ἡδυσμάτων, ἀφ᾽ οὗ καὶ κτλ.

ex communi fonte ita fluxerunt, ut Suidas pleniorem et rectiorem — ineptum enim est ἡδυσμάτων Hesychii — retinuerit.

Qua in disquisitione saepe non accurate potest discerni, utrum Suidas ex codice suo Aristophaneo scholium quoddam descripserit, an ex alio fonte adnotationem aliquam, quae ad Aristophanis uerba quadraret, transsumpserit; ac ne uariae quidem citandi formae a Suida in lexico adhibitae (sine poetae fabulaeque nomine, Ἀριστοφάνης, ὡς Ἀριστοφάνης, οὕτως Ἀριστοφάνης, Ἀριστοφάνης φησί, Ἀριστοφάνης adiecta uel omissa praepositione ἐν cum titulo fabulae) ansam canonemue praebere queunt; quamquam hoc certum est:

[1]) Kusterus διεσχολλυμένων, Toupius μέχρι πιλοῦ διεσχολυμένων.

[2]) cf. gl. *Πόα*. Ἑκάστη βοτάνη κτλ., quae glossa ex Suida in Aldinam Aristophanis editionem transmigrauit. cf. Dindorf. tom. IV pg. VIII adnot. a.

quidquid aut omisso poetae fabulaeque nomine aut addito simplici nomine Ἀριστοφάνης a Suida afferatur — et longe plurimis locis Suidas hac citandi ratione utitur — hoc ex codice Aristophaneo suo Suidam ipsum descripsisse. —

Denique cum Hesychio et cum Lexicis Seguerianis[1]) uix ulla necessitudine Suidae adnotationes cohaerent, nec facile Aristophanea his et Suidae communia reperies, quae in scholiis R*VΘG* non seruata sint.

CAPVT TERTIVM.

§ 23.

His praemissis iam cum uariorum librorum Aristophaneorum scholiis Suidae adnotationes in comparationem uocemus.

In enotandis autem scholiis dispar fuit Suidae opera in diuersis fabulis, cum in Pace et in Equitibus copiosissima extent, propemodum deficiant in Vespis, rariora et breuiora legantur in Ecclesiazusis, Thesmophoriazusis, Lysistrata, id est iis ipsis in fabulis, quarum nobis quoque omnium rarissima extant scholia. Hinc etsi non efficitur Suidam in excerpendis his fabulis alio fortasse libro minore scholiorum copia instructo usum esse, tamen licet conici in his comoediis omnium minimum grammaticorum Byzantinorum studium ac laborem uersatum esse.

Ex uariis autem scholiorum Aristophaneorum generibus desiderantur praecipue scholia metrica[2]), raro inueniuntur adnotationes, quae ad histrionum chorique actionem pertinent, id quod more Suidae lexicographi explicatur non commentarium in fabulas Aristophaneas conscripturi sed glossas *κατὰ στοιχεῖον* collectas atque dispositas exemplis cum ex aliis scriptoribus tum ex Aristophane petitis illustraturi et explicaturi.

Ex reliquis scholiis una pars in uerborum obscurorum interpretatione uersatur, altera ad res spectat et conscripta est ad explicandas antiquitates scaenicas, publicas, priuatas, quarum mentio fit in comoediis Aristophanis, et ad enarrandas

---

[1]) ed. Bachmannus in Anecdotis.

[2]) cf. quae Dindorfius in uol. I[i] praef. pg. XVI de R[is] scholiis metricis adnotauit.

res historicas et mythologicas. Cumque Suidas praecipue glossographi munere fungatur, quid mirum, quod ex codice suo Aristophaneo eam scholiorum partem uel totam in lexicon suum recepit, quae proprias glossas earumque circumscriptiones continebat?

Huc pertinent eae breues adnotationes, quibus Suidam cum Zonara consentire supra memoraui. Sequuntur[1]) propriae glossae interlineares, h. e. singularum uocum breuia interpretamenta, quibus Suidas nostris codicibus Aristophanis praestat, uelut ad Eq. v. 8 *Δεῦρο· ἐνθάδε, ἐπὶ τοῦ παρόντος. καὶ δεῦρο ἀεὶ ἀντὶ τοῦ, μέχρι τοῦ παρόντος. σημαίνει δὲ καὶ τὸ ἐλθέ.* 43 *Νουμηνία, ἡ τοῦ μηνὸς ἀρχή.* 44 *Βυρσαίετος· . . . . σκυτοδέψης Ἀττικὸν, βυρσοδέψης δὲ Ἀσιανόν.* 49 *κοσκυλμάτια· τῶν βυρσῶν τὰ σμικρότατα περικόμματα.* 141 *Ὑπερφυᾶ τέχνην· . . . . . ἀλλαντοπώλης ὁ τὰ ἔντερα πωλῶν·* 197 *Μάρψῃ· συλλάβῃ, διαχρήσηται.* 220 *Συμβαίνουσι· συμπράττουσι*[2]), *συμφωνοῦσι.* 248 *Τελώνης· ὁ τῶν τελῶν ἐταστής.* 292 *Ἀσκαρδαμυκτί· . . . . χωρὶς τοῦ μύειν, ὅ ἐστιν ἀγρίως βλέπειν . . . . σκαρδαμύσσειν λέγεται καὶ ἰλλωπεῖν. ἀσκαρδαμυκτεῖν οὖν τὸ ἄνω βλέπειν.* 327 *Λείβεται· τοῖς δακρύοις διάβροχος γίνεται.* 347 *Μέτοικοι δὲ οἱ ἀφ' ἑτέρας πόλεως μεταστάντες καὶ εἰς ἑτέραν οἰκοῦντες*[3]). 359 *Προσίεται· ἀρέσκεται, προσδέχεται*[4]). 553 *Ἁνδάνει· ἀρέσκει, μέλει.* 596 *Ξυνδιήνεγκαν· συνέκαμον, συνεπράξαντο . . . . ἀντὶ τοῦ ὑπερήνεγκαν.* 682 *Ὀβολοὶ δὲ εἰσὶν οὓς καλοῦμεν φόλλεις*[5]). 696 *Κεραυνός . . . . τῶν δὲ κεραυνῶν οἱ*

---

[1]) In enotandis his glossis, si tota deest glossa nostris codicibus Aristophaneis, numerum uersus linea subducta conspicuum reddidi. Litteris latius dispositis ea uerba Graeca distinxi, quae apud Suidam quidem leguntur, sed in scholiorum codicibus desunt.

[2]) *συμπράττουσι V* et gl. Victorian.

[3]) similiter Harpocratio s. gl. *Μέτοικοι.*

[4]) Lex. Seguer. 351 *ἀρέσκει, προσδέχεται.*

[5]) Est autem *φόλλις* uox Latina follis, i. e. sacculus quo condebantur nummi et deinde „minutae pecuniae genus et omnium minima" (cf. Salmasium ad Aelii Lampridii Heliogabalum cp. 22) recepta a Byzantinis uidetur non adeo recentibus temporibus; neque tamen comparet

μὲν καταιβάται, οἱ δὲ ψολόεντες οἱ τῇ ψαύσει ὀλλύντες, οἱ δὲ ἀργῆτες καλοῦνται. 781 Διεξιφίσω· διεμαχέσω περὶ τῆς χώρας. 837 Ζηλῶ· μακαρίζω. Ἀριστοφάνης Θεσμοφοριαζούσαις . . . (ad voc. εὐγλωττίας) ἀντὶ τοῦ, τῆς γραφῆς, τῆς κατηγορίας. 860 Μὴ τοῦ λέγοντος ἴσθι· Μὴ πείθου τοῖς διαβάλλουσιν. 918 Ἱστίον σαπρόν· Ἄρμενον παλαιόν, τρίβακον ἢ μὴ ἁρμόζον. 984 Δοῖδυξ· ὁ ἀλετρίβανος. 1109 Ἡνίαι· τουτέστι τὴν ἐξουσίαν. 1307 Τερηδών· Σκώληξ ξυλοτρώκτης, οἰκῶν ἐν ξύλῳ. 1369 Κατάλογος· ἡ ἀπογραφὴ τῶν ὀφειλόντων στρατεύεσθαι. καὶ ἡ ἐξαρίθμησις· ὁ πίναξ· ἐφ᾽ οὗ ἐνέγραφον τῶν ἐκστρατευομένων τὰ ὀνόματα.

Multo quam in Equitibus fit euidentius Suidam glossographi maxime munere functum esse in Thesmophoriazusis, qua in fabula ubicunque aut auctior aut singularis scholii forma a Suida exhibetur, plerumque eum breuium glossarum interpretamenta adicientem deprehendimus: ueluti in vv. 43 Ἐχέτω· κρατείτω. 93 Τεχνάζειν· τὸ πανούργως τι διαπράττεσθαι. 133 Γαργαλίζει· δοτικῇ, κινεῖ, ὑποσημαίνει (lege ὑποσαίνει, quod ex Phauorino restituendum est). 136 Γύννις· ἀνδρόγυνος, μαλακός. 159 Ἄμουσα (lege ἄμουσον)· ἀτερπῆ ἀηδῆ ἀπαίδευτα (lege ἀπαίδευτον). 163 Ἐμιτρώσατο· (ad διεκίνων) ἀντὶ τοῦ μίτραις τουτέστι ζώναις διαζωσάμενοι ἁβρῶς περιεπάτουν. 173 Βαΰζων· ὑλακτῶν. 179 Κοινολογία . . . κοινῇ δὲ ἀντὶ τοῦ ἀνθρωπίνῃ, μεγάλῃ καὶ θαυμαστῇ; ex his ἀνθρωπίνῃ ad κοινῇ scripturam, μεγάλῃ καὶ θαυμαστῇ, quae etiam in scholio R[is] leguntur, ad scripturam καινῇ referenda sunt. 191 Ἐξυρημένος· τὴν κόμην ἀποβαλών. 195 Ὑφέξειν· ὑπενεγκεῖν, ὑπομεῖναι. 198 Τεχνάσμασι· δόλοις, πανουργίαις. 216 Ἀφανανθήσομαι . . . . ἀφαύειν (falso ut in uersu ipso pro ἀφεύειν) καίειν. 223 Ἐποποὶ . . . . ἀτταταί· ἐπὶ τῶν ἀλγούντων. 227 Ἡμίκραιρα· τὸ ἥμισυ τῆς κεφαλῆς. 236 Δελφάκιον· ὁ μικρὸς χοῖρος. 245 Ἀποπεπόνηκας· τῶν πόνων ἔληξας. 324 Οἶστρος· ἐρεθισμὸς, ἔκκαυσις, πύρωσις ἐμμανής. 427 Θριπηδέστατον·

in scholiis nostris Aristophaneis, ex quibus uerba Graecobarbara et Latina collegit Dindorfius praef. ad tom. IV pg. IV.

ἀντὶ τοῦ, βεβρωμένον καὶ διεφθαρμένον. 427 Ἐβάστασεν· ἀντὶ τοῦ ἐδοκίμασεν. 469 Ὀναίμην· ἐπιτύχοιμι, ἀπολαύσω (ἀπολαύσαιμι ex Phauorino restituendum est). 493 Ληκώμεθα· κινώμεθα. 509 Ἦστρον· τὸ ὑπὸ τὸν ὀμφαλὸν μέρος. 601 Πρόξενος· ὁ προστάτης. 747 Διονύσια· ἑορτὴ παρ' Ἀθηναίοις. 771 Πλάτη· κώπη. πλάτη καὶ εἶδος πλοίου. 846 Ἰλλόν· στρεβλὸν, στραβὸν, ἢ τυφλόν. 986 Τορεύει· γλύφει, τιτρᾷ. 1217 πηκτὶς, πηκτίδος· πάνδουρα μάχαιρα κρεώκοπος, παρὰ δὲ Ἀριστοφάνει ἐν Θεσμοφοριαζούσαις εἶδος ὀργάνου κιθαρῳδικοῦ ἢ εἶδος ἀκολάστου σχήματος. 1227 Διέβαλεν· ἀντὶ τοῦ ἐξηπάτησεν.

Neque aliter in Lysistrata longe maxima pars earum adnotationum, quae a Suida solo traduntur, proprias glossas complectitur, uelut ad vv.:

13 Εἰρημένον· λελεγμένον.[1]) 19 Ἐψώμισεν· ἔτρεψεν (leg. ἔθρεψεν). 57 Ἀττικάς· ..... (ad τοῦ δέοντος ὕστερον spectant) ἀντὶ τοῦ ὑστεριζούσας τοῦ καιροῦ, βραδυνούσας. 82 Πυγή· τὸ περὶ τὸν πρωκτὸν μέρος. 89 Βλήχων· ἡ γλήχων· οὕτως λέγεται παρὰ Ἀττικοῖς. Ἔστι δὲ εἶδος βοτάνης. καὶ τὸ ἐφήβαιον Ἀριστοφάνης οὕτως ὀνομάζει. 103 Ἄπεστιν· ἀντὶ τοῦ ἀφέστηκε, μακράν ἐστι. 107 Φέψαλος καὶ φέψαλυξ· σπινθὴρ, ὁ ἀναφερόμενος ἐκ τῶν καιομένων ξύλων. 126 Μυᾶτε· Μυᾶν ἐστι τὸ τὰ χείλη πρὸς ἄλληλα συνάγειν. Τὸ δὲ αὐτὸ καὶ μύλλειν λέγεται. Τινὲς δὲ, τοὺς ὀφθαλμοὺς συνάγετε δυσαρεστοῦσαι. Ἢ ὥσπερ μύες καταδύεσθε καὶ σκαρδαμύσσεσθε. Ἢ μύλλετε, ἢ μυκτηρίζετε. 201 Ἡσθείη· χαρήσεται. 221 Ἐπιτυφῇ· ἐπικαῇ, ἐπιπυρωθῇ, ἐπικαυθῇ ἐπ' ἐμοί. 256 Ἄελπτα· ἀέλπιστα, ἀπροσδόκητα. 275 Ἀψάλακτος· ἀπαθὴς, ἀτιμώρητος· Ἀψάλακτον γὰρ τὸ ἄτικτον. 279 Ἄλουτος· χωρὶς τοῦ σ. 295 Φῦ φῦ· ἐπὶ τοῦ φυσῶντος τὸ πῦρ. 367 Βρύκουσα· ἐσθίουσα, δάκνουσα, παρὰ τὴν βοράν, οἱονεὶ βορύκουσα. 444 Κύαθος· ἀντλητήριον, μέτρον ὑγροῦ οὐγγιῶν β', ἢ κοχλιάριον. 474 Μηδὲ κάρφος κινεῖν· ἐπὶ τοῦ ἡσύχου. 491 Κορκορυγάς· ...... (ad Κορκορυγὴν ἐκύκων) ἀντὶ τοῦ ταραχὴν ἐκίνουν. 550 Μὴ

[1]) corruptum in codd. Barocc. et Leidensi: εἰρημένον ἀντὶ τοῦ εἰρημένον ἀττικῶς; legendum est ἀντὶ τοῦ λελεγμένου (uel λελεγμένον).

τέγγεσθε· μὴ μελήσετε. 550 *Οὔρια θεῖτε· ὀρχεῖσθε.* 578 *Διαξῆναι· διαλῦσαι.* 597 *Ὀττευομένη· ἀπὸ μεταφορᾶς τῶν ὄρνεων τῶν δυσοιωνίστων.* 686 *Βωστρεῖν· καλεῖν, βοᾶν.* 721 *Διαλέγουσαν· διοικοδομοῦσαν. λέγειν γὰρ τὸ οἰκοδομεῖν.*[1]) 927 *Ἡρακλῆς ξενίζεται· Παροιμία ἐπὶ τῶν βραδυνόντων. Οἱ γὰρ ὑποδεχόμενοι τὸν Ἡρακλέα βραδύνουσι. Πολύφαγος γὰρ ὁ ἥρως. Ἡ ἐτυμολογία τῆς κλήσεως ἀπό τινος χρησμοῦ·*

Ἡρακλῆν δέ σε Φοῖβος ἐπώνυμον ἐξονομάζει·
ἦρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέος ἄφθιτον ἕξεις.[2])

982 *Κυρσάνιε· Νεανία, ἔφηβε. Ἢ εὐτελέστατε. Κυρσὸς γὰρ εὐτελὲς λάχανον. Κυρσανίους δὲ καλοῦσιν οἱ Λάκωνες τὰ μειράκια, καὶ τοὺς εὐτελεῖς ἀνθρώπους.*[3]) 987 *Παλεός· ὁ σκώπτης.* 1110 *Αὐθέκαστα· αὐτὰ τὰ γινόμενα, οἷον ἀκρίτως* (lege teste Lex. Seguer. 462 *ἀκριβῶς*) *καὶ συντόμως. ἢ τὰ ἁπλᾶ καὶ ἀληθῆ αὐτακριβῶς.* 1127 *Μεμούσωμαι· ἀντὶ τοῦ πεπαίδευμαι, ἤσκημαι.* 1316 *Παραμπυκίζεται· παραπλέκεται τὰς τρίχας.*

Hac tabula apparet longe maximam partem earum adnotationum Suidanarum, quae etsi non multum at certe aliquantum lucis ad Thesmophoriazusas et Lysistratam afferre possint ideoque dignae uideantur, quibus augeatur scholiorum Aristophaneorum corpus, ex glossis interlinearibus originem duxisse, quibus Suidae codex pluribus quam codices R*VΘ* instructus fuerit; indidem explicandum est, quod totiens ipsa illa uocabulorum forma, quae extat in fabula Aristophanea, apud Suidam fideliter seruata est.

[1]) inepta haec sane; neque uero ea minus inepta, quae in nostris scholiis ad h. v. leguntur *διαλέγειν = διορύττειν.*

[2]) cf. Eustath. ad Il. pg. 561 et Etym. Magn.

[3]) Eadem mutila quidem legebantur in eo codice, ex quo Claudius Puteanus scholia adscripsit editionis Frobenianae fabularum Aristophanearum exemplo suo, quae nonnunquam leuiter cum Suida consentiunt, uelut ad v. 201 Put. scholium subministrat: *ἡσθείη· εὐφρανθείη,* ad v. 221 *ἐπικανθῇ,* ad v. 538 *διαλῦσαι χρή,* ad v. 983 *κυσάνιε* (sic) *νεανία, ἔφηβε, ἢ εὐτελέστατε· κυρσὸς γὰρ εὐτελὲς λάχανον· κυρσανίους δὲ καλοῦσιν οἱ Λάκωνες τὰ ....* (supple *μειράκια* ex Suida) *καὶ τοὺς εὐτελεῖς ἀνθρώπους.* Fieri tamen potest, ut Claudius Puteanus haec ex ipso Suida addiderit.

CAPVT QVARTVM.

§ 24.

Iam uideamus quae ratio intercedat inter scholia Suidana et Rauennatem, quem integriorem formam plerumque seruasse supra memoraui, et codices *VΘ*, qui eandem fere scholiorum copiam formamque repraesentant atque Suidas.

Atque in Thesmophoriazusis, ubi solo cum R^e Suidam comparare licet, assentiar Fritzschio[1]), qui: *Recte,* inquit, *dudum iudicauerat Valckenarius in Diatribe (pg. 49): In istam fabulam scholia uetera non pauca possunt apud Suidam reperiri; quam rem tam insignem uix credas tam diu praeterire uiros doctos potuisse. Neque enim in ulla alia Aristophanis fabula Suidas uetusta et bonae notae scholia tam saepe compilauit. Nuper editis a Bekkero scholiis libri* R^{is} *cognitum est, Suidam haec ipsa scholia descripsisse, uel dicam ambo e communi fonte doctrinam suam hausisse nec nisi leuiter inter se minutis in rebus discrepare.* Et profecto in hac fabula Suidas nec auctiorem scholiorum formam exhibet praeter glossas illas interlineares in tertio capite enumeratas, nec omnino, si corruptos quosdam et mutilatos in R^e locos omiseris, ualde ab eo discrepat.[2]) Suidae autem scripturae in scholiis discrepantes, ex quibus quidem aliquid emendationis scholiis R^{is} hauriri possit, ab Engero obseruatae et adnotatae sunt ad vv. 52 94 129 131 179 231 232 258 261 274 373 389 393 395 458 516 567 572 616 648 770 773 868 1175.

Vnum addo locum:

Ad v. 300:

Suidas s. gl. *Κουροτρόφος*·	R:
Κουροτρόφος γῇ· Ταύτῃ δὲ θῦσαί φασι πρῶτον Ἐριχθόνιον ἐν ἀκροπόλει καὶ βω-	*εἴτε τῇ γῇ εἴτε τῇ ἑστίᾳ ὁμοίως πρὸ τοῦ Διὸς θύουσιν αὐτῇ.*

[1]) Thesmoph. pg. 82.

[2]) Bernhardyus in Commentt. de Suidae lexico pg. 48: *Nam in Lysistratam et Thesmophoriazusas, ubi scholia rarescunt et extenuantur, nihil obtulit R amplius, quin id apud Suidam inueniatur.*

S:	R:
μὸν ἱδρύσασθαι, χάριν ἀποδιδόντα τῇ γῇ τῶν τροφείων· καταστῆσαι δὲ νόμιμον τοὺς θύοντάς τινι θεῷ ταύτῃ προθύειν.	

ubi mutilatum R^is scholium ex Suida supplendum est.

[1]) An *uereretur* peccatum est a quadratario pro *uideretur*? Aut hoc aut illud, quod supra proposui, statuendum erit; nam parum apte mihi videtur statui *uereri* ita admissum esse, ut supplendum esset *ne dubium (esse cuiquam) — uereretur — (Vmbrius Victorianus), quis hoc — fuisset conditus humo, Victorianum scribere curae fuit.*

posterisque suis — coopta*runt* 69 2—8 (*a. 65*); — *contra admodum apte* senatus populusque — fecerunt — co(o)ptauerunt 68 1—5 (*a. u. 742*).

ord*o* decurionum — fec*erunt* 1124* 6—8.[1])

popul*us* curiarum — posu*it* et — ded*er*(*unt*) 1828 9—15.

Legimus praeterea e. g.

reuoc*at* me cur*a* operis celsi*q*(*ue*) decore*s* 212(c) 77; *cf. Draeger I² 175 sq.* —

Co[rneliu]s — cum Vttedio — dedicau*it* 24* 2 || Coelius cum Coelio — filio suo — dedicau*it* 969 7—14 || curator — cum ordine — dedicau*it* 1281; *cf. Draeger I² 178 sq.; — contra parum concinne:*

Calui*us* — sumpto suo et T. Aeli — communi pecunia fec*erunt* 895* 4—8.

Pluralis neglegitur[2]) *in*

C. Gessius — uix(it) — et Iulia uix(it) —; h(ic) e(st) s(itus, -a?) 278, *propter formulam, ut videtur, et admodum usitatam et compendio notatam.*

b) *Adiectivi, quod ad duo substantiva aeque pertinet, numerus singularis ita admittitur, ut ad unum, quod proxime ab eo abest, substantivum quadret, in his exemplis:*

Anniae sororis et Iuliani fratris su*i* 1401 5—6.

Cupito patri, matri Venustae me*ae* 1523 b(c) 6.

ingenio et animo maxim*o* 1540* 3—4.

propri*o* sumptu diligentiaque 1281 a.

Usitato modo dicitur etiam e. g.:

suo et — liberorum suorum nomine 1400* 4—7; *et similiter* 955* 4. 1401 7. 10.

eum liberos posterosque eius — patron*um* cooptarunt 69 5—8 (*a. 65*) *et similiter* 68 4—7 (*a. u. 742*). —

sumpt*u* suo et T. Aeli 895* 4—5 || *adde* Coelius — cum — filio sumpt*u* proprio — dedicauit 969 13 || Sextili — maritus — et — filius — su*o* sumt*u* ornau*erunt* 993*; — *omnino semel tantum plur.* suis sumtibus 609 a.

---

1) Cf. *ordo dedicatissimi* C. II 2071.

2) Non invenitur exemplum tale, quale illud est *astante ciuibus* C. V 895.

Nomen ad plura attributa adiectum numeri singularis (cf. Draeger I 1 sq.) forma indutum est in

coronam muralem, uallarem 217*11; — *sed dicitur e. g.:*

Aelii Primus et Felix et Secundianus 8114 || Iuli Optatianus et Victor liberi 6315—6; *et sic constanter.*

Quid sibi velit pluralis in Felicula [—] Sterceiani coniunx mater filiorum eorum 770a, *ubi exspectes* eius, *dicere nescio.*[1])

§ 27. De casuum congruentia.

Casus inter se miscentur in his titulis:

D. M. s. Lusi — aedilis et munerari, item duouiru(m) et munerarius, agens — uixit — 1270.

Memoriae M. Numisi — auguris, homini bono, qui —; ob honorem eius *etc.* 974. —

Imp. Valerio pater patriae 1357*5, *ubi ab uno ex auctoribus* patri *traditur ex coniectura potius quam ex visu.*

C. Vettio — nepotis — 8235 || *traditur* M. Fannio — Vitalis 853*1—2.

Imp. Caes. — fili — adnepoti M. Aurelio *etc.* 966; *cf. supra pag.* 85 *adn.*1 —

Silius — hic tumulum fecit 10662.[2]) —

Quinto — cupiens — respondere — decreto ord(inis) n(ostri) pos(ita, *sc. basis est; an parum recte explicata nonnulla compendia sunt?*) 27.

Prorsus miscentur casus gen. et dat., ita tamen, ut quadratarius ipse peccata corrigere iam coeperit, in tit. 1485.

De abl. abs. sacerdotis et Arri — agentib(us) 796 2 *v.* § 31, *ubi quae allata sunt, exempla omnino conferas.*

§ 28. De consensu generum.[3])

Nomen substantivum generis feminini excipitur attributo vel praedicato vel relativo generis masculini in his exemplis:

---

[1]) Quadratarii mendo deberi videtur „*annis I*" *656b4*.

[2]) Cf. C. IV 1847 *haec nau(em)*.

[3]) Genera permutantur in C. V maxime in titulis christianis.

[I]ul(ia) Gall*a*, qu*i* et Meduri*a* 163 || *item in eadem formula:* Calpurni*a* Victorina, qu*i* et Faed*a* 347 || Auati*a* Victoria, [q]u*i* [e]t (*traditur* ouit) Monn*a* uocita[ta] e(st) 1679*; — *contra recte* Felicitas qu*ae* et Vruria 1709.[1])

Caesetiae — qu*ae* *i*dem h. s. e. 1039$_{3}$ || *ibidem v.* $_{3}$ *Wilmanns sic legit:* — quo h*i*c (*pro* haec) iace[t]. —

Iuli*a* Spes pi*us* uixit 584*.

Flaui*a* — uixit —; h(ic) sit*us* (est) 371*;

fortasse etiam in Senatus populusque ciuitatium stipendiari*o*rum pago Gurzenses $\overline{68}_{2}$ (*a. u. 742*).

Genera permiscentur etiam in nominibus propriis; legimus enim in tit. $\overline{1181}$ $_{2-3}$: et Acci*ae* Heuresidi Venanti*o* c(larissimae) p(uellae) et *etc.* —

Minus apte dicitur suis omnes partitus opes posteritati e*a* — relinquit 684†b(c)$_{8-10}$.

Certo corruptus videtur tit. 1384*: Turi*us* Gemell*us* uxor —.

Legimus praeterea:

munic(ipi*um*) Aureli*a* Vin*a* deuot*a* $\overline{961}$.

contra municipi*um* Thib(ic*a*) deuot*um* $\overline{766}$ || m[uni]cipi*um* — Thignic*a* deuot*um* $\overline{1406}$.

B. De syntaxi casuum.

§ 29. De adiectivis et adverbiis (*Draeger I² 352 sqq.*).

a) *Sescenties legimus* pi*us* uixit, pi*a* uixit; *adverbium* pie *non usurpatur nisi in his titulis:* 601$_{5}$. 616. 630*$_{3}$. 644*. 716$_{3}$. 722$_{4}$. 990*. 1256$_{3}$ (? *legitur* pi*i*; *cf. supra pag.* 15).

religios*e*, pi*e*, casteque uix(it) 78*$_{6-8}$; — *contra cf.* uixit pi*a*, larg*a*, benign*a* 412(c)$_{3-4}$.

sat prob*e* — uixit 647(n)$_{6}$ || uixit — honest*e* 1048. —

uotum soluit libe(n)s animo $\widetilde{1012}$; — *contra* perduxi liben*ter* 1027(c)$_{8}$.

non dign*a*,[2]) coniux, — uita [exire de]creuisti 403(c)$_{6}$.

---

[1]) Cf. Roensch 276. 520.

[2]) *a* littera, etsi non satis certa, tamen probabilior Wilmannsio visa est quam *e*

prolatos homines — longior excipiat memoratio mult*a*que seruet — mansuris — annis 212(c)7.

alti*or* extrema nube uolat 213(c)14.

stabil*is* bene figitur 212(c)20.

Contra e. g. reportantes mella frequent*er* apes 213(c)10 || geras multos felic*iter* annos 213(c)19 || felic*iter* aedificauit 1434†4.

Cf. dolens feci 336*; — *tamquam adverbii loco* cum dolore [posuit] 299 8. —

i*dem pronomen et* it*em adverbium pari sensu ita adhibentur, ut pronomen triplo fere saepius occurrat adverbio; legimus enim:*

verbum aliquod (posuit, fecit, *similia*) i*d*emque dedicauit 840*7. 998*. 1267 12. 1309 5. 1321 6. 1400*11. 1441. 1586 || posuit ide[mq(ue) de]dicauit 1401 12; *similiter* 1548 17 || dederunt idemq(ue) d(edicauerunt) 1279 5; *similiter* 885 13. 1413a4 || fec(erunt) iide[mque —] 816 || [—] idemq[ue —] 1363 || posuit eandemque dedicauit 858 9 || iubente prouinciale — eodemque dedicante 587 4.

contra f(ecit) i*t*e(m)que dedicauit 703 5 || re[fec]it itemque dedicauit 1406 d—e3 || restituit itemque ded[icauit] 818 || [res]tituit itemque [—] 1448 f* || [de]derunt itemque dedic[auerunt] 1361.

b) *Adverbium exstat pro attributo* (*Draeger I² 131 sq.*) *in:*

T. Aeli — quondam collegae sui 895*5—6.

[in] memoriam quond(am) soceri sui 1577 c3; — *contra adiectivo praefixum est in* Palliae Saturninae Iulius Maximus quondam suae 647(n)1; *similiter* 682(n)6—7.

§ 30. De pronominibus.

a) *De pronomine reflexivo* (*Draeger I² 67 sqq.*); *cf.* § 35 g).

hic — Pass[ie]na — quiescit; — hoc sibi (= ei?) costituunt patres fratresque sepulcrum 412(c). —

Exstat extra orationem obliquam in secundaria sententia (*Draeger* I^2 *75 sq.*)*:*

C. Memmio Felici — C. Memmius Fortunatus propter — affectionem, quam circa se — exhibet, posuit 1419*$_{10-13}$ | Fundanius — ob honorem aedilitatis, quem ei ordo suus — decreuit, — posuit 858$_{5-6}$; — *contra prorsus recte e. g.* L. Annius suo et — Anniae sororis et Iuliani fratris sui nomine statuam, quam — pater eorum *etc.* 1401$_{8}$. —

conditori adque amplificatori totius orbis Romani sui — Constantino — Mecilius *etc.* 1179$_{2}$. —

hominemq(ue) laboret metiri breuitate sua 212(c)$_{34-35}$. —

Flauio — patria egregiam officii sui — testata memoriam 758$_{7-12}$.

locus datus a — parente suo 1643$_{10-12}$. —

porticum cum arcu suo — dedicauit 608$_{4}$ || signum lupae cum insignib(us) suis posuit 958$_{4-5}$ || Cornificius — templum (*exspectes* cum; *cf. infra pag.* 125) ornamentis suis et statuam sua pec(unia) fec(it)? 1441. —

Prorsus usitato modo adhibitum habes pron. refl. e. g. in:

puero — exhibenti — uoluptatum genera patris sui studiis 14*$_{6-7}$ || Honorato — omnibus honoribus patriae suae functo 32$_{2-4}$ || patri — indulgen[ti] in liberos suos 739$_{2-4}$ || administrante [E]nnodio — cum — leg(ato) suo 1358*$_{3-4}$(?).

Parum concinne dicitur L. Antonius super — HS duo milia nummorum patris eius *etc.* 76$_{9}$; — *contra satis apte* Cae(cilius) — u(ixit) —; curantes filios (*pro abl. abs.; cf.* § 31) eius 132$_{5-7}$. —

Saepe pronomen possessivum reflexivum sic usurpatur, ut, si deesset, sensus prorsus idem maneret;[1]) *e. g.:*

fecit marito suo 642$_{5-7}$ || cum Magniliano filio suo 828$_{10}$ *et similia exempla passim.* —

sua liberalitate, *similia* = *quae eius propria est, v.* § 35 e). —

---

[1]) Cf. Mommsen in Ephem. epigr. I p. 80.

b) hic:

Rariorem usum testantur haec exempla:

Victoria uixit *etc.*; huic — fecerunt 153₄; — *vulgo* Victoria uixit —; filiae fecerunt *vel* Victoriae; uixit —; fecerunt — *vel similiter;*

M. Aemilius — uixit; h. s. e.; huic — fecerunt 1307₄. — hanc statuam — hoc transtulit (*cf. Neue II 633 sq.*) 1648₉; — *contra* huc 213(c)₁.

iste:

recte inque isto patrio opere iuuenis — quiescit 646(n)₁₂, *i. e. in eo, quod, qui legis, ante oculos habes.*

is (*cf. sub* a)):

Per pleonasmum (*cf. Draeger I² 83*) *exstat e. g. in*

iuuenis (*sequuntur satis multa epitheta*); is — uixit — 726₂—₆ || *cf. etiam* homini bono, qui — reliquit, ob honorem eius posuerunt 974₃—₈.

Bene: —, cui ordo — statuam cum decreuisset isq(ue) — uellet 32₅—₈.

Plane obscura videntur verba, quae leguntur in tit. 1828₁₄—₁₅: curiis epulactris (*sic;* § 40 *s. v.* epul.) eius deder(unt).

idem:

Axia — ui[x(it)] —; eadem se ualente — parauit 810₄; — *contra cf. in tit.* 388₅: ipse sibi se uiuo posuit ; *fortasse eodem modo intellegi potest locus, qui exstat in tit.* 1039₃: quae idem (*pro* eadem; *cf.* § 28) h. s. e. —

Q. Caluius Rufinus — fecerunt dedicante Q. Caluio Rufino aedile; ob cuius statu[ae] dedicationem idem Rufinus *etc.* 895*₄—₁₀.

De idem — item *vide* § 29 a).

(*Post* idem *sequitur* et 1557(c)*₁₁: quod sit tibi idem et mihi; *cf. Draeger II 54*).

c) qui *pro* quae *v.* § 28.

d) quisque (*Draeger I² 101 sq.*) *legitur his locis:*

septimo quoque anno 924₅.

singularum quarumque ciuitatum 1179₃.

per IIuiros cuiusque anni legi 1641 b₁₅.

in locum adulti vel demortui cuiusque 1641 b₁₆—₁₇.

quisque *pro* quisquis (*Draeger I² 101*)[1] *in tit.* 1027(c)10: quisque sapis, iuuenis, *etc.*, *ubi metro* quisquis *forma respuitur.*

uterque:

utr*i*sque nobis uiuis 1523a1.

e) quantus:

Plur. pro quot (*Draeger I² 104; Roensch 336*): quantis uita[m d]eduxerit annis 218(c)a*1.[2])

§ 31. De casu obliquo in universum agitur.

In adhibendis casibus obliquis, praecipue accusativo et ablativo tituli nonnulli, praesertim inferioris aetatis, menda potius quam discrepantias ab usitata scribendi construendique ratione exhibent; at ne menda quidem statuerim, sed, cum certa eiusmodi exempla saepius occurrant, casuum permixtionem iamiam parari, qua absoluta et perfecta linguae quas dicunt romanicae unum tantum retinuerint casum obliquum, putare malim cum Stuenkelio, Verhältniss der Sprache der Lex Utinensis etc., pag. 622 (Vol. VIII suppl. ad acta, quae „Jahrb. für class. Philol." inscribuntur), collatis simul iis, quae contra Stuenkelium disputavit Schuchardt in „Zeitschr. für rom. Philol." I p. 111 sqq.

Quo pertinere mihi videntur constructiones illae in § 35 c) 2) *afferendae:* uixit annis, menses *similesque; eodem fortasse casus ablativus in* -u *secundae declinationis, cuius exempla v. supra pag.* 91;[3]) *neque neglegendi sunt ii tituli, qui* -m *vel* -s *litteras finales abiectas exhibent; cf. supra pag.* 65 *sqq. et pag.* 76 *sq. Plurimae eiusmodi discrepantiae occurrunt post praepositiones.*[4])

---

[1]) Sic etiam in C. II 591; III 1966; V 8974. Cf. Roensch 336.

[2]) Cf. Stat. Silv. IV 3 152: *quantos*, sc. annos, *ego Delium poposci.*

[3]) Si in his formis casus obliquus generalis intellegendus est, id quod mihi satis probabile videri non nego, quaestio, sitne transcribendum *unu(m)* etc., de qua in pag. 91 adnn.[3] et[4] disputavi, supervacanea est.

[4]) Praepositiones cum casibus non suis, sicut omnino casuum permutationis exempla, non desunt in C. II (*ob; cum, pro; in*), III (*ad, ob, per; ex, pro; sub*), IV (*a, cum*), V (haud ita raro; *ob; cum, de, pro; in*), VII (ter; *ob, inter, post*). Cf. Roensch 406 sqq.; 523; exempla con-

Atque accusativus quidem positus est pro ablativo in his titulis:

d(epositus) k(a)l(endas) Ianuari*as* 57† 4—5 || placiturus terti*um* muneris (*sc. diem*) 241 (c) 8 (*i. e., si recte intellego, ut placeret non solum primo alteroque die, sed etiam tertio, usque ad quem diem munus sive ludus durare debebat*); *sed cf. Draeger I² 398.*

ob uirtutem in expedition*em* Parthic*am* coronam *etc.* 217* 10.

in pac*em*[1]) 943†*; — *contra* in pac*e passim* †.

in hoc sign*um* semper uiu[—] 1106†* || in hoc sign*um* semper uinces 1767†.

Legimus et sub di*e* 453† 7 (d(i)e). 457† 4. 458† 4. 460† 8 (d(i)e) *et* s(u)b Id(us) A(u)gust*as* 451† 5.

Ac ne ille quidem ablativus, qui absolutus vocatur, permutationem effugit; scribitur enim in titulis lectionis certae:

Catilius se uib*um*[2]) fecisse (*sic*) 292 2—4.

curant*es* fili*os*[3]) 132 5—6.

In tit. 796 2 (*a. 338*) *perperam incisum est* [Vic]tor*is* sacerdot*is* et Arr*i* Seruil*i* rem agent*ib(us)* || *ibidem, v.* 3 *occurrit* silic*em* — sanctuarium strauit.

Ablativus pro accusativo:

ob dedication*e* 1321 7 || ob innocent*e* act*u* 240 5; *praeterea cf.* § 35 f), *et supra pag.* 66. —

---

gessit etiam Arm. a Guericke, De linguae vulgaris reliquiis apud Petronium et in Inscrr. pariet. Pompeianis, 1875 (diss. acad. Albertinae), p. 55 sqq.; Moeller 41.

[1]) *in pacem* habes etiam C. V 1757 a.

[2]) Cf. *se uibum fecit* C. V 1644†. — Quod Schuchardt II 95 errare eos censet, qui dicant in eiusmodi exemplis accusativum pro ablativo exstare, neque iam aures, quae differentia inter *in locum* et *in loco* intercederet, sensisse, haec nonne fere eadem sententia est ac si haec sane exempla demonstrare mihi videntur nec ablativum nec accusativum nec quemvis certum casum, sed obliquum casum, casum generalem poni? Etenim, qui sic scripserunt, casu absoluto uti certe volebant, cuius loco quem adhiberent, nihil iam eorum intererat.

[3]) Sic interpretari malim quam *curante(s) filio(s)* abl. sing., etsi ex titulo mutilo non certo sequitur filios curavisse, non filium.

§ 32. De accusativo.

a) 1) *Figura etymologica in duobus titulis conspicitur* (*Draeger* I^2 *386 sqq.*):

uixit uitam annis — 1370*3. 1699*4.

Verba intransitiva per compositionem cum praepositionibus ad, con, in *etc. transitiva facta* (*Draeger* I^2 *376 sqq.*), *si quid vidi, vix inveniuntur praeter:*

adire: quas iam transegi, rusus adire uias 213(c)6.

insilire *translate* (= *invehi in aliquem contumelia; Draeger* I^2 *417*): numquam — insilire quemquam nouerat 647(n)11.

contra e. g. accedere *modo magis usitato* (*Draeger* I^2 *377*): at cuius sectam numquam accedi potest 1557(c)*4—5.

Verbum circandi (= *circumeundi*) *transitive:* circaui totam regione(m) 1027(c)6.

manere *transitive:* dum [b]usta [1]) manet 434(c)9; — *contra intr. e. g.* 1523b(c)16: maneant ossa quieta.

sudare *transitive:* sudet florisapos — liquores 212(c)20 (?); *Draeger* I^2 *553.* —

Duplicem accusativum (*Draeger* I^2 *382 sq.*) *habes e. g. in his titulis:*

eum liberos posterosque eius — patronum cooptauerunt 69̅5—8 *et similiter* 6̅8̅4—5 || M. Cincium — patronum expostulassent et fecissent 1548̅13—15.

decurionibus sportulas asses octonos — dedit 1548̅9—11 *et similiter* 1548̅18—19.

2) *Prorsus usitato modo* geras multos — annos 213(c)19 peregi annos (= uixi annos *vel* annis; *cf.* § 35 c) 2)) 7243; *sed* (*cf. Krebs, Antibarbarus, ed. 4., p. 175*)

bis septenos cum agerem annos (= *cum annum quartum decimum ingressus essem*) 7247 (*scl. III*) || *similiter* agit in diem operis perfecti annos *tot* 217*12—13. 16—18 (*scl. II—III*).

3) ecce (*Draeger* I^2 *399*) *nusquam cum accusativo coniungitur nec legitur praeter carmina:*

ecce, recens pietas — meretur 212(c)9—10 || iam debet

---

[1]) Sic enim corrigendum videtur vocabulum traditum *usta*.

pater, ecce, tuus 212(c)56 || lapis, ecce, foratus — hortatur 212(c)86—87 || ecce, Secundus adest 213(c)3.

b) *Accusativum graecum*[1]) *quem dicere consuevimus habes in titulo poetico* 212(c)50:

haec gaudia saepe nitentem (*fere = laetitia de iis, quibus gaudet, nitentem*).

c) *Addo exempla nonnulla ad praepositionum usum pertinentia, quae cum accusativo coniungi solent, omissis iis, quae aliis locis syntaxeos casuum collocare malui.*

ad:

cadis ad multos — iocos 213(c)12.

ad omnes respiciat uitae casus 212(c)33—34. —

ad aeternitatem meritorum eius — conlocauerunt 989 9; *Draeger I² 582;* — *contra* in memoriam — parentium institui et dedic(aui) 1523a3; *cf. exempla infra sub* in *afferenda.*

proc(urator) ad solaminia 619 4.

at instar (*cf.* § 40 *s. v.*) 1447c; *Draeger I² 581.*

ad exemplum piissimae 236 3—4; — *contra* obit exemplo (*abl. an dat.?*) 591 6 (c).

ad satiem (*cf.* § 40 *s. v.*) 1523b(c)9; *Draeger I² 579.*

ab annis *tot* ad annos *tot* 1641b7.9; *Draeger I² 578 sq.*

ad = *circiter* (*Draeger I² 580*): beixit anis (*sic*) at LXXX 284 3—4.

apud *v.* § 33 a), circa, erga, in *v.* § 34 b); *pag.* 123 *adn.* 1.

per *praepositionis habes in eodem enuntiato duas notiones in tit.* 212(c)15: census, per quos aetherias surgunt monimenta per auras.

inter:

inter omnia (*de* omnia *v. Draeger I² 392*) emendatus 726 2.

inter quin[quennali]cios adlecto 262 5—6 || adlecto inter co[m]i[t]es 597* 3; — *sed* (*ut par est*) in equestres turmas adlecto 627 3—4 || [adlect]o in turmas [equestres] et in decuriam iudicum 1147 || in quinque dec(urias) adlectus 1576 5—6. 1827 5.

---

[1]) Ex Eccl. accusativi relationis exempla congessit Roensch 437.

in:

pensatos ibis in annos $212(c)_{71}$.

in diem operis perfecti (= *usque ad; Draeger I² 655*) $217^{*}_{12.17}$.

prolatos homines in tempora plura — excipiat $212(c)_{6-7}$ || in aeternum condita $1523b(c)_{8}$ || in perpetuum — reseruatus 1646_{10-11} || in perpetuum aeui seculorumque testata memoriam $\overline{758}_{11-12}$; *Draeger I² 655; cf.* § 33 a).

Romuleas exire — in arces — aut — medias — in auras $212(c)_{82-83}$; *cf. supra* surgunt — per auras.

in melius reformantur $\overline{608}_{4}$ || in melius creuisse $212(c)_{44}$.

in fidem clientelamque — recepit $\overline{68}_{6-7}$. $\overline{69}_{12-14}$; *Draeger I² 527.*

ut in locum — demortui cuiusque statim substituatur $\overline{1641}b_{16-18}$. —

De in — editione(m) erogari $\overline{967}_{5}$ || in compensatione(m) 895^{*}_{7} *vide* § 35 f).

§ 33. De dativo.

a) *Saepissime dativus indicat eum, cui, in cuius commodum vel honorem aliquid fit, ponitur (vel simile verbum), sive adscribitur verbum sive mente supplendum est (cf.* § 39 b)); *cuiusmodi exempla afferre operae pretium non videtur.* —

seruet — mansuris — annis $212(c)_{7-8}$ || ponat monimenta futuris temporibus $212(c)_{64-65}$; — *contra cf.* § 32 c).

de aeterno — figitur usu $212(c)_{20}$ *cf. supra pag.* 100 *adn.* [1].

in dextera cellis exeunt*ibus* — constructum $\overline{828}_{4-5}$; *Draeger I² 433 sq.*

[aqua] — coloniae sufficiens $\overline{51}_{3}$.

cum cuncta parasset edendo (*sc. muneri*) $241(c)_{6-7}$; *Draeger II 802 sqq.*

porticum —, quae foro ambiendo deerat $\overline{608}_{4}$; *Draeger I² 405; II 809 sq.*

Dativos duplices habes e. g. hos:

memoriae Cassiae fecit Deodatus coiugi 63_{1} || Mem(m)ius — uxori bon(a)e memori(a)e — [posuit] 299_{6-8}; || filio memoriae titulum — reddidit $646(n)_{1}$ || *cf.* pro meritis eius memoriae benignissimae fecit (*sc. matri*) 1349^{*}_{6-8} (*an*

benignissimae *matri?*); — *contra* in memoriam — parentium institui 1523a3—4.

sibi suisque posteris — tribuit muneri 682(n)3—4 || *cf.* hanc operi(s) struem dicauit, semper ut haberet muneri (*sc. sibi*) 647(n)2.

arcuus — patriae dono dedit 1309 5. —

Vrbanilla mihi coniunx 152(c)1; — *cf.* coniugemq(ue) meam mihi iuncta(m) (*Draeger I² 426*) 1523b(c)7.

alteque Pompeiae locat leuamen hoc dolor*ibus* (= *levamen dolorum*) 251(c)3—4; *Draeger I² 440 sq.*; — *contra* hoc solamen erit uis*us* 434(c)6. —

Dativos ex adiectivis pendentes (*Draeger I² 444*) *excerpsi e. g. hos:*

notissimam omnibus in se bonitatem 1646 8—9 || semper parentibus carus 726 6; municipibus meis — carissimis m*ihi* 1641b2 || conditor*i* [per]grato spiritu 646(n)13; *sed* gratus aput magistros fui 724 4 [1]) || rebus hominibusq(ue) pernecessarius 352 4—5. —

uoci praepositus (*cf.* § 40 *s. v.* praeponere) 218(c)a*3; praepositus uexillationibus 619 5—6; *item cum dativis* 1322 2—6; — *sed* praef. iur*is* dic. 853*6. — *Cf.* § 32 c).

b) *Addo constructiones nonnullorum verborum.*

iungere *v. supra sub* a).

omnibus ciuibus n. HS diuidi uolo 967 6—7 || suis omnes partitus opes 684†b(c)8 || [aqua] — per plataeas lacubus inpertita 51 4. —

inlatis reip. — summis 862 6—7; *similiter* 863 7—8. 958 3 || inlata aerario [—] 1576 7; — *sed* moles intulit in nubem [caput?] 218(c)a*6.

ornamentum moenibus et salutem ciuibus perpetuam — contulerit 1828 5—8; — *sed* in sumptum contuli[t] 998*; *Draeger I² 419. 658.* —

pronis animi uirtutibus adsit 212(c)13; *Draeger I² 409 sq.*

---

[1]) De *apud* praepositione cf. *praepositus uexil.* — *aput Marcomannos* 619 7; sed etiam *praepositus uexillationibus* — *aput Scythia(m) et Tauricam* 619 6; cf. Draeger I² 585 sq. Roensch 391 sq. — *ad* c. acc. pro usitato dativo in titt. nostris non occurrit; cf. e. g. Roensch 426. 480.

instante operi[1]) — sufete 765_{4}.

mercib(us) insistebam $868(n)_{5-6}$ || solitis insistere lucis $212(c)_{59}$ (*an ablat. loci?*); *Draeger I² 417.*

Cf. praeposs. ad, in *in* § 32 c).

§ 34. De genetivo.[2])

a) *Genetivus possessivus videtur intellegendus esse in* multa iuuentutis feci $1027(c)_{9}$. —

Genetivi qualit. (*Draeger I² 460 sqq.*) *haec fere habes exempla:* pudicissima femina rarissimae frugalitatis 134^{*}_{4-5} || mirae bonitatis [e]t ex[im]iae inno[centiae feminae] $\overline{1182}_{4}$ || [r]ariss[i]mi exe[m]pli fra[t]er 267 || laudatissimae memoriae puellae 975 || optimae memoriae ciuis $\overline{937}_{3}$ || laudabilis sectae homo 1288_{5}.

[tribuniciae potest]at*is* $\overline{1339}$ || tribun(iciae) potestat*is* $\overline{1479}_{7}$, *ubi v. l. Templii* potestat*e contra ceterorum testimonia nihil valet;* — *certo abl. scribitur e. g.* $\overline{1126}^{*}$. $\overline{1357}^{*}_{4-5}$. $\overline{1478}^{*}_{2}$.

Nusquam igitur genetivum qualit. habes attributo destitutum. *Adde* mollitae — stamine cerae $212(c)_{45}$ || *de* aedem trium camerarum $\overline{1183}_{1}$ *v.* § 40 *s. v.* camera.

Per brachylogiam (*Draeger I² 462 sq.*) *dicitur:* Luria — pia an(norum) XX; h. s. e. 1347 || *et sic per notam etiam* 272_{4}(?). 508(?). 654. 813_{4}. $1389\dagger^{*}_{3}$ || *perscriptum* annorum 1047 (*in titulo mutilo*); — *contra substantivum appellativum, a quo genetivus pendet, additur in* uxori carissimae annorum — 952^{*}_{5-6}.[3]) —

b) *De genetivo obiectivo* (*Draeger I² 467 sqq.*).

amore ductus pelagi $868(n)_{4-5}$ || fusae uanis in amoribus errans gloria luxuriae $212(c)_{23-24}$.

contra: amorem in patriam $\overline{822}_{14}$ || liberalitates in rem pub(licam) et ciues amorem (*sic*) $\overline{980}_{5-7}$ || erga ciues amorem $\overline{826}_{7-8}$ || amorem circa patriam $\overline{829}_{5}$; *habes igitur in eodem municipio Turce-*

[1]) Cf. *instans operi* Verg. Aen. I 504.

[2]) De [*al*]*u*[*ib*]*us cellarum* v. pag. 148 adn. [1].

[3]) Cf. in C. V 4530 *annor(um) natus XVII;* 4483 *uixit ann. XXXIII, mens. II, dierum XXIIII.*

tano (822. 826. 829) *tres constructiones, inter quas genetivus non occurrit.*[1])

ob indiuiduam patris amicitiam 827 5 (*qui tamen gen. subiect. quoque esse potest*); *nec magis in* cum summo eorum dilectu — u(ixit) 726 7, *utrum subiectivus an obiectivus genetivus sit, diiudicari potest.*

sub honore deorum 212(c) 37.

ob — proprium in singulos honorem 60a 8.

cura operis 212(c) 77.

officii sui — memoriam 758 11—12.

ueteris solacia uitae 434(c) 2.

solamen — uisus 434(c) 6; *cf.* § 33 a). —

coniunx — negotiorum socia 152(c) 2. —

E. g. proc(urator) ad solaminia 619 4.

---

[1]) Iis, quae supra attuli, addo haec exempla ad illustrandum usum praepositionum *circa* (Draeger I² 618), *erga* (l. l. 597), *in* c. Acc. (l. l. 654) (*aduersus* non legitur in titt. nostris):

circa: *affectionem fraternam, quam ci[r]ca se et liber(os) exhibet 1419* 11—12* ‖ *merita, quae circa r. p. suam et uniuersos ciues exhibuisset 1548 12—13.*

erga: *insignia eius erga remp. merita 989 7—8.*

in: *ob parem in uniuersos aequitatem 60 a 6* ‖ *pro meritis ac beneficis in ciues remq(ue) p. praerogatis 1296 15* ‖ *ob notissimam — in se bonitatem 1646 9* ‖ *liberalitates in rem pub(licam) 980 5—6* ‖ *solita in patriam liberalitate 210 8* ‖ *liberalitatem eius in remp. 1495*4—5* ‖ *adsidua in rem publicam merita 1175 6—8.*

in uirum religiosa 647(n) 10 ‖ in eodem versu exstant *in se pudica* et *in familia mater*, in quibus exemplis et ipsis, ut quae primi simillima sint, accusativum intellegendum esse suspicor; quam opinionem si iustam esse arbitraris, *-m* finalis vocis *familia(m)* obscurata est, de qua re cf. supra pag. 66 ‖ *indulgen[ti] in liberos suos 739 3—4.*

Genetivus obiectivus post adiectiva et verba:
Recte obliuisci *cum gen.* (*Draeger I^2 488 sq.*) *in tit.* 1523b(c)$_{1}$: amorum oblita tuorum. —
fecunda subolis 1542(n)$_{6}$; *Draeger I^2 477.*

c) *Genetivum partitivum*[1] (*Draeger I^2 448 sqq.*) *habes in:*
quis — mortalium 684†b(c)$_{4-5}$ || duouiru(m) (unus) et munerarius 1270$_{4-5}$.
uoluptatum genera 14*$_{6-7}$.
Saturnina, exemplum sanctimonia[e c]oniugal[is] 78*$_{1-6}$ || pubertatis exempla optuma — dedit 646(n)$_{6}$. —
in perpetuum aeui seculorumq(ue) 758$_{11-12}$; *cf. Draeger I^2 453 sqq.* —

§ 35. De ablativo.

a) *Ablativus locum originemque indicat* (*Draeger I^2 497 sq.*)*:*
Iohannes — ex g[e]nere probincie Surie Apamia 57†$_{1-3}$ || Antonius Marchiamus Mile(u)o 288*$_{3-4}$? || Nepos Philippis 1026$_{3}$ || Cornelius Solutor Sissaris 1541$_{4}$ || Priscus Vienna 1024.
Calpurnius — dom(o) A[qui]s Statelis 502*$_{2}$ || Virrio — col(onia) Assuribus 631$_{4}$;
contra Adiutor Mediolani 1025$_{3}$; *ubi maluerim* Mediolani(o); *cf. pag.* 88 *adn.* 1.

Accedit commemoratio tribus ablativo casu appositae, quae passim occurrit.[2]

Ablativus comparationis (*Draeger I^2 565 sq.*)*:*
altior extrema — nube 213(c)$_{14}$.

---

[1]) Pro genetivo partitivo habes, si quid video, ablativum cum praepositione, quae intercidit, coniunctum in tit. 967$_{7}$ mutilo: *in quorum editione erogari uoluit* (*denarios* tot) *et* [*ex* vel *e* suppleo, etsi spatium harum litterarum capax non adesse videtur] *reliquis* (*denariis* tot) *omnibus ciuibus n. HS diuidi uolo.* — Ceterum ablativus cum praepositione, praecipue *de*, coniunctus pro genetivo communi non occurrit; cf. e. g. Roensch 426. 480.

[2]) Ablativus locum indicare videtur etiam in tit. 1277$_{6}$, ubi legitur *leg*(*atus*) *alma Kar*(*thagine*); contra in tit. 928$_{2}$ cum Wilmannsio supplendum est *legato a*[*lma*]*e Karth*[*aginis*].

Praeterea, non secus atque alibi, hoc amplius *e. g.* $\overline{1323}_{10}$ || eo amplius 811_{6}.
quam *post comparativum positum non invenitur.*

b) *Ablativus qualitatis* (*Draeger I² 541 sq.*; *cf.* § 34 a)):
praedic. uita multis laudibus (*sc. fuit*) $646(n)_{11}$.
attrib. iu[uenis] —, uerecundia incomparabili 726_{3} || iuuenis — quiescit, conditori [per]grato spiritu $646(n)_{13}$ || uir armis, ingenio et animo maximo 1540^{*}_{2-4} || magnis moribus femina 1557^{*}_{3}.
equo publico $\overline{937}_{3}$. $\overline{1576}_{5}$. $\overline{1827}_{4}$.
manib(us) hic [pl]acidis Pass[ie]na — quiescit $412(c)_{1}$ || Caledius — peregi annos, ingenio non humili 724_{4}.
Caecilius — frugalissimus pater, laudabilis sectae homo, integritate, innocentia, fide, uixit — 1288_{2-9} (*an abl. modi?*) —

Ablativus modi (*Draeger I² 535 sqq.*):
curta ueste, Thalia, ueni $1523b(c)_{2}$; *Draeger I² 539.*
simplici animo uiuens $647(n)_{9}$ || uixit iudicio, senuit merito? $591_{4-5}(c)$; *de* obit exemplo 591_{6} (c) *v.* § 32 c).
qui pectore sancto — dedit $213(c)_{3}$ || pubertatis initia iuuenili corde edidit $646(n)_{6}$ || iteratis lacrimis fecit 770b.
diploma circaui — regione(m) $1027(c)_{6}$, *ubi exspectaveris* cum diploma[1]) (*similia fere Draeger I² 538*) (cum *praepositionem desideramus etiam in* templum ornamentis suis — fecit 1441; — *contra e. g.* porticum cum arcu suo *etc.* $\overline{608}_{4}$). —

Ablativus relationis (*Draeger I² 542 sq.*):
E. g. numero *constanter per notam* n *scriptum* (*novies*).
Varius, cognomine Frontonianus $434(c)_{1}$.
[pul]chrior morib(us) $1069(c)_{2}$ || ingenio ualidus $646(n)_{9}$.
foratus luminibus multis $212(c)_{86-87}$ || pr[ae]dicata reb(us) cunctis $1542(n)_{3}$.

c) *Ablativus temporis* (*Draeger I² 527 sqq.*):

---

[1]) Quamquam Theodorus Mommsen quidem in Herm. I p. 344 unum verbum compositum praefert *diplomacircaui.* — Cf. § 16 b) (pag. 102).

1) *De* kl. Ianuarias *etc. v.* § 31; *recte e. g.* ea die 1548 18 || die natali 262 12. 924 12 || die dedicationis 937 8. 1548 9.

ludos scaenicos biduo exhibu[erunt] 867 7 || ludi triduo edantur 967 4 || triduo ludos — dedit 1574 6.

epulum per tridu(u)m dedit nec non — ludos — exibuit 828 14 || [— per t]riduum 100 6. —

suo tempore 647(n) 4. 682(n) 10 || tempore toto 212(c) 67.

ut in (= *intra*) exiguo tempore multis annis uixerit 646(n) 8 || in paruo tempore uita multis laudibus (*sc. fuit*) 646(n) 11.

in anisXIV, quibus datum est, ut [si]miter uiuerent 682(n) 12 || *cf.* in annis triginta, quibus datum est 647(n) 5.

in annis uiginti duobus — aetatem reddidit 646(n) 3 || in annis triginta — sat probe — uixit 647(n) 5 || *similiter* 682(n) 12.

in paruulis annis exhibenti 14* 5.

long(o) umquam — in ebo (= aeuo) 684†b(c) 4.

III nonas Maias ind(ictione) prima 453† 9—10; — *sed* kl. Ianuarias indictioni[s] V 57† 5; *ceteris locis indictio per notam scripta est.*

[q]u[i]nt. Idus Martias Vrsi et Pollemi consulatus 796 4.

2) uiuere (*cf. Draeger I² 534 fin.*) *plerumque in titulis nostris coniungitur cum ablativo annorum,*[1]) *per quorum spatium vita alicuius extenditur, perraro cum accusativo; attamen, si non solum numerus annorum, sed etiam mensium vel dierum vel mensium et dierum refertur, casus accusativus et ablativus saepe prorsus permiscentur.*

Etenim has habes constructiones:

uixit anno *vel* annis *ducenties quadragies in iis titulis, quos nulla nota significare soleo; octogies in titulis*

---

[1]) Cf. Corssen, Krit. Beitr. z. lat. Formenl. p. 488.

nota insignibus; terdecies †, bis †*; in summa igitur trecenties tricies quinquies.*

Accedunt hi tituli:

127*₄ *ex diversis titulis conflatus:* anni[s] || 128₉, *de quo loco cf. supra* § 12 e) || 162₁.₄: ans = an[i]s || 456† *et* 671†₄: anns = ann[i]s; *cf. supra pag.* 21 || 174: u[ix(it) a]nni[s] || 254: [an]ni[s] || 636: uix(it) an(n)i(s) || 751₄: [an]nis.

682(n)₁₂: in anis XIV, quibus datum est, ut [si- *vel* co-] miter uiuerent || *similiter* 647(n)₅ || 218(c)a*₁: quantis uita[m d]eduxerit annis.

Adde militauit L ann*is* 217*₁.

Contra uixit ann*os permulto rarius scribitur:* 281. 370 (anno[s]). 520₃. — 1137*₃. 1213*₃. 1540*₁₁ (*?? traditur* uixit que iaetos duos || bicxit menses 57†₄.

Iam hic afferre liceat exempla, in quibus numerum annorum accusativo expressum sequitur numerus mensium. Constructio servatur in tit. 1105†, *in quo omnia evanuerunt praeter signum christianum et* annos VII menses IIII. *Per notam scriptos exhibet menses tit.* 56†*₄₋₅: annos IIII, mns. II; *per notam menses et dies scriptos tit.* 738: anno(s) XVI, m. VII, d. XV || — [uixit .... men]ses II, h(oras) VII 1764 || an. (*per notam*) XVII, men(ses) duo (*an* men(sibus) duo(bus)*?*), d. (*per notam*) XIV 436₅₋₆. —

Iam referam de variis constructionis rationibus eorum titulorum, in quibus numerus annorum ablativo exprimitur adduntur que menses et dies.

uixit annis; *menses et dies per notam scripti sequuntur: tricies.*

menses ablativo adduntur octies; inter quos titulos memoria dignus est 656; *etenim in eodem cippo scribitur etiam* uixit ann*is* I (*sic*), m. XI, di*es* XXIII; *accedunt duo tituli, in quibus dies per notam adduntur:* 760₇₋₈ (m(ense) unu, d(iebus) XXI; *cf. pag.* 91 *adn.*[4]). 1287₅₋₇.

ann*is* —, mens*ibus* —, die*bus* 492₂₋₄. 679. 1761₃₋₅. — 1040*₄₋₆. 1377*₄₋₆.

uix(it) mens*ibus* 485₂.

ann. (*per notam*) —, mens*ibus* 332$_{3-4}$. 1176*$_{4-5}$ || ann[is]—, mensi[bus] 1375$_{6-7}$ || ann. (*per notam*) XXVIII, mens*e* uno, die*bus* 410$_{6-8}$.

ann*is* —, m. (*per notam*)—, die*bus* 353$_{3-4}$. 1600$_{7-8}$. — 1383*$_{4-6}$ || (*anni per notam*), die*bus* 267$_{7-8}$. 367$_{3-4}$ || (*anni et menses per notam*), die*bus* 323$_{4-6}$. 376$_{3-4}$ || *in tit.* 1071$_{1}$ *nihil iam restat nisi* dieb. || *in tit.* 1068$_{4-5}$ an [....] diebus.

Contra permiscentur casus in his titulis:

ann*is* XXX, mens*e* unu (*cf. pag.* 91 *adn.* [4]), die*s* XXIIII 670†.

ann*is* —, mens*es* 299$_{4-5}$. 483$_{4-5}$. 759$_{7-8}$. — 684†c. 748†$_{4-5}$.

ann*is* —, mens*es* —, die*s* 526. 1066$_{5-6}$ || ann*is* I (*sic*), m(ens—) XI, die*s* 656$_{9-10}$ || ann*is* XIIII, me[...] I, die*s* 468$_{3-5}$.

ann*is* —, die*s* 441. 468$_{3-5}$. 1451$_{6-7}$.

ann*is* — X, mes. X, (h)or*as* 672†.[1])

d) *Ablativum instrumenti* (*Draeger I² 547*) *habes e. g. in:*

moribus et ingenio clarus 726$_{4}$ || thymbraeo nectare dulcis 212(c)$_{98}$ || ingenio —, quo gratus — fui 724$_{4}$ || omni simplicitate iucundus 726$_{5}$ || medica nobilis arte 241(c)$_{2-3}$ || pictas — exemplo iam plena nouo 212(c)$_{11}$ (*non abl. copiae*).

febre crematus 241(c)$_{10}$ || cernitur — titulis — suis 213(c)$_{18}$ || amore ductus 868(n)$_{4}$; nimio qui ducitur auro 212(c)$_{21}$ || mollitae ductus — stamine cerae 212(c)$_{45}$ || momentis damnata suis 212(c)$_{33}$ || misso honesta missione 853*$_{4-5}$ || nominibus signantur limina 213(c)$_{17}$.

perspicuis aperit — aequora fla(m)mis 212(c)$_{86}$ || [an]im[u]m (?) pudore solo comitabatur suo 647(n)$_{13}$ || haec — uano sermone ferentes 212(c)$_{62}$ || laedunt gentes uario certamine rerum 212(c)$_{27}$, *unde pergit poeta primum quidem* Graecia cum pueris, *tum vero* Hispania Pallados usu *et hoc modo per meros ablativos cetera; vide* § 38 b) || moribus se ornabat suis 647(n)$_{12}$; aedem — statua — et thorace

[1]) Cf. *anno* — *meses* C. II 3974; in C. V *annis* — *dies* 7383 et similia saepius.

— ornauerunt 993*; uitam — exornauit gloria 646(n)7 || canibus prendi lepores 1027(c)7 || quam alto — signauit honore 212(c)11—12.

Idali*a* lasciuiat — uirg*a* 1523b(c)3 || facili — obliuione perire 434(c)8; *de* obiit morte *v. pag.* 66 *adn.* [2] || omni placitura fauore 212(c)9; nitore placentes 212(c)25 || praefulget rerum — emeatu 1584(c)2 || superesse (= *antecellere*) — perpetua nouitate 212(c)41—42 || scriptis per aeuom [u]iuere nominibus 212(c)58—59.

Fortasse per abl. instrum. interpretanda sunt verba, de quibus v. § 40 *s. v.* latus: la[te]*ribus* Germaniae meruit *etc.* 702 2—3. —

Ablativus copiae et inopiae:

plenus laetitia 79(n)*6 || uerecundia plena 152(c)1 || plena labore 212(c)73; — *genetivus, qui a* plenus *pendeat, alibi magis usitatus* (*Draeger I² 559*), *nusquam in titulis nostris occurrit.*

oculos animumque — kara — saturare figura 434(c)4—5 *Draeger I² 558.*

luce priuata (*nominat.*) 152(c)7; *Draeger I² 560.* —

Ablativus pretii (*cf. Draeger I² 567 sq., qui talem quidem constructionem, qualis 212(c) 22 exstat, non affert*):

argenti uenalis sanguin*e* candor 212(c)22.

peregrinas quaerere magn*o* quae didicit uestes 212(c)24—25.[1])—

Ablativus mensurae:

hominem — metiri breuitate sua 212(c)34—35; *Draeger I² 564.*

e) *Addo exempla, quae ablativum vario modo et usurpatum et a grammaticis nominatum exhibent tum pendentem a praepositione tum praepositione destitutum:*

in marmore clusa 152(c)7;

Draeger I² 551.

in eo — semet — concluderet 647(n)4. 682(n) 10—11; *Draeger l. l.*

---

[1]) Poeta pergit *gemmasque nitore placentes*; fieri posse fateor, ut *magno nitore* voces coniungendae sint; sed, etsi poeta noster in verbis collocandis satis audax est, tale quid ei attribuere dubito.

hoc — conditus — humo 684†b (c)$_{4-6}$; *Draeger* I^2 *551.*

pectore contegitur 434(c)$_{7}$.

mergat et Elysiis mortalia corpora terris 212(c)$_{3}$ || taetra ac deformi caligine mersos 1412a—e(c); *Draeger* I^2 *552.*

qui in deo confidit 1247†; *Draeger* I^2 *557;* fidelis in d(e)o? 57†$_{3}$.

parsimonio fulta (*cf. Draeger* I^2 *555 sq.*) 152(c)$_{2}$.

(re)quiescere, uiuere *etc.* in pace *passim* †.

perpetua quiescit requie 646(n)$_{13}$. —

bonis natalibus nata 870$_{2-3}$.

diuina stirpe progeni[t]o 12*$_{1}$ (*Imp.*) || generosa familia progenitus 897*$_{5}$.

fortuna ima satus (= *infelicissimus*) 1359(c)*$_{19-20}$; *Draeger* I^2 *518.* —

in dextera cell*is* exeuntibus 828$_{4}$; *Draeger* I^2 *513.*

numquam discedes meo(*sc. animo*) 1557(c)*$_{8-9}$.

ut — uita excederet 1542(n)$_{11}$; *Draeger* I^2 *512 sq.*

primo decurrere filo 212(c)$_{70}$.

detrahe serta comis 1523b(c)$_{1}$; *Draeger* I^2 *509.* —

flamen perpetuus factus ex conse(n)su uniuersae ciuitatis 698$_{5-6}$ || ex consensu decurionum — patronus factus 1548$_{4}$ || ex con-

sensu et fauore patronum expostulassent 1548$_{14}$.

consilio ad(que) decreto ord(inis) 27$_{13}$.

ex decreto paganor(um) 885$_{10}$.

decreto decurionum *passim*.

ex indulgentia principis 51$_{2}$.

(perfectam — per instantiam Macrini — dedicauit 608$_{5}$).

[i]nstantia sua dedicauit 969$_{13}$ || et instantia [?] 1340.

instinctu Mercurii 51$_{7}$.

ex more 1296$_{4}$.

felicis saeculi prouidentia 51$_{7}$ || quorum uirtute ac prouidentia omnia — reformantur 608$_{3-4}$.

ex rescri[pto?] 1127$_{2}$.

signifer factus ex suffragio leg(ionis) 217*$_{3}$.

populi su(f)fragio et decreto ordinis 14*$_{8}$ || iustis suffragiis ac decreto 758$_{1}$.

suffragio decreuit 858$_{6}$.

ex t(estamento) [f(acere) debuit?] 1463$_{2}$ || ex testamento suo ab heredibus suis praestari uoluit 1502 a*—b || ex testamento —? 1553*.

testamento C. M[—] Felicis — arcus [factus est] 937$_{1-5}$.

quae testamento rei publ. dedit 924$_{3}$ || testamento suo — reliquit 974$_{4}$ || quod — testamento suo fieri iussit 1574$_{3}$.

ex uisu — fecit 1629$_{2}$.

ex uoto d. d. 957 a*?

pro uoto totius prouinciae executus est 27$_{7}$.

uoto omnium [c]iuiu[m] perfecit 828$_{12}$ || uoto (*sc. suo*) s. p. f. 1328$_{5}$ || uoto [restituit] 939*. —

annonam frumenti de sua pecunia leuauit 1648$_{6}$.

pecunia publica, sua pecunia, sumptu proprio *etc. passim*.

sua impensa — perduxit 11*$_{4-5}$.

de suo *e. g.* 840*$_{6}$. 895*$_{10}$ (su[o]).

ex *nummis tot* fecit, posuit *etc. passim*. —

cf. Laurentium uico Augustanorum $\overline{1439}_{9}$.

ciuitas Gurzensis ex Africa $\overline{69}_{2}$ (*a. 65*) || Gurzensi[s] (*acc.*) ex Africa $\overline{69}_{10}$.

f) *Verborum nonnullorum, quae cum praepositionibus coniunguntur, constructiones excerpsi has:*

hoc peto a te $1523b(c)_{15}$.

cum — statuam poni — ab ordine postulasset $\overline{714}_{6-7}$.

a me non disces $218(c)a^{*}_{2}$. —

in quorum editione erogari uoluit $\overline{967}_{5}$ (= *per occasionem editionis?*); *similiter iudicari possit de* in compensatione missiliorum — fecerunt $\overline{895}^{*}_{7}$; *sed potius transcribendum erit* in editione(m), in compensatione(m); — *contra* $\overline{937}_{5-8}$: ad cuius ornamenta — erogauerunt.

ponere *recte cum* in *c. abl.* (*Draeger I² 658 sq.*):

poni in foro $\overline{714}_{5}$ || in foro posuit $\overline{1413}d_{5}$ || in curia posuit $\overline{1548}_{8}$; — ponere *vel simile verbum cum* in *cum acc. nusquam.*

g) *Ablativus absolutus:*

In adhibenda constructione quae vocatur ablativi absoluti saepe neglegitur grammaticae regula, qua, ut vox, quae ad subiectum totius enuntiati pertineat, in constructione ipsa vitetur, praecipitur (cf. Draeger II 779 sqq.); qua ratione imprimis pronomen reflexivum falso inseritur. En haec exempla:

me uiuo — feci 870_{17} || *abl. absol. videtur esse etiam* L. Iulius — mihi — et uxori utrisque nob*is* uiu*is* — institui 1523a; — *contra recte* uiuus mihi posterisque meis fec[i] 686* || uiuos (*nom.*) ut hoc facerem $1523b(c)_{14}$ || *cf.* uiuo tibi pone sepulcrhum $1027(c)_{10}$.

L. Octauius — Octauiae — [et] suis se uiuo 1053 || se uiuo f(ecit) 162_{5} || ipse sibi se uiuo posuit 388_{5} || Catilius se uibum fecisse (*sic*) 292 || eadem se ualente sibi et suis parauit 810_{4-5}; — *contra* m(onumentum?) u(iuus) f(ecit);

u(iuus)·f(ecit) 132 2—3 || sibi et —[1] uxori suae, cum aduiueret, tumulum curauit 500* 3—5.[1])

curauerunt eo amplius solo a se comparato 811 6 || numerata prius a se — summa honoraria posuit 858 8—9 || multiplicata a se pecunia 926. 1501a (*praeter haec nullae fere litterae restant in utriusque tituli frustulo*); — *contra recte e. g.* ampliata pecunia 1401 11—12. 1548 17.

Cf. 895* 4—9: Q. Caluius — sumptu suo et T. Aeli fecerunt dedicante Q. Caluio.

Cf. § 31.

C. De syntaxi verbi.

§ 36. De usu temporum.

a) *Praesens — Futurum* (*Draeger I² 286 sqq.*):

Legi autem deb*ebunt* 1641b 10; — *contra v.* 16 curari autem oport*et*.

nec pot*erit* — perire; set dum (= donec) [b]usta manet, toto est in corde maritus 434(c) 8—9.

securus eris, — dum — potes nec — fac*is*, — dum non tim*et* heres 212(c) 72—74; *cf. Draeger II 578.*

b) *Praesens — Praeteritum:*

Recte dum *cum praes.* (*Draeger II 576 sq.*) *in:*

dum sum Vitalis et uiuo, ego feci 1027(c) 4; *in eodem titulo* 1027(c) 5 *legimus:* meos uersus, dum transse*o* (*sic*), perlego et ipse; *cf. Draeger II 577 sq.* || dedit —, dum munera — cre*at*, — cup*it*, — exorn*at* 212(c) 51—53 || dum tempore toto mau*olt* 212(c) 57—58 || dum cad*is* —, non diximus 213(c) 12.

Iulius hoc feci, Mellitus qui uoc*or* olim 1523b(c) 5.

dedic*at*, — loc*at*, lacrimis pausam cred*idit* 251(c) 1—4.

heredes fec*erunt*, dedic*ant* 191; — *alibi constanter e. g.* per*fecit* adq(ue) dedic*auit* 828 13.

haud inepte feci, quia sum moriturus 1027(c) 9.

c) templum, quod C. Iulius — fieri iuss*it*, L. Iulius — adiec-

---

[1]) *Se uiuo* etc. legitur etiam in C. II, ubi sexies occurrit, item in C. III; ex C. V decem exempla index affert. — Cf. Roensch 419.

tis —, quae professus est, HS *etc.* — curauit 1574 3—5; — *contra e. g.* aedem, quam Cassia — uou*erat,* Sextili — ornauerunt 993* || Annius — statuam, quam — pater — promis*erat,* — posuit 1401 || ex HS V n., quae — promis*erat,* — dedicauit 1577 2 || [praeter —, quod] — promis*erat,* — dedit 754 5 || Parcae quos tribuer[a]nt,[1]) — peregi annos 724 2; *Draeger I² 258 sq.*

uiuere debu*eras,* annis fere centu(m) lic*ebat* 403(c) 7—8; *Draeger I² 301.*

ne dubium — uereretur, quis — fuisset conditus 684†b(c) 2—5; *Draeger I² 276 sqq.; Roensch 431.*

d) *De consecutione temporum quas grammatici statuerunt, regulis obstant e. g.:*

me pos*ui* —, ut sit — condita fama loci 1523b(c) 8; *Draeger I² 265.*

ut — excol*erem* titulosq(ue) relinqu*am,* — ut — fac*erem,* fata ded*ere* 1523b(c) 13—14; — *contra prorsus recte e. g.* datum est, ut uiuerent 682(n) 12—13; *Draeger I² 264.*

Recte in sententia consecutiva (*Draeger I² 265 sqq.*)*:*

exorna*uit* —, sic namque ut — multis annis uix*erit* 646(n) 7—8 || sic — creu*isse,* ut et angulus — quasi — ductus sit 212(c) 44—45.

§ 37. De modis et verbi formis nominalibus.

a) *De coniunctivo.*

Coniunctivis finalis:

dico sepulcrum, quod sit tibi idem et mihi 1557(c)* 10 || HS — pollicita est, ex quorum reditu — da*rentur* 1495* 7—9; *Draeger II 500 sq.; — contra indic. praes. habes in:* — qui — obtulerit, ex cuius quantitatis usuris — dantur 262 10—14.

ut *finale* (*Draeger II 657 sq.*) *e. g.:*

curari — oportet, ut in locum — substituatur 1641b 16—18; *cf. Draeger II 256* || uestrae fidei committo, — ut — alantur pueri 1641b 18—19; — dare, ut *v. sub* b).

[1]) Sic legendum videtur pro coniunctivo prorsus inepto *tribuerent,* qui incisus est; cf. *in annis —, quos Parcae praefinierant 646(n) 8.*

ut — peruenirem, — uici 79(n)* || hanc — struem dicauit, — ut haberet 647(n)$_{2}$. 682(n)$_{7-8}$ || tribuit —, ut — ha[b]itarent 682(n)$_{3-5}$ || curari — oportet, ut — substituatur, ut — plenus numerus alatur 1641 b$_{18-19}$. —

Coniunctivus optativus (*Draeger I*^{2} *310 sqq.*):

ita tibi contingat, quod uis, ut — non uioles 1070$_{4-5}$(c) || titulu[s ti]bi — dicat 218(c)a$_{2}$ || permittant mihi fata 212(c)$_{54}$ || non — lasciuiat —, nec fluat *etc.* 1523 b(c)$_{3-4}$; *de* non, nec *v. Draeger I*^{2} *312 sqq.*

Viderit — 212(c)$_{21.23}$.

Miscetur cum imperativis in uade, uale sisque beatus 440(c)$_{20}$ (*sic Renier 3229; Wilmanns* [si]sque [beatus]); — *contra imper. solus:* quaiso, abi, ne (*cf. Draeger I*^{2} *328*) uio[l]a 1042(c)*$_{6}$. —

non timet, — ut sic aedificet 212(c)$_{74-75}$; *Draeger I. 253.* — ut *omittitur in:*

opto, Secunde, ger*as* — et — leg*as* 213(c)$_{19-20}$; *Draeger II 281* || hoc peto —, mane*ant* ossa quieta 1523 b(c)$_{15-16}$ (maneant *corr. quadratarius ex* manibus ut iaceant); *Draeger II 282;* — cupere, ut *v. sub* b).

Coniunctivus potentialis (*Draeger I*^{2} *305 sqq.*):

nunc ego non dubit*em* 212(c)$_{38}$; *verumtamen in enuntiato condicionali cum eodem conexo ind.:* non dubitem —, si — man*ent* sensus, gaudere parentem 212(c)$_{39}$ || forsitan — multi — dic*ant* 212(c)$_{62-63}$.

In interrogationibus:

quis non — adsit, quis non — miretur — stupeat —? 212(c)$_{13-15}$.

In enuntiatis hypotheticis:

dicant praesagia mortis, si quis — pon*at* 212(c)$_{64}$.

si quis — respici*at* — labor*et*, credere discet 212(c)$_{33-35}$; *Draeger II 690 sq.*

si iungere — forte uel*int*, — uincuntur 212(c)$_{79-80}$ || si uide*as* campos, infra iacet — tellus 212(c)$_{81}$; *Draeger II 688 sqq.*

si — uocem ded*isset*, coger*et* 213(c)$_{15-16}$; *Draeger II 692.* —

Coniunctivus consecutivus (*Draeger II 501 sqq.*):

fuit et pudicitia, quam — nec fuisse dic*am* nec esse con-

tend*am* 403$_{10-13}$; || imago, per quam — homines — longior excipiat memoratio multaq(ue) seruet 212(c)$_{5-7}$ || nil aliut melius fieri nisi — quot possit durare 212(c)$_{36-37}$; — *contra indicativum* (*futuri*) *habes in* incolae, dumtaxat incolae, qui — mor*abuntur* $\overline{1641}$ b$_{11-13}$.

hortatur currere — et componere — , ut semper domus — sudet 212(c)$_{89-90}$. *Cf.* § 36 d) *sub finem.* —

Coniunctivus causalis (*Draeger II 506 sqq.*)*:*

ordo — P. Magnio —, qu[i] obtulerit $\overline{262}_{10}$ || *probabiliter item* qui — contulerit $\overline{1828}_{8}$. —

Ex licet *coniunctivus pendet in tit.* 212(c)$_{47}$: licet a[d]siduo probet — uaga turba; *Draeger II 280. 395;* — *coniunctionem* licet *habes in* sint licet — fugientia tempora 212(c)$_{1}$.

Coniunctivum propter sententiam obliquam habes $\overline{1548}_{11-15}$: cumq(ue) propter — merita, quae — exhibu*isset*, — expostulassent; *Draeger II 416.* —

Coniunctivus semel neglegitur in interrogatione obliqua (*Draeger II 433 sqq., imprimis 447 sq.; Roensch 428 sq.*)*:*

aspice, — [q]u[am —] — intul*it* 218(c)a*$_{5-6}$; — *contra ibidem v.* 1 *concinnius* scis, quantis uita[m d]edux*erit* annis.

b) *De infinitivo.*

Infinitivus qui vocatur historicus (*Draeger I² 329 sqq.*) *exstat in tit.* 152(c)$_{6}$, *ubi plura membra in descriptione coniunguntur, non secus atque vulgo fit in infinitivo historico adhibendo:* illa domum seru*are* meam, illa et consilio iuu*are*. —

Bene: cupiens — respond*ere* $\overline{27}_{10-12}$ || cupit compon*ere* 212(c)$_{52}$; — *sed* nihil potius cupiens quam ut sua gauderet domus 647(n)$_{7}$; *Draeger II 249. 298.*

hortatur curr*ere* blandas intus apes et — compon*ere* — 212(c)$_{87}$; *Draeger II 311.*

permittant mihi fata loqu*i* 212(c)$_{54}$; — *contra* quibus datum est, ut — uiuerent 682(n)$_{12}$ || ut — excolerem *etc.*, fata dedere 1523b(c)$_{13-14}$; *Draeger II 244. 246. 318.*

me — cogis — ad*ire* uias 213(c)$_{5-6}$ || cogeret — surg*ere* — deos 213(c)$_{16}$; *Draeger II 317.*

laboret met*iri* 212(c)34—35; *Draeger II 255. 300.* —
immortales scit hab*ere* pecunia mores 212(c)19; *Draeger II 295.*
quaer*ere* didicit 212(c)24—25 || cred*ere* discet 212(c)35 || discite — sanc*ire* 1523b(c)12; *Draeger II 334.* —

quod *pro acc. cum inf. post verba dicendi et sentiendi* (*Draeger II 223 sqq.; Roensch 402*) *non occurrit; acc. cum inf. post eiusmodi verba habes e. g. in his titulis:*

credere — nil aliut — fieri 212(c)35—36 || puto securos fieri, quicumque — 212(c)66 || sciat — faciem superesse —, stare — consensus —, — creuisse gradus 212(c)41—44; — *contra* crede mihi, pensatos ibis in annos 212(c)21; hoc solum nostrae, puto, defuit arti 213(c)11; altior extrema qui, puto, nube uolat 213(c)14; *cf. fere Draeger II 413.*

non dubitem — gaudere parentem 212(c)38—39; *Draeger II 370 sq.*

stupeat tantos se cernere census 212(c)15 || lucentes stupeat pariter pendere columnas 212(c)48; *Draeger II 374.*[1]) —

erogari uoluit (denarios) *etc.* 967 5—6 || *itemque* n. HS diuidi uolo 967 6—7 || [*subiectum infinitivi intercidit*] — praestari uoluit 1502b; — *contra e. g.* quicumque parare aeternam uoluere domum 212(c)66—67 || dare uolo HS *etc.* 1641b2; *Draeger II 297. 380.*

statuam sibi poni — et — (denarios) *etc.* — praestari iussit 924 6—13 || templum, quod — fieri iussit 1574 3; *Draeger II 235 sq. 313. 387.*

statuam poni — postulasset 714 4—7; *Draeger II 238. 389.*

cum ordo — statuam p. p. fieri decreuisset 1224 6—7; *Draeger II 240. 303. 385.*[2])

quos — optimum erit — legi 1641b13—15; *cf. Draeger II 399, qui hoc loco exempla accusativi cum inf. ad* melius est *positi affert; de* optimum est, ut *cf. l. l. 270.*

---

[1]) Draeger igitur l. l. non prorsus recte ait: „Bei *stupere* kommt kein Infinitivsatz vor".

[2]) Draeger p. 385 dicit uerbum decernendi cum accus. c. inf. non coniungi, nisi valeat „eine entscheidende Meinung aussprechen", quam sententiam ad locum nostrum quadrare nego.

curari — oportet, ut — 1641 b15—16 (*sic enim Wilmanns; Guérin* curare); *Draeger II 339. 395.* —

Fere more Graeco in tit. 870 18—19 *dicitur*

memoriam feci omnibus esse perennem = *quam volo esse perennem, vel = ut esset perennis.* [1]) —

Prorsus inepte Catilius se uibum fecisse; uix(it) *etc.* 292. —

Nomin. cum infinitivo:

Non sic — exire Colossos — dicitur 212(c) 82—83; *Draeger II 423.*

c) *Gerundii et Gerundivi*

exempla nonnulla iam in § 33 a) *attuli; addo saepe talia occurrere, qualia e. g. sunt* ad tuendam rempublic(am) suam — patronus factus 1548 3 *et similia.* —

[quod —] — distribuendum promiserat 754 5. [2])

faciendum curauit *etc. passim; Draeger II 794.* —

gen.: spes uiuendi 152 (c) 5; *Draeger II 795 sq.*

dat. e. g.: curioni sacris faciendis 1174* 5.

abl. (*Draeger II 811 sqq.*)*:* annos LXXX certando uici 79(n)* 7—9 || fusasq(ue) uidendo diuitias stupeat (uidendo *igitur pro participio praesentis* — uidens — *usurpatum est; cf. Draeger II 814*) 212 (c) 14—15 || uidendo — integrat 251 (c) 5—6 || exempla — bene uiuendo dedit 646(n) 5. —

Supini formam deprehendi nullam.

D. De compositione et structura verborum,

cum in eiusmodi exemplis afferendis fere omnia, quae in titulis leguntur, verba exscribere opus sit, quod fieri, priusquam inscriptiones, quas perscrutatus sum, publici iuris factae sint, vix licet, nunc perpauca proferam.

---

[1]) Cf. Roensch 447. — Noli de ea notione verbi faciendi cum acc. c. inf. interdum coniuncti, cuius Draeger II 393 exempla affert, cogitare, cum, cui fecerit, addatur in titulo.

[2]) Fortasse haec locutio componenda est cum exemplis, quae Roensch 433 sq. congessit.

§ 38. De verborum collocatione.

a) *Pronomen relativum*[1]) *a substantivo suo longo spatio diremptum est e. g. in:*

Asiciae — c(iues) Thuggenses ob — liberalitatem eius in remp., quae — pollicita est, — posuer(unt) 1495*.

uixit annis — *saepe tamquam per parenthesin inseritur; e. g. in his titulis:*

Iulio Casto —; uixit annis XVII; — parentes 1643 || Domitiae Rogatae; uixit —; M. Iulius — uxori — fecit 19* || Caesetiae —, quae idem h. s. e.; uixit —; cuius ossa *etc.* 1039$_{2-4}$; — *contra* quod L. Volusio —, qui uixit —, L. Vol[usius] — fecit 617$_{2}$.

Addere hoc loco liceat vulgo verba sic collocari: „uixit annis *tot*“, *semel vero* LXXXVIII u. a. 569, *ubi accedit, quod numeri nota inversa scripta est; cf. etiam* annis LXXXV uixit iudicio, senuit *etc.* 591$_{3-6}$(c). —

Coniunctiones suo loco exstare solent; moneo tantum namque, *de qua cf. Draeger II 158 sqq., alteram sedem occupare in tit.* 646(n)$_{8}$: exornauit —, sic namque, ut —. *Addo ex carminibus* 212 *et* 213:

mergat et Elysiis *etc.* 212(c)$_{3}$ || gaudere, reliquas et spernere turmas 212(c)$_{40}$ || cernitur et titulis *etc.* 213(c)$_{18}$.

sint licet 212(c)$_{1}$.

b) *Per chiasmum quem vocant verba collocantur e. g. in his titulis:*

populi su(f)fragio et decreto ordinis 14*$_{7-8}$ || felicis saeculi prouidentia et instinctu Mercurii 51$_{6-8}$.

liberalitates in rem pub. et ciues amorem 980$_{5-7}$.

Cupito patri, matri Venustae meae 1523b(c)$_{6}$.

priuato solo suo suis sumtibus 609a.

---

[1]) Errori quadratarii tribuendum suspicor esse illud: *M. Munatius M. f., qui Labrax uix(it)* pro *M. f. Labrax, qui 1740; qui Labrax* litterae unum explent versum.

initium uitis uitae fuit finis 702 4, *ubi accedit duplex allitteratio*[1]) *u*itis *u*itae, *f*uit *f*inis.
uiximus ad satiem, pietatem impleuimus 1523b(c)9.
uenatu Libyae tellus, orientis amomo; Aegyptos — leuitatibus, artibus — Gallia, — Campania uino 212(c)29—31.
Contra e. g. Graecia cum pueris, Hispania Pallados usu 212(c)28 || uixit iudicio, senuit merito, obit exemplo 591 4—6(c)[2]) || puer ingenio ualidus, pubes pudicus, iuuenis orator fuit 646(n)9 || uxor casta, mater pia 870 4—5 || in uirum religiosa, in se pudica, in familia mater fuit 647(n)10.

§ 39. De stili proprietatibus quibusdam.

a) *Subiectum male commutatur in*
erogari uolu*it* — et diuidi uol*o* 967 5—7, *ubi de eodem uidetur homine agi.* —
Nomen proprium coniungitur cum verbi prima persona in:
Q. Aueius dolens feci 336* || P(escennius) Marcellus — memoriam feci 870 14—18 || Iulius hoc feci 1523b(c)5 || L. Iulius institui 1523a || P. Caledius — peregi annos 724 2—3 || Assidonius Caluus domino meo — posui 333 5—8 || Q. Iulius —, ut — peruenirem, annos — uici 79*(n); *cf. carmina* 152(c). 1027(c). 79(n)* *et tit.* 724. *Cf. fere Draeger I² 66 sq.*
Excerpsimus praeterea e. g.:
faciundum curauerunt eo amplius solo a se comparato 811 6.
M. Iul. — Maximo —, cui cum ordo — decreuisset, Q. Agrius — auonculo suo magno — fecit 1224.
arcus, — ad cuius ornamenta — erogauerunt et — epulum et gymnasium — dederunt 937 5—10.
statuam —, cum — promisisset, ampliata pec(unia) — p(osuit) 1548 16—17; *contra* statuam, quam — pater — promiserat, ampliata pecunia posuit. —

---

[1]) Cf. e. g. *uade, uale 440(c)20*; *[Pr]imula prima fuit 1465(c)2.*
[2]) Hexametrum, quem appetebat is, qui titulum composuit, in quinto pede prorsus lapsus non adsecutus est; sequi videtur alter hexameter, qui ab verbis Vergilianis incipit [*hic*] *pietatis honos;* cf. pag. 10 adn. [1] et pag. 145 adn. [1].

administrante — Gabinio — proc(onsule) —, Coelius — dedicauit administrante Publiano 969.

b) *De ellipsi* (*cf. Draeger* I² *485 et 195 sqq.*).

Supplendum videtur:

filius: Sempronius Quartus Iafis (*vel* Tafis) 69$_{17}$ || Emilius Euasius Fusciani 158$_{5}$ || Donatianus Dalecis 180 || Saturninus Rufi Fausti 1065$_{4}$ (*an* libertus?) || Guddem Saturi Pardali 1266*$_{3}$, *ut quidem videtur* || C. Lurius Argolicus Vabocutieni 1374$_{4}$.

uxor: Fl. Donatilla Qu[i]ntiani 139$_{3}$, *ubi v.* 4 *post annos, quibus vixit, additur* coniugi || Marcia Nusmisenis? 283 || — Saturnina L. Corneli Verris 358*$_{4}$ || — Proculae M. Munati Popiliani 626$_{7}$ || [Faustinae] Imp. Caes. T. Aeli *etc.*? 798 || Luria C. f. Posilla Victoris 1347.

sodalis: L. Pomponio — co(n)s(uli) Aureliano Antoniniano 1222$_{2}$.

sacerdos: Zozimos Iouis 1540*$_{12}$ (*tituli finis foede traditus est*)??

uia: per Salariam *etc.* 822$_{9}$.

sepulcrum: Donati fidelis in pac(e) 463†. || M. Iul(i) Maximi conditoris 653 || L. Iuli Vrba(ni), *quae litterae inversae exaratae sunt,* 1145.

annus:[1] quinq(ue) et L uixit 412(c)$_{3}$ || uix(it) III 555 || p. u. XXXIIII 1540*$_{12}$ (*tituli fine male tradito*) || uix(it) XXXX V (*sic; pro* A(nnis)?) 1687*$_{4}$.

dies: tertium muneris 241(c)$_{8}$.

milia:[2] super legitima honoris 76$_{8}$ (*sed additur v.* 9: et HS duo milia nummorum patris).

unus: duouiru(m) (unus) et 1270$_{4-5}$ || uix(it) annis XXXII, m(ense uno), d(iebus) XI 325$_{4}$ || [u]ixit annis XXX, mensibus IIII et die 679$_{4}$; — *contra e. g.* uix(it) anno uno 326$_{7}$ || uix(it) ann(is) XXVIII, mense uno, diebus XXVI 410$_{7}$. —

---

[1]) Cf. C. II 59 (carmen) 8: *uiuas pluribus.*

[2]) In tit. 1400*8: *ex IIS III* etc. certo linea *milia* notans super numeri nota ab auctore describente omissa est.

verbum substantivum:

est: nulla spes 152(c)5 || h(ic) situs 371*4 || h(ic) s(itus) 13674 || h(ic) s(ita) 5366. 7726; — *contra* h. s. e. *sescenties* || nec mir(um) 434(c)10; *cf. Draeger I² 202* || hic pietatis honos 590*. 5917 ([hic] p—), *sicut apud Verg. Aen. I 253* || dedicata 826b (*sed versus qui sequitur initio mutilus est*) || locus datus a *etc.* 164310. — *De tit.* 1086†* *v.* § 40 *s. v.* locare.

sunt: ornamenta — restituta — curante *etc.* 210b || porticus — restitutae 309 (*an* restituta e(st)*?*).

fuit: Q. Iulius — h. s. e; Q. Iulius — fratri p. p.; homo bonus 381 || uita multis laudibus 646(n)11.

denique cf. sententias christianas: gloria in excelsis d(e)o (sit) et in terra pax[1]) 462† || pax dei patris[2]) 1214†.

uocabatur *vel tale quid:* Felicitas, quae et Vruria 1709, *et similiter* 1633. 3474; — *contra* Victoria, [q]ui [e]t Monna uocita[ta] e(st) 1679*6.[3]) —

hic sepultus iacet *vel* requiescat *vel simile quid e. g. in:* Gratiosus Vitalis in pace 1085†* || sanctae tres (*sequuntur nomina*) 1392*.

Id, quod in honorem memoriamve alicuius fit vel ponitur, plerumque in titulo non commemoratur; saepe etiam verba, veluti fecit, posuit, *omittuntur; cuius rei haec tantum exempla, quae enotentur, digna mihi videntur esse:*

[fil(ius)] eius Sat(urninus) (dedicauit) 1979; *verum in v.* 5 Sat(urninus) d(e)d(icauit) || Victoriae — sacrum; ciuitas Siagitana d. d. p. p. 965 || L. Octauius — Optatae [et] suis se uiuo 1053.

Victoriae Aug. — d. d. p. p.; — sufetes faciund*am* curauerunt (*sc. basim, statuam*) 79710; — *cf. contra* Marti — Q. Caluius — fecerunt (*id, quod fecerunt, non commemoratur*) —; ob cuius statu[ae] dedicationem *etc.* 895*9. —

---

[1]) Cf. Interpr. Luc. 214: *Gloria in altissimis deo et* etc.; Luc. 1938: *pax in caelo et gloria in excelsis.*

[2]) Cf. verba, ex quibus epistolae Paulinae incipere solent, e. g. ad Tit. 14: *Gratia et pax a deo patre* etc.

[3]) Cuius formulae exempla ex aliis titulis desumpta v. in Wilmannsii Ex. Inscr. Lat. II pag. 406.

Qui fecit, omitti videtur in tit. 159:
Fabia — uixit annis XVIII; fecit et dedicauit; ***si Fabia ipsa fecisset atque dedicavisset, ad exemplum ceterorum titulorum*** ipsa *vel* uiua, se uiua *exspectares.*

Syllepsin habes in tit. 403(c)$_{9-10}$:
fuit — forma certior moresque facundi (fuerunt); fuit et *etc.*; *Draeger I² 216.*

Per breviloquentiam dicitur etiam e. g.:
cum statuam ex HS III (milibus) promisisset 1400*$_{8}$ || statuam, quam — pater — ex HS II (milibus) — promiserat 1401$_{7-11}$ || statuam Fortunae, cum ex *etc.* promisisset 1548$_{17}$.

Male in *praepositio omittitur in tit.* 980$_{5-7}$:
ob insignes liberalitates in rem pub. et ciues amorem.

c) *Pleonasmum habes e. g. his locis:*
diem defunctus obiit 241(c)$_{11}$ || *de* obiit morte 702$_{1}$ *cf. id, quod dixi pag.* 66 *adn.*².
pater filium conditum texit 341$_{6-9}$ || fili patre(m) conditum texerunt 341$_{3-4}$.
fusasque uidendo diuitias stupeat tantos se cernere census 212(c)$_{14-15}$ || suis omnes partitus opes posteritati ea — relinquit 684†b(c)$_{8-10}$.
dulcis parens — et amabilis patria 758$_{9-10}$.

Anaphorae exempla haec excerpsi:
incolae, dumtaxat incolae, qui — 1641b$_{11}$.
set securus eris, set toto pectore diues 212(c)$_{72}$ || hoc tamen, hoc solum — defuit 213(c)$_{11}$ || illa — seruare —, illa et — iuuare 152(c)$_{6}$.
non sic — exire — dicitur nec sic — demonstrat 212(c)$_{82-84}$.

Saepe epitheta vel adverbia cumulantur; e. g.:
dignissimo, principali, innocentissimo puero 14*$_{2-3}$ || optima in uita .... pudicissima, femina rarissimae frugalitatis et indulgentissima matrona 134*$_{2-7}$ || uixit pia, larga, benigna 412(c)$_{3-4}$ || iu[uenis] — emendatus, uerecundia incomparabili, — clarus, — iucundus, — carus 726$_{2-6}$ || [praela]ta (*vel simile quid*) — et pr[ae]dicata —, uera,

sancta, pruden[s], fecunda subolis, opt[i]m(a?); quae quod proba erat *etc.* 1542(n).

religiose, pie casteque uix(it) 78*6—9.

Adde Arranius — filio, homini, uiro 575.

Omnino Africani nostri haud ita raro adhibent quandam in dicendo speciem et pompam, cuius exempla cum in carminibus plurima insint, enotavi haec sola:

ciuitatum statum adque ornatum liberalitate clementiae suae augenti 1179 4—6 || parentibus supra modum piissimis 500*5 || uxor carissima marito carissimo suo 499*4—5 || in perpetuum aeui seculorumq(ue) 758 11—12 || ob — bonitatem, qua in perpetuum est reseruatus 1646 10—11 || homo bonus, rebus hominibusq(ue) pernecessarius, quem quaerit patriae maximus hic populus 352 4—8 (*nota verba* quem — populus *pentametrum efficere*) || ob — religiosum consortium caritatis 827 6—7.

Iulius Mellitus poetaster sententiam „genuimus duas filias" satis insulse sic exprimit:

praestitimus subolem femineam duplicem 1523b(c)10;

contra non inscite alius quidam poeta vel potius quaedam poetria Augusti aetatis dictionem[1]) *tangit his verbis:* marmoreos uoltus statuit 434(c)4.

d) *Asyndeta habes e. g. in:*

scalas [n]oua[s], cetera restaurata 828 5—6 || statuis, marmoribus, tabulis pictis *etc.* ornata 828 6—9. — *Cf. sub* c).

annis —, mensibus —, diebus — *et similia constanter exceptis his titulis:*

annis XXX, mensibus IIII et die 679 || anis IIII et menses V 748†4—5 || an. XXXIII et m. XI, d. XV 1134*4—6.

Sicut alibi, ita in titulis nostris saepe complurium vocum per asyndeton enumeratarum ultima per coniunctionem (cf. Draeger II 3 sqq.) additur, cuiusmodi exempla enotare

[1]) Cf. Hor. carm. IV 1 19 sq.: *te — ponet marmoream*; Verg. ecl. 7 35: *te marmoreum — fecimus.* — Ex Verg. Aen. I 253: *hic pietatis honos* desumpta verba habes in titt. *590**. *591 2* ([*hic*] —), etiam in C. III 1537.

operae pretium non videtur; contra haec memoria non indigna sunt:

[si]bi, filis posteris[q]ue, libertis 919 7 || [matris — castroru]mq(ue), senatus et patriae 1429 2 || coronam muralem, uallarem, torques et phaleras 217* 11—12.

CAPVT IV.

Observationes lexilogae miscellaneae.

§ 40. De copia atque notione verborum.

Praeter alia, quae huc referri possunt, vide sis imprimis supra §§ 16, 17, 18, 25 *et* §§ 32—35, 37b), 39.

Ceterum haec, quae enotarentur, haud indigna putavi:

a, ab; *cf. supra pag.* 49; *officium designat in his dictionibus* (*cf. e. g. Draeger I² 623*): ab epistu[l(is) di]ui Antonini, ab [ep]istu[l(is)] Augustorum 1174* 7—9; procur. — a rationibus 1641 a 6; dispensat[o]ri a tributis 1028* 3.

aduiuere (*haud ita saepe; ICt., Inscr.; cf. Roensch 202*): cum aduiueret 500* 5.

aestiualis: solium (*i. e. alveus in balneo; cf. adnot. titulo subiectam*) estibalium therm[arum] 948*.

agere: monumentum agendum curauit 134* 8 || *cf. s. v.* ars.

albaris *adi.* (= *albarius; Inscr.*): opere albari 73 6. 1141. 1310 3.

alter: supra quantitatem — altera tanta — pecunia (*similiter etiam Cic., Liv.*) 972 6. 973 6.

alueus *in balneo:* [al]u[ib]us cellarum 828 8 *ex Mommseni coniectura.*[1])

amor: amorum (*poett.*) oblita tuorum 1523b(c) 1 || — habent breve munus amoris (*i. e. gratiae, si quid video, qua utuntur*) 212(c) 32.

ampliatio (= *actus aliquid amplius reddendi; Tertull.*): ad ampliationem templi 1318 3.

---

[1]) V. § 16 e) et pag. 148 adn. [1].

animus: uir armis, ingenio et animo maximo 1540*$_{3}$.

annona: annonam frumenti (frumenti *fere abundat*[1])) leuauit 1648$_{5-7}$.

apodyterium (*inde a Cicerone: locus in balneis, in quo loturi deponebant vestes*): *acc.* 828$_{3}$. 1295*$_{3}$.

ara (*de Vit I 352 2: pro urna seu cippo sepulcrali, qui aram figura refert; sic Inscr.; cf. Wilmanns, Exempla Inscrr. Lat. II p. 679*): uxori — aram posuit 952*$_{8}$ || ossa in ara monumenti sunt 1039$_{5}$.

archidiaconus (*Eccl.*): arcediaco[nu]s 58a†.

ars: *cf. s. u.* honoratus || *de* artibus actis Gallia *etc.* (=*?*) 212(c)$_{30-31}$ *cf. adnotationem titulo subiectam.*

au (*cf. de hac interiectione Handii Tursell. I p. 524 et P. Richter, De usu particularum exclamativarum apud priscos scriptores latinos, Argentorati 1874 p. 29 sqq., qui p. 34* au *non exclamari apud priscos scriptores nisi a mulieribus ostendit; discrepat igitur locus noster, quo vir loquitur, ab usu prisco*): au miseram Carthago mihi eripuit sociam 152(c)$_{4}$ (*scl. II—III*).

Auernus *cf. s. v.* dominator.

auunculus (*cf. supra pag.* 23): auonculo suo magno (= *fratri aviae; etiam Cic., ICt.*) 1224$_{9}$.

bastag(i)a (*cf. pag.* 90 *adn.*[2]; *ICt.*): praeposito — bastagis copiarum deuehendar(um) 1322$_{4}$ (*cf. adnot. titulo subiectam*).

burgus (*Veg., al.*): [b]ur[g]um [a] solo — instituit 3*$_{9}$.

caeparius (*legitur etiam apud Lucilium V 23 ed. L. Mueller*): ceparius 790*$_{5}$; *moneo ab hoc verbo versum incipere, cum finis praecedentis evanuerit.*

calcis *quid significet in tit.* 912a$_{4}$*, *ubi legimus* et calcis aere p. XX m., *dicere nescio; an* calices *legendum?*

camera: aedem trium camerarum 1183$_{1}$ (*scl. III—IV*); = *aedes, cuius tectum tres habet curvaturas, i. e. quae tria spatia, quae nos in ecclesia „Schiff" vocamus, habet? an, quae supra camerae curvaturam alteram habet, supra alteram tertiam? Cf. Vitruv. VII 3 et V 10 8.*

---

[1]) Sed cf. I. N. 5696: *cur(ator) ann(onae) frum(enti) populi; — annona leuanda* apud Cic. pro Mil. 27$_{72}$.

cella *in balneo:* in dextera cellis exeuntibus 828 4; cetera — [al]u[ib]us cellarum [1]) — ornata 828 8.

Ceres: sacerdos Cererum, *i. e. Cereris et Proserpinae* 580*; templi Cererum 1548 6.

cerineus (= *cerinus; de Vit II 149 2 non affert formam hanc novam*): cerineos componere nidos 212(c)88.

circare (*apud Propertium V (IV) 9 35 et Tibullum I 3 77 ab aliis recipitur, ab aliis improbatur; etiam alii loci, quibus traditur, teste de Vit II 192 1 suspicione non vacant; nostro loco, qui praeter glossographos verbum certo confirmat idque in carmine, ut equidem in poetis illis id restituere non dubitem, verbum transitivum est*): circaui totam regione(m) pedestrem 1027(c)6; *cf. pag.* 125 *adn.* 1.

clauatus: [p]rasina colore clauat[us?] 1013 5 (*ceterae versus litterae perierunt*).

codicillaris: codic[il]lari stationis heredi[ta]tium 1439 6.

cohaerere: stationis heredi[ta]tium et cohaerentium (= *quae ad h. pertinent?*) 1439 8.

collis: *opponitur monti* 212(c)79—80; *cf. s. v.* iungere.

compensatio: in compensatione(m) missiliorum (*i. e. loco miss.; cf. supra pag.* 133) 895* 7.

competens: huic cupiens conpetentibus meritis respondere etc. 27 10—12; *e locis, quos de Vit II 325 2 affert quique parum ad nostrum quadrant, hi maxime eligendi videntur: Appul. Flor. n. 16 (ed. Krueger p. 20 15):* Reperias — personas rebus competentes, sententias uitae congruentes; *Auct. Paneg. Maxim. et Constant. 7 (ed. Baehrens p. 153 17):* Quid enim competentius, quid prouidentia tua dignius facere potuisti? — *Interpretor sic locum nostrum: merita, quae tali viro digna sunt; in qua re* huic, *etsi in initio enuntiati positum ad totam sententiam referendum est, tamen fortasse ad* conpetentibus *subintellegi potest.*

condecurio: condecurio[nibus] 1284*; *dat. sing.* 1647 8.

condere: duplici ex more condito decreto (*similes locutiones exhibet de Vit II 367 1*) 1296 4.

conferre: ornamentum moenibus et salutem ciuibus perpetuam perductis fontibus contulerit (*cf. exempla, quae de Vit II 371 1.*

---

[1]) *cellarum* subst. gen. plur. forma certa videtur esse; desideraveris *cellaribus* vel similem formam adiectivi.

3721 affert; sed vix simul et tam diversas notiones coniunctas et verbum conferendi cum dativo constructum inveneris; cf. supra pag. 121) 1828 5—8.

congentilis (*de Vit II 3851 praeter locum nostrum glossam tantum affert;* congentilis populi *Augustin. c. Faustin. 13 15 nuper addidit Georges*): *subst. dat. plur.* 1321 7.

congestio: congestioni (= *? de aedificio, ut videtur*) et ... parieti 897* 4.

conscius: Lachesis male conscia (*cf. Iustin. II 5 7:* mulieres quoque male sibi consciae) 212(c) 4.

consensus: sic stare nitentes consensus lapidum (= *coniunctiones, molem coniunctorum lapidum; quae notio vix alibi occurrit*): 212(c) 42—43.

conseruator: Mercurii potentis Thysdritanae col. praesidis et conseruatoris numinis 51 8—10; *nota et cognomen conservatoris Mercurio dari (secundum exempla, quae de Vit II 4111 affert, datur solis Impp., Iovi, Apollini, Herculi) et* conseruatoris *tamquam adiectivum, fortasse eodem modo etiam* praesidis, *ad* numinis *addi.*

continens: intra continentia coloniae nostrae aedificia 1641 b 12.

credulus: cernitur et titulis credula uita suis 213(c) 18; *forsitan hunc sensum verbis subesse putes: tituli, qui in liminibus inscripti (cf. v. 17) nomina mortuorum indicant, demonstrant homines nimis esse credulos fretosque vita, quae tamen tam brevis sit.*

cremare: ualida febre crematus 241(c) 10.

curare: qui Thysdrum ex indulgentia principis curat 51 2.

curialis: aedem curialem Concordiae 757 3.

dare: ludorum scaenicor(um) diem et epulum dedi[t] (diem — dare *hac notione non inveni; nostro loco, cum* epulum *additum sit, tamquam per zeugma quod dicitur* diem ludorum — dare *coniunguntur*) 853* 9—11.

decor: sed reuocat — cura — celsique decores (*id, quod decoro modo factum est, vel ornatus, quo addito aliquid decorum fit*) 212(c) 77; *itemque supplendum est* 212(c) 47: probet — hos uaga turba [dec]ores.

decoratu[?] 1783* 2 = *forma quaedam participialis verbi decorandi, an subst.* decoratus, *quod adhuc nusquam repertum est?*

dedicatus: *superlat.* (*cf. pag.* 105) numini (Caesarum) dedicatissima 1335*6; *v. l.* dedicat ipsissima; *cf. s. v.* pacatus.

depositio: sikio = [d(e)p(o)]si[t]io (= *sepultura; Inscr.* †; *cf. Roensch 312*)? 1389†*4.

depositus = *sepultus* (*in Inscr.* † *saepissime*) 453†6; d(epositus) 57†4. 879†4. 5. 880†3; d(e)p(ositus) 879†3. 1087†3. 1103†. 1167†; d(e)p(osita) 454†3. 1169a†; dep(ositus) 671†5; d(e)p(o)s(itus) 459†3; d(e)p(o)s(i)t(u)s 56†*6.

deus: uiuas in deo 1015†*; *cf. tit.* 253 || fidelis in deo *cf. supra pag.* 130) || meruit de deis (merere de deis *alibi non legi*) 1542(n)9.

diaconus (*minister in ecclesia christiana*): diachonus 1389†*2; *v. l.* iaconus; *vide* archidiaconus, subdiaconus.

diatonus *vel* -os (*sic enim equidem nominativum constituo — Wilmanns* diatonia *nom. plur.* —; *cf. Vitruv. II 8 7 edd. Rose et Mueller p. 48 17*: praeterea interponunt singulos crassitudine perpetua utraque parte frontatos, quos διατόνους appellant, qui maxime religando confirmant parietum soliditatem; *scil. lapides; hac notione alibi* diatonus *non invenitur*): [?] et diaton[is...] 1273c; [di]atonis et exedris 1273k; *accedit fortasse forma heteroclita* [z]iatonibus, *de qua v. supra pag.* 103 *et infra s. v.* iatonibus.

dicatio: dicationem statuae 1296 5.

dies *cf. s. vv.* dare, edere.

dilectus = *dilectio, amor* (*hanc significationem frustra quaeras praeter Iulii Pauli sentent. II 20 1, Non. Marc. ed. Quicherat p. 363 = 320 18 Merc.* — honos, dilectus, amor, *quem locum animadvertit Paucker, Addenda lex. Latinis p. 22 — et Chalcid. Tim. 135, quem locum mihi benigne indicavit Georges*) cum summo eorum (*parentum*) dilectu 726 7.

diuisio: diuisiones dec(urionibus) dantur 262 13.

dominator: dominator Auerni (= *Pluto;* Auernus = *orcus, Acheron poett. Ov., Stat.*) 1523b(c)15.

dominicus: praeposito — thensauris domini[cis] (*i. e. Imperatoris*) 1322 4.

dominus, -a: *honoris causa additum: passim Impp.* (*cf. Mommsen, Roem. Staatsrecht II² p. 737*) || *praeterea* domino meo

fratri rarissimo 333_{6}; matri dominae 573_{6} || dominus te exalta[—] $1072(c)_{6}$ *tit. mutilo.*

duumuiralicius[1]) = *qui duumviratum gessit:* Felix IIuiralicius 863_{4}; IIuiralic[ius] 314_{4}; IIuiralic(io) 829_{4}. 1165^{*}_{3}.

duumuiralis[1]): IIuirali *subst. dat.* 826_{4}; IIuiral(is *an* -icius?) *subst.* 862_{3}.

duumuiratus:[1]) IIuiratus *gen.* $98a_{3}$. 826_{5}. 862_{5}. 863_{6}. 958_{3}. 1261_{9}; IIuiratu *abl.* 240_{6}; [II]uiratus 917.

ecclesia *christiane congregatio fidelium:* hec porta domus est ecresie 839†*, ecc(lesia) tua 449†.

edere: pugilum certamina edidit 1323_{7}; diem ludorum scaenicorum edidit 958_{5} (edere *ludos etc. passim et apud scriptores et in Inscr.*).

editio: ludi — edantur, in quorum editione *etc.* 967_{5}.

effero: h(ic) s(ita) e(st); extulit (= *sepelivit?*) 584*; *in haec verba desinit titulus.*

eleuare: aquam quaesitam et eleuatam in coloniam perduxit (*i. e. antlia ex terra exhaustam?*) 11^{*}_{5}.

emeatus, -us (*non occurrit apud scriptores, nisi quod teste de Vit II 851 2 sup. v. l.* emeatus *ad* meatus *exstat apud Amm. Marcell. XVII 4 14; quamquam et Gardthausen et Eyssenhardt* meatus *scribunt nulla v. l. addita*): forum praefulget rerum sub strata emeatu (= *commercio rerum, quae modo huc modo illuc* sub strata, *i. e. ut videtur, ubi stratae forum contingunt, in capite stratae, in ipso igitur foro, vehuntur? Singula verba cum per puncta dirempta sint, noluerim de* sub stratae meatu *cogitare*) $1584(c)_{2}$.

episcopus (*christiani sacri antistes*): episcopus $879†_{5}$; episco[pus] $879†_{1}$; ep(is)c(o)p(us) $879†_{2}$.

epulactris: decurionib[us] sportulas curiis epulactris eius deder(unt) 1828_{13-15}; *lectionem certam esse adnotat Wilmanns; frustra de certa emendatione* (*fortasse pro* epulacteriis? *an pro* epulatoriis? = *sport.* „*für die — dativ. — Mahlzeitsversammlungen*“?

---

[1]) *duumuiralicius* forma extra Africam (etiam Augustin. cur. pro mort. ger. 12) vix occurrere videtur nisi in I. N. et C. III 650 (adiect.), *duumuiralis* autem in C. II, III, V, I. N., Inscrr. Helvet., *duumuiratus* in C. II, III, I. N.

Sed etiam tum, quid eius sibi velit, incertum manet; cf. etiam v. seq.) *meditatus sum; cf. Marquardt, Roem. Staatsverwaltung I p. 468 adn.* [5].

epulaticium (*vocem* e—us *de Vit II 883 1 ex gloss. affert*): *in tit.* 1827 $_{13-14}$ *sic suppletur:* ob quam dedication[em curiis epul]aticium [— d]ederunt.

eri: [Ae]mili — u(iri) c(larissimi) et inlustris et eri Fani *etc.* 1412a—d; *vix de* erus *vocabulo cogitandum erit; sed quid ei subsit, nomen appellativum an proprium, et quale, dicere nescio.*

et = *etiam* (*cf. Draeger II 28 sqq*): conferentibus et incolis 30 $_5$; illa et consilio iuuare 152(c) $_6$; uiderit et — gloria 212(c) $_{23}$; ut et angulus omnis — ductus sit 212(c) $_{44}$; diximus et iunctis saxa polita locis 213(c) $_8$; fuit et pudicitia 403 $_{10}$; [nec] non et silicem — strauit 796 $_3$; nec non et ludos — exibuit 828 $_{15}$; sed et filis filiabusque 870 $_{16}$; *cf. etiam* qui et *supra pag.* 143.

ex (*cf. supra pag.* 78) *cum substantivis munus indicantibus his coniungitur:* ex adiut(ore) 989 $_4$; ex agente in rebus 989 $_3$; excuratore (*sic*) 969 $_9$; ex equite Romano 1647 $_4$; ex mun(erario) 969 $_8$; ex t(ransvecturario) et nau(iculario) 969 $_8$ (*cf. adnotationem titulo subiectam*).

exaltare: dominus te exalta— (*sic desinit versus; qui sequitur, initio mutilus est;* exalta[bit?]) 1072(c) $_6$; *vix* ex alta *transcribendum est, cum in hoc titulo constanter singula verba inter se dirempta scribantur.*

exercitator: [e]x[erci]tatori mil[i]tum frumentarior(um) (*cf. Henzen in Bullett. dell' Instit. Archeol. a. 1851 p. 117 adn.* [1]) 1322 $_8$.

exire: in dextra cellis exeuntibus — constructum 828 $_4$.

exitus: exitum fecit socre suae (*i. e., ut videtur, monumentum exitus, mortis; aliam notionem* exitum facere *praebet apud Suet., al.*) 1213* $_4$.

fatum: si post fata manent sensus (= *post mortem; cf. Quintil. XII 117:* sentiet uiuus eam, quae post fata praestari magis solet, uenerationem) 212(c) $_{39}$.

fidelis (= *πιστός*, „gläubig"; *Eccl.; Inscr.; cf. Roensch 332*) *passim in titulis christianis, maxime* fidelis in pace.

flamonium, *quae forma inscriptionum, saltem Africanarum fere omnium propria est* (*cf. Mommsen in Ephem. epigr. I p. 221 sq.*), *legitur in titt.*

98₃. 262₈. 1343 ([fla]moni). 1402 b. 1495*₅. 1554a; [flamin]atus *suppletur in tit.* 1491; flaminium *ne semel quidem occurrit.*

florisapus (= *florum saporem habens; alibi occurrere non videtur, neque similis vox composita praeter* serisapia *apud Petron. 56; cf. edit. Buecheleri*): sudet florisapos — liquores 212(c)₉₀.

frater: cum fratribus Potito, Natale, Honorata (*sic comprehendit fratrem sororemque etiam Tac. ann. XII 4; ICt., Inscr.; cf. infra s. v.* pater) 1574₄.

frumentarius: [e]x[erci]tatori mil[i]tum frumentarior(um) 1322₈; *cf. Henzen in Bullett. dell' Instit. Archeol. a. 1851 p. 118 sqq.*

gaudium: haec gaudia saepe nitentem (*i. e., nitentem laetitia de iis rebus, quae gaudio sunt quaeque in versibus, qui sequuntur, enumerantur;* gaudium *igitur = id, quo gaudet; cf.* § 32 b)) 212(c)₅₀.

gradus: ad ampliationem templi et gradus (*vulgo, si scalae significantur, pluralis numerus adhibetur; aliter Vitruv. III 3 4 edd. Rose et Mueller p. 76 16 dicit:* cum dextro pede primus gradus ascendatur, *quem locum exemplum singularis numeri hac notione adhibiti de Vit III 227 1 inf. affert*) 1318₄; — *contra acc. plur.* 703₃; *abl. pl.* 1320 b ₃.

gymnasium (= *ludi gymnastici; Inscr.*) *passim; cf. supra pag.* 26 *et* 75.

honor = *honoris insigne:* quam Flauius alto — signauit honore 212(c)₁₁—₁₂; stat sublimis honor 212(c)₇₈.

honoratus: art(e) hon(oratus) 656a₃—₄; *sic enim Wilmanns in adnotatione titulo subiecta compendium dissolvit conferri iubens Appul. de mag. 61 (ed. Krueger p. 71 21 sq.):* uir inter suos et arte laudatus et moribus comprobatus.

iatonibus: et (*sequitur signum, cui similitudo quaedam est cum* z *littera*) iatonibus et (= ?) 1342; *fortasse* = ziatonibus (*cf. supra pag.* 79) *pro* diatonibus *dat. vel abl. plur. heterocl.? contra* [di]atonis 1273k; *cf. s. v.* diatonus; *rectius igitur hanc vocem s. v.* ziatonus *citare poteram.*

Idalius: non manus Idalia lasciuiat improba uirga 1523 b(c)₃; *i. e. Veneri sacra: cf. adnotationem titulo subiectam.*

implere: pietatem impleuimus 1523 b(c)₉.

imponere: coniugi — titulos inposuit (*vulgo usurpatur verbum simplex; cf. Roensch 367; etiam pluralis numerus vocis* titulus *notabilis est*) 576 ₅.

incola (= *μέτοικος; etiam Cic, al.; cf. Marquardt, Roem. Staatsverwaltung I pag. 465*): conferentibus et incolis 30 6; municipes, item incolae, dumtaxat incolae, qui intra continentia coloniae nostrae aedificia morabuntur 1641 b 10—13.

indictio (*temporum supputatio; cf. Marquardt, Roem. Staatsverwaltung II p. 237*): indictioni[s] 57†5; ind(ictione) 56†*9; 453†9; 457†5; 1115e†; ind(i)c(tione) 452†4; i(n)d(ic)t(ione) 451†6.

ingenium; *cf. s. v.* animus.

insilire: irasci numquam aut insilire quemquam nouerat (*i. e., ut videtur, increpare, obiurgare; notionem aggrediendi habes apud Appul. et in Vulg. Interpr.*) 647(n)11.

instantia: perfectam — per instantiam Macrini (*similis notio e. g. in Plin. ep., Inscr.*) 608 5; *cf. supra pag.* 131.

instar: at instar templ[i] (*non raro, imprimis apud Appuleium; cf. Draeger I 2 581*) 1447 c.

integrare: et fletum et gemitus integrat (*prorsus similiter Liv. I 29 5:* integrabat lacrimas; *notio repetendi etiam alibi, imprimis apud poetas*) 251(c)6.

iudicium: dicationem statuae maiora iudicia confirmarunt (i—um *mandatum, decretum vel auctoritatem significat etiam in nonnullis aliis Inscrr.: cf. de Vit III 641 2*) 1296 5.

iugiter (= *adsidue, continue; cf. Roensch 150*): uidendo iugiter 251(c)5.

Iuno: Iunonem (*i. e. statuam Iunonis?*) dedicat 251(c)1.

iungere *fere eiusdem notionis, cuius vox francogallica „joindre, rejoindre"* (*quam quidem notionem alibi non legi*): si iungere montes — uelint oculi, uincuntur — colles (*i. e., si recte interpretor: si homo, quem poeta in summo mausoleo stantem facit, montes aspicit, oculi parvos et, qui mausoleo minus alti sint, colles neglegunt et supra ultraque eos montes tamquam secum iungunt*) 212(c)79—80 || *cf. s. v.* locus.

iussio (*cf. Roensch 74*): [secund]um sacram iussi[o]nem diu[?] 1127 8.

labium: pignus amoris — nec poterit facili labiûm (*cf. supra* § 12 f)) obliuione perire (*i. e., ut videtur, oris loquentis*) 434(c)8.

lacus: [aqua] — per plataeas lacubus inpertita (*i. e. magnis labris, quae notio etiam alibi occurrit; cf. Roensch 315 sq.*) 51 4.

laedere: (gloria), quam laedunt gentes uario certamine rerum 212(c) 27.

laquearium (*cf. supra* § 13 d) 2)): addito cultu meliori laqueariorum 1183 2.

latus, -eris: la[te]ribus Germaniae meruit *etc.* 702 2; *auctore Mommseno* latera *vox usurpata est nostro loco eodem sensu atque* laterculus *aevo sequiore, i. e. index militum; cf. adnot. titulo subiectam.*

lauacrum (*etiam Gell., al. scriptores aevi serioris; Inscr.*): *abl. plur.* 1412 m—n.

leuitas: *de* Aegyptos Phariis leuitatibus (*significatur linum Aegyptium*) *etc.* 212(c) 30 *cf. adnotationem titulo subiectam.*

liberalitas, *plur.* = *ea, quae per liberalitatem dantur (sic etiam apud Suet.; sing. apud Tac., Tertull.)*: ob insignes liberalitates in rem pub(licam) 980 6.

locare: locata Innoca in pace (est) (= *posita, deposita, quam notionem alibi non legi*); uixit *etc.* 1086†*? *an* Locata *nomen proprium est?*

locus: iunctis saxa polita locis (*i. e. polita iis, quibus inter se iuncta sunt, locis*) 213(c) 8.

lumen: lapis — foratus luminibus multis hortatur *etc.* (*similiter* = *fenestra etiam alibi nonnullis locis*) 212(c) 86—87.

lux: cum luci daremur (*i. e. vitae*) 152(c) 9; *similiter in eodem titulo v.* 7: luce priuata misera; *sicut etiam Cicero* luce aliquem priuare *saepius dicit.*

maesoleum *cf. supra pag.* 31.

magnus *cf. s. v.* mos.

mammula (= *auia; Inscr.; cf. Roensch 330*): mamul[ae] *dat.* 1774* 5.

marmor: *de plurali cf. supra pag.* 105.

matronaliter (*adverbium ex solo nostro titulo affert de Vit IV 67 2*): matronaliter (*i. e. iusto matrimonio*) nupta 870 3.

memoratio (*saeculo demum sexto p. Chr. n. apud Maximianum Etruscum invenitur; cf. adnotationem titulo subiectam, de Vit IV 91 2, Georges II 272; vocabulum affertur etiam e vetere translatione Aristotelis Rhetoricorum — Boethii? — a Pauckero, Meletemata lexistorica*

altera p. 21): homines — longior excipiat memoratio 212(c)7 (*scl. fere II*).

memoria (= *monumentum, sepulcrum; Eccl., saepe in Inscr.; cf. von Hefner in Abhandl. d. Bair. Acad. V p..256*): parentes karissimo memoriam fecerunt 217*23; me uiuo memoriam feci 87018.

missilia: in compensatione(m?) missiliorum (*vulgo missilia donantur ab imperatoribus, nostro autem loco ab aedile*[1]) 895*7.

momentum: momentis damnata suis (*eorum, quos de Vit IV 164 I affert, locorum vix ullo* momentum *tam absolute usurpatur pro exiguo temporis spatio quam a poeta nostro*) 212(c)33.

mons: *opponitur colli* 212(c)79—80; *cf. s. v.* iungere.

mos: mores magni *appellantur, i. e. magnanimi, praeclari in tit.* 1557(c)*3: magnis moribus femina.

museus: *absolute dicitur* museum (= *opus lapidibus concinne contextum; simul hac notione atque hac forma absolute dictum alibi non legi videtur*) *in tit.* 993*3: — et museis et — ornauerunt; — *contra* opus museum (*Inscr.*) *in tit.* 132313: opere museo exornauit.

natalis, -e: bonis natalibus nata (*i. e. bona condicione generis vel similiter; haec notio pluralis numeri absolute adhibiti occurrit etiam apud scriptores, veluti Tac.*) 8702.

numerus: ut semper plenus numerus alatur (*i. e. ut semper plenus sit numerus liberorum, quot ex testamento ali debent*) 1641 b19.

olla: ollam aer(eam) caldar(iam) — dedicauit 126710.

orbis *usurpatur absolute de orbe terrarum vel de regno Romano in his titulis:* Saluis ac toto orbe uin[cen]tibus d(ominis) *etc.* 272; conditori adque amplificatori totius orbis Romani sui 11791—2; orbis pacatori 1579*.

pacatus: numini eius pacatissimus (pacatus = *devotus nusquam alibi repperi; nota titulum ab incertae fidei auctore descriptum esse; nonne igitur* [di]catissimus *scribere mavis, praesertim cum* P *et* D *non nimis difficulter et a scribente et a legente permutari possint?*) 995*8.

---

[1]) A flamine perpetuo in inscriptione Rusicadensi, quae a Reniero communicata est cum societate Parisiensi, quae „Académie des Inscriptions“ vocatur, die 21 m. Iun. huius anni: *ad cuius dedicationem etiam ludos scaenicos cum missilibus edidit.*

paedagoga (*formam adiectivam ex Paulini Nolani carminibus* — lex paedagoga — *de Vit IV 465 1 affert; substantivum ex Hieron. ep. Georges II 680; agitur ergo de Eccl. scl. IV—V*): Cornelia Fortunata paedagoga 1506 3 (*aetatis incertae*).

palearius (*de Vit IV 472 1 affert* palearis *tantum et* palearium *subst.; cf. adnotationem titulo subiectam*): *nom. subst.* 421 4; *an* C. Remmius C. f. Felix *Pal—?*

Pallas: *de* Hispania Pallados (*i. e. olei*) usu *etc.* 212(c) 28 *cf. adnotationem titulo subiectam.*

parens = *patria* (*similia fere exempla affert de Vit IV 503 2*): *per pleonasmum dicitur* dulcis parens Galibus et amabilis patria 758 9—10.

parsimonium (= parsimonia; *de Vit IV 513 1 affert duas Inscrr., ubi eadem excepta scriptione per* c *forma ablativi occurrit atque in nostra;* parsimonium μικρολογία *et* parsimonio (*sic*) μικρολογία (*sic*) *ex Gloss. Labb. mecum communicavit Georges*): parsimonio fulta 152(c) 2.

pater: costituunt patres (= *parentes; item nonnullae aliae Inscrr., quas de Vit IV 526 2 affert; cf. supra s. v.* frater) fratresque sepulcrum 412(c) 6.

patria: *de terra mortuorum sede dicit Afer quidam in tit.* 79(n)* 5: ut hanc in patriam — peruenirem.

patruelis *absolute substantivorum more:* Saturninus patruelis eius 272 10.

pedester: circaui totam regione(m) pedestrem (pedester = *terrester etiam Cic., al.; regionem pedestrem alibi non legi*) 1027(c) 6.

perducere: potiones calicis perduxi (perducere = *haurire, perbibere solum apud Arnob. V 26 ed. Reifferscheid p. 197 23 — carm. —:* perducit totum — liquorem, *teste Th. Mommseno in Herm. I p. 343; sed etiam Appul. met. X 5 ed. Hildebr. I p. 886 dicit:* uini poculum — continuo perduxit haustu) 1027(c) 8.

peruius *absolute positum substantivorum more* (*sic forma sing. neutr. apud Tac. hist. III 8*): demonstrat peruia Nili — Pharos 212(c) 84.

Pharius: *cf. s. v.* leuitas.

pietas *appellatur* docta 212(c) 86: Quid non docta facit pietas?

plagula (*diversas notiones habet, quarum quae loco nostro statuenda sit, cum mutilus sit titulus, dici nequit*): *acc. plur.* 1013 5.

plebs *significat totum municipum numerum in tit.* $\overline{828}_{14}$ (*scl. III*): uniuers(a)e pleui (*sic*) epulum — dedit.

pluteus: *ex diversis notionibus vocabuli haec, quae exstat etiam apud ICt., Iuven., Pers. (cf. de Vit IV 711 2), ad nostrum titulum maxime quadrare videtur: repositorium parieti affixum vel tale quid; legimus enim:* pluteum perpetu[um] $\overline{978}^{*}_{9}$ (*a. u. c. 734*).

ponderarium (*Inscr.*): tabularium et ponderarium ciuitas — fecit $\widetilde{757}_{3}$.

ponere *absolute dicitur pro sepelire* (ponere terra *ait Verg. Aen. VI 508; cf. tamen Forbiger ad l. l.*): quem coniunx lepida posuit 434(c)$_{2}$; non(is) — p(o)s(itus) 452†$_{5}$; *cf.* depositus; *paullo secus intellegendum est:* me posui coniugemq(ue) meam 1523b(c)$_{7}$; *cf.* 1523a: hoc maesolaeum mihi et — uxori — institui.

populus: populus curiar(um) $\overline{1828}_{9}$ || tribunus populi 1226$^{*}_{4}$, *quae verba male lecta esse constat.*

praeponere: titulu[s] — uoci praepositus no[str]ae (*i. e. munere vocis nostrae fungens, pro ea loquens; quae notio etsi alibi non occurrit, tamen notio praeferendi, anteponendi, quae apud Plaut., Ter., Cic. occurrit, haud ita dissimilis est*) 218(c)a$^{*}_{2-3}$.

praerogare: benefici(i)s in ciues remq(ue) p(ublicam) praerogatis $\overline{1296}_{14-15}$.

praeses: *cf. s. v.* conseruator.

praestitum (*de Vit IV 825 2 participium generis neutrius forma indutum et absolute substantivorum more adhibitum non affert; sed fortasse loco nostro statuendum est*): quam effigiem pro inmortalibus prestitis Flauio — subuexit dulcis parens *etc.* $\overline{758}_{6-9}$; *sed etiam cum aliis tum hoc modo locum satis contorte expressum interpretari possis: quam effigiem pro statuis vel loco statuarum* (*cf. s. v.* Iuno) *deorum* (*dearumve*) *immortalium, qui* (*quaeve*) *praestites* (*praestitaeve*) (*cf. supra* § 13g) *et pag.* 99 *adn.* [2]) *erant sive Flavio sive civitati, subvexit.*

prendere: canibus prendi lepores et denique uulpis (*de venatore; cf. Vulg. Interpr. Ioann. 21 3 et 10: pisces prendere*) $\overline{1027}$(c)$_{7}$.

primigenus *absolute dicitur* (*adiect. apud Lucr. II 1106 et apud Avienum*) *in tit.* 742$_{3}$: — Rufinus primigeno suo amantissimo et Antonia — mater ....; *non esse puto, quod corrigatur*

in cognomen (quod quidem nunc deest; sed verba post mater *evanuerunt) usitatum* Primigen[i]o.

priuatus: mag(istro) r[ei] summae priuatae (*similiter Inscr.; cf. Marquardt, Roem. Staatsverwaltung I p. 300 sq.*) 822 4—5; proc(uratori) priu. per Salariam *etc.* 822 9.

proconsul *dicitur in tit.* 1179 10—11; — *contra fortasse* [S]extius — proconsul[e?] 995* 6—7 (*a. 367/383*).

proficere: fecerunt et profecerunt (= *?*) 902*.

promerere: fidem, qua sing(ulos) uniuersosq(ue) promeruit (*alibi, ut videtur, haec notio propria est deponentis praeter ICt. et Appul. met. XI 6 fin.* — promerueris —*; cf. Roensch 377*) 829 7.

protector: Marti Aug(usto) protectori d(omini) n(ostri) *etc.* (*de eo, qui protegit, usurpatur tantum in Eccl.; alteram significationem protectoris, i. e. satellitis etc. saepe in Inscr. et apud Scr. Hist. Aug. occurrentem in nostris titulis non deprehendi; cf. Roensch 58*) 895* 1.

prouincialis *absolute ponitur de magistratu provinciali* (*eiusmodi exemplum apud de Vit IV 964 1 frustra quaeres*) *in tit.* 587 3: iubente prouinciale, Aug(usti) lib(erto), proc(uratore).

quadriga (*cf. supra pag.* 104) = *simulacrum quadrigae: abl. sg.* 98 b 2; *acc. sg.* 937 12; — *contra cf.* 958 4 (signum lupae).

quaestoricius = *quaestura functus:* Felicis flaminis quaestorici 859 3.

quantitas (*significat summam pecuniae apud ICt., item Inscr.*): ex cuius quantitatis usuris 262 10; super quantitatem ex multis redactam 972 5. 973 5*.

quiescere *et* requiescere *in titt. christianis pro obdormiscere ad mortem, quae quo die evenerit, interdum additur:* quieb[it in p(a)c(e)] s(u)b id(us) *etc.* 451 † 4; re[q]uiebit in pace su(b) die *etc.* 457 † 2; *item fere* 458 † 2; recieuit 459 †, *ubi dies depositionis* (*cf. s. v.* depositus) *additur;* recuiebit 460 † 6, *sicut in tit. praecedente;* — *contra e. g.* manib(us) hic [pl]acidis Pass[ie]na — quiescit 412 (c) 1—2; perpetua quiescit requie 646 (n) 13.

quinquennalicius: aed. IIuir(o) quinquennalicio 883 4; inter quin[quennali]cios adlecto 262 5—6.

quinquennalitas: *gen.* 262 8.

recolere: simulacro auro reculto (*i. e. rursus inaurato;* recolere = *renovare etiam alibi, e. g. Plaut., Cic., al.*) 754 6.

regestare: regestatum sub b[?] 263₁₂₋₁₃ *tit. mutilo;* = registrare *vel* regestrare *vocab. mediae latinitatis? Litterae evanidae* .umi.u, *quae praecedunt, sic fortasse restituendae videntur:* [s]um[pt]u.

reliquatio: praeposito reliquationi classis *etc.* (*cf. de Vit V 156 2, qui titulum nostrum affert, et Henzen in Bullett. dell' Instit. Archeol. a. 1851 p. 117 adn.* ¹) 1322₂.

requiescere: *cf. s. v.* quiescere.

res *absolute in numero plurali usurpatur de re publica, si quidem recte interpretor verba tituli* 352₄: homo bonus, rebus hominibusque pernecessarius.

restaurator (*Paucker, Subrelicta p. 18* ex Petr. Chrysol. serm. 18:* caeli dominus, restaurator uniuersorum): [r]estauratori orbis t[err]arum 896; huius urbis restauratori 898*.

sacerdotalis *absolute dicitur substantivorum more:* sac(erdotali) prou(inciae) 27₁ (*a. 383/388*); uir laudabilis, sacerdotalis 27₁₀; sacerdotal(is) prou(inciae) Afric[ae] 1827₆.

sancire: uestros merito sancire parentes (*i. e. colere, venerari, quae notio alibi non videtur occurrere*) 1523b(c)₁₂.

sanctuarium (= sacrarium; *quae notio apud Gromatt. et Eccl. tantum occurrit*): silicem (*sic pro* silice) omne sanctuarium strauit 796₃ (*a. 338*).

saties (*cf. supra* § 16 h): uiximus ad satiem (= *satis*) 1523b(c)₉.

scalptura = *res scalptura vel potius sculptura* (*cf. adnot. titulo subiectam*) *formata* (*sic etiam Vitruv.; cf. Nohlii Indicem*): mobilibus signis hilaris scalptura nouatur 212(c)₄₆.

schola: *si de significatione, quam voci* pluteus (*v. pag.* 158) *in tit.* 978*₉ *attribuimus, constat, probabilis est notio „loci sive stationis cuiuslibet, ubi conveniebant eruditi homines etc.“* (*Plin., Inscr.; cf. de Vit V 372 1*): *acc. plur. in eodem titulo* 978*₁₀.

semper *fere* = *in perpetuum, in omne tempus:* iam quietus ego hic Medico semper 79(n)*₁₁.

seniores *magistratus castelli cuiusdam* (*similiter in Eccl. de institutis christianis*) 1615₉. 1616₇.

sigmentum (*vox in lexicis non reperitur*): cum sigmentis Mercu[rii?] *in tit.* 1013₂ *mutilo;* = *signum, simulacrum?*

Signinus (*Plin, Vitr., al.*): cum camera Signina 1309 4; opere Signino 21* 2.

sistriger (*alibi non occurrit; de* sistrifer *cf. de Vit V 534 1*): sistrigeri — Nili 212(c) 84.

solamen (*cf. supra* § 13 f): proc(urator) ad solaminia et horrea (solamina *vocabulum eodem sensu — subsidia annonaria — occurrit in C. II 1180*) 619 4 (*cf. adnot. titulo subiectam*; *cf.* solatium *pro* auxilium, *quod saepius in Greg. Tur. hist. Franc. inveniri animadvertit Paucker, Addenda lexicis Latinis p. 81* || solamen *usitata notione* 434(c) 6.

solium: *cf. supra s. v.* aestiualis.

statio: codic[il]lari stationis heredi[ta]tium et cohaerentium 1439 7.

strata (= *via strata apud sequioris aevi scriptores, Inscr.; cf. Roensch 106*): rerum sub strata emeatu 1584(c) 2; *cf. supra s. v.* emeatus.

subdiaconus: qui fuit su(b)d(ia)c(onus) 452 † 3; subd(iaconus) 880†.

succidia: sucidis aeternoque silentio Mauris sum (*fortasse* [traditus] *vel tale quid auctore Mommseno in adnot. titulo subiecta; succidiis mors significatur, sicut Cato apud Gell. XIII 25 12 ait* succidias humanas facis) 868(n) 7.

sudare: domus — sudet florisapos — liquores 212(c) 89—90.

sufes (*magistratus; Liv., Inscr.; cf. Marquardt, Roem. Staatsverwaltung I p. 313*): sufe[tes] 7; sufetes 797 9; instante operi Felice — sufete 765 4.

superesse: tantam faciem superesse sepulchri perpetua nouitate (*cf. Gell. I 22*) 212(c) 41—42.

Taurica *absolute dicitur de Chersoneso Taurica* (*sic etiam Plin. n. h. IV 12 (26), 91*): aput Scythia(m) et Tauricam 619 6.

tegere: pater filium conditum texit 341 6—8; fili patre(m) conditum texerunt 341 3—4 || *contra non absolute dictum:* hic te marmore texi (*similiter de sepultura Prop., al. poetae*) 152(c) 8; terra tegit 352 8.

thorax: thorace Caelestis Augustae ornauerunt (= *imagine usque ad thoracem expressa; cf. de Vit VI 93 2*) 993* 3.

thymbraeus = *ex thymbra herba* (*adiectivi alibi non invenitur*

nisi forma neutrius generis absolute usurpata): **thymbraeo nectare dulcis** 212(c)89.

titulus: *cf. s. v.* imponere.

Transpadum (*Inscr.*): proc(uratori) alimentor(um) per Transpadum *etc.* 822 13.

ualere: eadem se ualente — parauit (*ut videtur, = se viva vel vivente, quae formula saepe occurrit*) 810 4.

uere: uere pius uixit (*cf. Draeger I 2 129*) 1420 5.

uernaculus *absolute dicitur substantivorum more* (*vulgo hoc non fieri videtur nisi in plurali et in forma feminina;* u — us *Vulg. Interpr.*) 1132* 3.

uicaria *absolute = officium vicarii* (*ICt., Inscr.*)*:* agens uicariam pr(aefecti) praetorio 783.

uicis: agens uices curatorum 1270 7.

uilicus: u—s summ(arum) (*etiam alibi, imprimis in Inscr.,* uilicus *de procuratore cuiuscumque rei usurpatur*) 1128*.

uincere: annos LXXX certando uici (uincere saecula, *sed paullo alia notione atque nostro loco, Lucr. I 202 et Verg. Georg. II 295*) 79(n)* 7—9 || *cf. s. v.* iungere.

uisus: ex uisu (*sic al. Inscr.; plerumque autem* ex uiso *exhibent*) — fecit 1629 || hoc solamen erit uisus (*i. e. oculorum; simili notione pluralem numerum adhibet Stat. Theb. VI 277*) 434(c) 6.

uitis: initium uitis uitae fuit finis (*i. e. initium centurionatus; sic etiam, etsi minus absolute, Iuven., al.*) 702 4.

usurae: ex usuris eius summae quincuncibus (= *5%; ICt.*) 1641 b 4.

§ 41. De verborum formatione.

Quantum ad novorum verborum formationem, cum solum fere de nominibus propriis agatur, nihil affero nisi haec:

Deodatus *cogn. masc.* 63 1. 992†*; *in ceteris Corporis voll. non exstat; de Vit II 463 2 citat* deodatus *ex Gloss. Lat. Gr.*

Bonifatius et Bonifatia *quinquies* (*v. supra pag.* 36); B—a *etiam C. V 6197†; cf. de Vit, Onomasticon.*

Quoduul(t)deus *cogn. fem.* (*cf. adnot. titulo subiectam*) 870 1; *e. g. etiam de Rossi, Inscr. christ. urb. Rom. I n. 436.*

Cal(l)ipodius *dat. sg.* 758 8: *neque Latine neque Graece hoc nomen alibi repperi.*

De cerineus, congentilis, florisapus, sistriger, palearius *cf. supra* § 40.

Ceterum admodum multa occurrunt ethnica in -anus, -ensis, *cognomina in* -anus, -ianus, -enus, -inus, -ulus, -illa, *etiam in* -icus, -osus, *alia; nomina gentil. e. g. in* -icius, -inius, -enius, -eius (*cf. Ritschl, Opusc. IV p. 260 sqq.*), *alia.*

Nota Quartil*la* (*etiam C. II, V, VII; I. N.*) 474_2; *contra* Quartin*ula*, *quam cognominis formam alibi frustra quaesivi,* 1590_{3-4}, *ubi etiam cognomen mascul.* Quartinus *exstat.*[1])

CONSPECTVS.

Caput I. De orthographia et pronuntiatione.

A. De vocalibus.[2])

B. De consonis.[3])

[1]) Cf. Paucker in Zeitschrift f. vergl. Sprachforschung 1876 p. 186.

[2]) De vocalium geminatione v. pag. 13. 16. 22. 25. 89 adn.[1]. De vocalium contractione v. pag. 15. 22 (bis). 24. 32. De vocalibus insertis vel eiectis v. pag. 15 adn.[4]. 20. 21. 25.

[3]) De consonarum aspiratione v. pag. 37 sqq. 47 sq. 51 sq. 63. De consonarum geminatione v. pag. 37. 44 sq. 46. 48. 49 sqq. 56. 57 sqq. 62. 63 sq. 67 sqq. 75 sq. 77. 79. De consonarum assimilatione v. pag. 45 sq. 49. 56. 63. 64 sq. 69 sqq. De consonis additis vel eiectis v. pag. 39 sq. 41. 46. (48.) 52 sq. 63. 65 sqq. (71 sqq.) 74. 76 sq. 78. 82.

Caput II. De flexione.

A. De declinatione nominum.

B. De coniugatione verbi.

Caput III. De syntaxi.

A. De congruentia.

B. De syntaxi casuum.

C. De syntaxi verbi.

D. De compositione et structura verborum.

Caput IV. Observationes lexilogae miscellaneae.

NVMERI TITVLORVM

nonnullorum Wilmannsianorum cum aliis collectionibus collati.

SEDINENSIS

ARGENTORATI
APUD CAROLUM I. TRUEBNER.
MDCCCLXXVIII.

PARENTIBUS CARISSIMIS

S.

Post Reiskianam Dionysii Halicarnassensis editionem opera eius omnia complexam, cum Antiquitatum Romanarum libri firmissimo Urbinatis et Chisiani insignium librorum fundamento critico nisi multos qui pristinam veramque formam revocare studerent viros doctos allexissent, scripta Dionysii rhetorica plus aequo a viris doctis neglecta diu iacuerunt.

Nam qui primus post Reiskium librum de compositione verborum, ut ab hoc ordiar, tractavit Schaeferus[1]) bonorum codicum ope destitutus non multum profecit; neque Goellerus[2]), etsi libros Monacenses haud spernendae notae adhibuit, ad limpidum incorruptumque fontem opusculum revocavit aut, quod verius est, revocare potuit: ignorabat enim eximias copias, quae in Italicis maxime bibliothecis et in Parisina publica latent. Nuperrime demum Hermannus Usenerus quaestione indici scholarum Bonnensium aestivarum a. MDCCCLXXVIII praemissa de codicibus, quibus liber de compositione verborum, ars quae Dionysii fertur rhetorica, libellus de Thucydidis idiomatis continentur, accuratissime egit atque in uno capite libri de c. v. quarto decimo, quam prorsus novus Dionysius codicum illorum ope fieret, egregie demonstravit.

Habes praeterea qua hunc quidem de comp. verb. librum corrigere possis epitomam e Germanicis exemplis tribus Monacensi, quo eodem Goellerus usus est, Rehdigerano Darm-

1) Dionysii Halicarnassensis de compositione verborum liber Graece et Latine cum priorum editorum suisque adnotationibus edidit Godofredus Henricus Schaefer. Accedunt eiusdem meletemata critica in Dionysii art. rhetor. cap. I—IV. Lipsiae CIƆIƆCCCVIII || 2) Dionysii Halicarnassensis de compositione verborum liber e copiis bibliothecae regiae Monacensis emendatius edidit Fr. Goeller. Ienae 1815.

stadiensi a Friderico Hanovio Lipsiae a. 1868 editam, ad quas copias lectiones accedunt e Darmstadiensi denuo accuratissime collato a Ferdinando Bendero in Mus. Rhen. vol. XXIV p. 597ss exscriptae. Denique qui nuper[1] „studia critica in Dionysii Halicarnassensis opera rhetorica“ edidit I. van der Vliet libello lectionum varietatem subiecit, quam ex epitomae aliquo exemplari Isaacus Vossius olim in Bircoviana quadam libri de c. v. editione quae nunc in bibliotheca Leidensi asservatur diligenter enotaverat. Exemplar illud Monacensi maxime affine fuit, sed propria etiam praeter ceteros epitomae libros bona habet; cf. e. g. p. 75$_{10}$ Reisk. = ind. schol. Bonn. p. XVII vers. 29 *τὸν τοῦ πνεύματος οὐκ ἀποκόπτει τόνον*] var. lect.: *οὐκ ἀποκόπτει τόνον* scholiasta Hermogenis, Laurentianus LIX 15, Vossii codex epitomae; *οὐκ ἀποκόπτει χρόνον* (*φθόγγον* mg. cod. Darmstad.) Epitoma: *οὐ κατακόπτει τὸν τόνον* Parisinus n. 1741, Guelferbytanus, Venetus Marcianus 508, volgata R. Stephani.

Ad artem rhetoricam emendandam librorum subsidia, quod sciam, praesto non sunt exceptis eis lectionibus, quas in Sylburgiana quadam Lipsiae in bibliotheca asservata e Dudithii exemplari[2] a nescio quo enotatas G. H. Schaeferus in meletematis ad quattuor priora artis capita exscripsit. Nota autem codicis Dudithiani est V, quo Veterem librum significari Schaeferus perspexit. Collatio[3] pertinet ad artis capita I—IX, ad prooemium libri de antiquis oratoribus, ita tamen, ut a verbis demum *ἢ βάρβαρον* p. 447$_4$ Reisk. incipiat, ad iudicium de Isaeo, cuius titulus in V est *Ἰσαῖος Ἀθηναῖος*, denique ad iudicium de Dinarcho, cui inscribitur *Περὶ Δεινάρχου.* Eum librum H. Sauppius in fragmentis Isaei et Dinarchi emendandis passim adhibuit. Praeterea codicis lectiones epistulis ad Ammaeum I et ad Cn. Pompeium adscriptae sunt, quarum quae ad Aristotelis fragmenta priore

---

1) Lugduni-Batavorum MDCCCLXXIV || 2) Cf. Sylburg. vol. II praef. ad Dudithium fol. 1v; Usenerum in ann. philol. 1873 p. 151 || 3) Veteris lectiones e Reiskiana sumpsi quae olim G. Wilmannsii fuit, cuius in margine vir doctus nescio quis codicis lectiones discrepantes accurate enotavit.

epistula comprehensa pertinent, ab eodem Sauppio reperies enotatas in „Nachrichten der Koenigl. Gesellschaft der Wissenschaften zu Goettingen“ 1863 p. 46ss.

Quae restant Dionysii opera rhetorica, postquam C. G. Kruegerus[1]) epistulam ad Cn. Pompeium, de Thucydide iudicium, libellum de Thucydidis idiomatis continuo commentario illustrata edidit quamquam ne ipse quidem codicum subsidiis usus, et haec et reliqua, libri de antiquis oratoribus partem priorem, de Demosthene iudicium, veterum quam vocant censuram (excepto de Dinarcho libello, qui solo Laurentiano plut. LIX 15 nititur et ex eo una cum Isaeo a Petro Victorio Lugduni a. 1580 publici iuris factus est) primum librorum manu scriptorum lectionibus instructa edidit E. Gros[2]) praeter alios Parisinos maxime usus codicibus bibliothecae publicae n. 1657 (A) et n. 1742 (B). Ei tamen collationi, etsi diligentissime in ea se elaborasse Grosius profitetur[3]), non magnam fidem irrogandam esse Usenerus gravissimus auctor est; cf. annal. philol. 1873 p. 154.

Qui Grosium excepit Henricus van Herwerden[4]) primus Italicos codices adhibuit, Ambrosianum D 119 sup. et Palatinum Vaticanae n. 58 in emendandis epistulis ad Ammaeum de Demosthene et Aristotele et ad Cn. Pompeium, Florentinos sex in epistula ad Ammaeum posteriore de Thucydidis idiomatis. Mox idem in editione Lysiae orationum selectarum, quae prodiit Groningae a. MDCCCLXIII, et orationem in Diogitonem et iudicii de Lysia initium (p. 452—471 7

---

[1]) Dionysii Halicarnassensis historiographica ... cum priorum editorum suisque adnotationibus edidit Carolus Guilelmus Krüger. Halis Saxonum MDCCCXXIII. — Sicubi in hoc libello Kruegerum laudabo, si nihil addidero, illum librum me intellegere scito || [2]) Examen critique des plus célèbres écrivains de la Grèce par Denys d'Halicarnasse; traduit en français ... collationné sur les manuscrits de la bibliothèque du roi et sur les meilleures éditions par E. Gros. Paris 1826 || [3]) vol. I p. XXV. Dans la collation des manuscrits, j'ai recueilli les variantes avec la plus scrupuleuse attention || [4]) Dionysii Halicarnassensis epistolae criticae tres . . . edidit Henricus van Herwerden. Groningae MDCCCLXI.

Reisk. ῥήτορος) e codice Laurentiano plut. LIX 15 et Ambrosiano D 119 sup. emendavit.

Paucas deinde eiusdem Ambrosiani lectiones una cum suis coniecturis Adolfus Kiesslingius in Mus. Rhen. vol. XXIII p. 248ss publicavit.

Ultimus denique Usenerus, postquam in eodem Musei Rhenani volumine XXIII p. 149 Pindari fragmentum Laurentiani ope emendavit et Arnoldo Schaefero alteram libelli cui inscribitur „Abriss der Quellenkunde der Griechischen Geschichte" editionem paranti Dionysii locos ab hoc viro docto laudatos emendatiores suppeditavit, in annal. philol. a. 1873 p. 145ss Lysiae orationem tricesimam quartam *περὶ τοῦ μὴ καταλῦσαι τὴν πάτριον πολιτείαν Ἀθήνησι* ita edidit, ut hoc uno exemplo manifestum fieret non parvum fructum ex optimorum codicum collatione ad emendandos et Dionysium et scriptores ab illo laudatos rediturum esse. Simul vir doctissimus de codicibus, quibus Dionysii opera rhetorica exceptis libro de comp. verb., libello de Thucydidis idiomatis, arte quae Dionysii fertur rhetorica continentur, ita disseruit, ut nihil fere addere possis.

Ad haec quae enumeravi librorum subsidia si Regiorum duorum, Colbertini, Bodleiani lectiones per Reiskianae adnotationes hic illic sparsas et quas Herwerdenus e Laurentiano in studiis suis Thucydideis (Traiecti ad Rhenum 1869) exscripsit paucas addideris, habes, quibus crisis Dionysiaca in praesens nitatur; quod fundamentum, si quidem talem lectionum farraginem fundamentum appellare fas est, nullo modo sufficere ad Dionysii textum recte constituendum quivis facile concedet.

Itaque cum in tractandis Dionysii scriptis rhetoricis maximeque iis, quae de antiquis oratoribus et historicis agunt, normam regulamque desiderarem, cum Ambrosianum D 119 sup. et Laurentianum plut. LIX 15 praestantissimos esse scirem, anno 1877 per itineris aestivi tempus Ambrosianum contuli totum[1], Laurentiani partem eam, quae de antiquis

[1] Praeter hunc optimum codicem inspexi Ambrosianum C 32 sup. Codex est chartaceus in quarto saec. XV; in folio codici praefixo le-

oratoribus est; praeterea e Laurentianis plut. LVIII 12 et plut. LX 16 lectiones ad libellum de Thucydidis idiomatis pertinentes enotavi, ex quibus eas tantum exhibebo, quae a volgata in Thucydidis verbis discedunt (cf. infra Caput III). Quattuor hos codices cum editione Tauchnitziana e Reiskiana expressa contuli. Paginarum et versuum numeri, nisi quid contra monuero, Reiskianae sunt[1].

Ceterum cum conferendi officium facilius sit, si ad alienam eiusdem codicis collationem tuam redigere possis, intricatius paullo, si primus codicem conferas, neque mirum est, quod habeo quae addam perpauca eaque levia ad Useneri Lysiacae orationis collationem, plura ad Herwerdeni epistularum ad Ammaeum I et ad Cn. Pompeium — nam eiusdem Lysiae orationum selectarum editio mihi praesto tum non fuit — et si quae oculos meos fugerunt, viros doctos aequi boni consulturos spero. Atque ut brevis sim, ad Useneri collationem ex Ambrosiano (M) addenda habeo haec[2]: Argum. vers. 8 *εἰσηγήσατο* M Useneri] *εἰσηγήγατο* M ‖ 9 *τοῖς*] *τοὺς* M ‖ 24 *ἄστεως* FT: *ἄστεος* MPAB volgo] *ἄστεος* M¹ pr., corr. *ἄστεως* ‖ 34 *ὑμ*[*εῖ*]*ς* M, *ει* in ras.] *ὑμᾶς* M¹ pr., corr. *ὑμεῖς* ‖ 55 *δ'* FPAB: *δὲ* MG volgo] *δ'* M ‖ 58 *καλὸς*: *καλῶς* M, FT] *καλῶς* M¹ pr., corr. *καλῶς* (sic). Ex Laurentiano (F) addo haec[3]:

---

guntur haec: „Aratus; Dionysii Halicarnassei quaedam de historicis et rhetoribus; Nicander cum scholiis; Lycophronis Cassandra cum prolegomenis Isaaci Tzetzae; ex libris Io. Vinc. Pinelli.“ Dionysii est veterum censura quae dicitur, incipit fol. 63 recto, praescripta habet verba *διονυσίου ἁλικαρνασέως*, quem eundem titulum in codice Parisino n. 2847 exstare testatur Grosius t. III p. 300; cf. Usener. ind. schol Bonn. p. VI. Codex est e deterioribus, quippe qui p. 417 7 cum Reiskiana concinens praebeat *παρθένους· κἂν κτλ.*; vide Grosianam t. III p. 302 13.

[1]) In sequentibus erit p. 30 = pagina 30 Reisk., pag. 30 = pagina 30 huius libelli. Praeterea moneo versuum confinia a me significari hac lineola |, foliorum rectorum et versorum hac ' ‖ [2]) Minutias adnotavi has: vers. 12 (versus sunt Useneri l. l.) *γένοιτο*, cum ras. supra *γ* M Useneri] *γένοιτο*, supra *γ* hasta crasa est paullo longior prioris litterae *ν* vocis *ἀθηναίων* vers. 11 ‖ 17 *καταλελεῖφθαι*] *καταλελεῖφθαι*, supra tertium *α* ras. ‖ *μηδ' ἂν*] *μὴ δ' ἂν*; cf. quae de hac scriptura dicam Cap. I § 3 in. ‖ 42 *καθὸ*] *καθ' ὃ* M *καθὃ* F ‖ 65 *ἀμελοῦντας*] *ἀμελοῦντα*(*ς*) ‖ 75 *οὐκ οὖν*] *οὐκοῦν* M *οὐκ' οὖν* F. ‖ [3]) Accentus spiritusque omissos

Argum. vers. 12 ///γράφει, una littera erasa F Useneri] ///γράφει una litt. eras., γ ex parte in ras. F^2 || 13 πολιτευομένων] πολιτευ^{o}μένων, ο superscr. F^2 || 14 ἐπιτηδείως] ἐπιτηδίως F^1, corr. F^2 || 22 πάσχειν] πάσχειν, ν in ras. F^1 ut vid. ||

31 |τοὺς ὑπάρχοντας πολί
|⌣ ἀπολοῦμεν οὐκ ἂν
|εμοίγε πιθώμεθα

add. F^2 in mg.] verba add. F^1 in mg.; πολί] λί F^2, λ in ras. || 35 δημοκρατήσεσθε] δημοκρατήσεσθε, alterum ε in ras. F^2 || 38 ἀποθανόντας] ἀποθανόντων F^1 pr. || 52 ἀμφοτέροις] ἀμφοτεροις (sic), ι corr. ex υ F || 73 $\overset{\theta}{\omega}$ M: ὦ ἀθηναῖοι ceteri libri] $\overset{\theta}{\omega}$ F, M.

Tenue hoc spicilegium largior excipiat eorum messis, quae Herwerdeni apparatui critico inserenda sunt. Ceterum non omnia hic apposui, quibus Ambrosianus a viri docti Batavi editione differt; elisiones neglectas[1] scribendique minutias, quibus codex a Reiskiana recedit, inter cetera eiusdem generis infra Cap. I § 3 perscribam. Herwerdeni verba, quatenus res postulare videbatur, integra adieci; quae vir doctus in adnotationibus ex Ambrosiano exscripsit, eadem qua ille nota significavi; ubi codicis nota deest, verba ex Herwerdeni textu quem vocant arcessivi.

I. Minoris momenti haec adnotavi[2]: p. 1_{2} Herw. (p. 719_{3} Reisk.) ἕν τι Herw.] ἔν τι M; cf. 33_{1} ἕνεστιν pro ἔνεστιν || 2_{15} (721_{11}) ῥητορικὰς] ῥιτορικὰς || 18 (722_{3}) πίστεων] πίστεων μαρτυρίαις, μαρτ. del. M^1 || 3_{4} (723_{2}) αὑτοῦ] αὐτοῦ || 4_{2} (724_{8}) ἔτος falsosve non noto. Levicula exscripsi haec: vers. 6 ἀρχαίαν] ἀρχαῖαν F^1 pr. || 14 γοῦν] γ' οὖν || 16 $\overset{\theta}{\omega}$] $\overset{\theta}{\omega}$, spiritus numquam additur || 25 καταδουλώσθαι F^1] καταδουλῶσθαι F^1 || 26 γένει] post γένει ras. || 30 ἀθηναῖόν (τινα) F M] ἀθηναῖον F || 37 ὀλιγαρχίας] ὀλιγ' ἀρχίας, cf. 44 ολιγαρχίας (sic), 65 ὀλίγων || 46 ὅταν] ὅτ' ἂν, cf. exempla Cap. I § 2 in. |

[1]) Hiatus uno tantum loco recte tollitur p. 731_{1} ἐνταῦθ' ὁμοίως || [2]) Paginae et versus sunt editionis Herwerdenianae, cuius praeter alios operarum errores (cf. Herw. Errata et Monenda) corrigas hos p. 7_{17} ἔχοι, l. ἔχει, p. 10_{2} ἀποδιδόναι, l. διδόναι; cf. Sauppium in „Nachrichten d. Goett. Ges. d. Wiss.“ 1863 p. 56.

ἔχων Ambr.] ἔτος ἔχον || 59 (7269) ὦνδρες Ἀθηναῖοι] ω^θ, itemque p. 12 1, 5, 8, 14, 18, 22 (737 7, 12, 15; 738 3, 8, 13) || 10 (726 10) παρίσταταί μοι] περίσταταί μοι || 22 (727 9) ἐκ Χαλκίδος] ἐν χαλκίδος || 78 (729 14) δι' αὐτῶν] δι' αὐτὸν || 17 (730 8) ἐπαγωγαῖς] ἐπαγογαῖς || 19 (730 10) διὰ τοῦ] δι' αὐτοῦ, cf. Saupp. in „Nachr. d. Goett. Ges. d. Wiss." 1863 p. 59. 60 || 81 (731 2) τὸ μὲν παράδειγμα] τὸ μὲν ἐπαγωγή ἐστι, παράδειγμα, ἐπαγωγή ἐστι del. M[1] || 6 (731 6) διὰ τοῦ δεικνύναι] διὰ τὸ δεικνύναι || 922 (734 4) Χάρητος] χάριτος, cf. Saupp. l. l. p. 56 || 105 (734 10) οὗτος] οὕτως || 10 (734 15) [5][1]) post ἐποιήσαντο in Amb. lacuna 18 fere litt.] lac. 20—22 litt. || 19 (735 7) τετρακισχιλίους] τετρακισχιλίοις || 115 (735 15) τῶν δὲ πολιτῶν ὁπλίτας δισχιλίους] τῶν πολιτῶν ὁπλίτας δεδισχιλίους (sic) || 13 (736 4) διαβαλεῖν] διαβαλεῖς || 22 (736 14) ἐκράτησε] ἐκράτισε || 23 (736 15) κατὰ Φίλιππον] καταφίλιππον || 1225 (738 18) τελευταία] τελευτέα || 27 (739 1) ὦνδρες Ἀθηναῖοι] ὦ ἀ^θ || 133 (739 5) δώδεκα] δέκα || 9 (739 12) ἄλλος] ἄλλως || 141 (740 5) αὐτῷ] αὐτῶ || 176 (745 4) παρὰ] περὶ || 18 (746 1) [8] μετ' ἐκεῖνο γὰρ, omissis vocabulis συνέβη ὁ πόλεμος, relicto tamen spatio. Amb. [9] ποίοις γ' οὖν Amb.] μετεκεῖνο γὰρ lacuna 9—12 litt. ποίους γ' οὖν || 184 (746 11) [2] ἐντετευχώς Amb.] ἐντετευχῶς || 193 (747 13) ἁρμόττη] ἁρμόττην, ν del. M[1]; cf. Saupp. l. l. p. 50 ad vers. 12 || 25 (749 8) κατεσκεύασε] κατεσκεύασαι || 217 (751 10) τἀτυχήματα] τὰ τυχήματα || 226 (753 2) Δημοσθένην] δημοσθένη, sequitur ἔπειτα || 21 (754 3) ὅσων] ὅσον || 234 (754 12) δεῖ] δὴ || 6 (754 14) τρόπος ὁ κατὰ] τρόπος | κατὰ || 252 (757 10) ἐμέμψαντο] ἐμέμψατο M[1] pr. || 20 (758 9) ἐπιτηδεύῃ] ἐπιτηδεύει || 262 (758 12) τῶν εἰς τὴν] τῶν τὴν || 4 (759 2) ὑπεριδοῦσα] ὑπεριδοῦσαν || 12 (759 11) κάκιον] κακίων || 282 (761 10) κατεσκευασμένην] κατασκευασμένην || 3 (761 11) δ' ἀμωμήτῳ] δὲ ἀμωκήτω (sic) || 6 (761 15) κατ' αὐτὸν] καθ' αὐτὸν || 13 (762 5) ἐν αὐτοῖς] ἐν τοῖς M[1] pr. || 14 (762 15) ἀλλὰ τῆς] ἄλλας M[1] pr. || 291 (762 12) γνωρίμων] γνωρίμην, ω superscr. M[2] || 304 (764 13) ὅτι] ὅτε || 14 (765 7) ἐπικινδυνοτάτων, (ἐπικινδυνοτέρων Herw.)] ἐπικινδυνωτάτων || 20 (765 12) μεγάλων] μεγάλως || 313 (766 2) Πλάτωνά]

---

[1]) Numeri his uncinis [ ] inclusi Herwerdeni adnotationum sunt.

Πλάτων ἁ M^1, *Πλάτων—ά* M^2 ‖ 33_{4} (769_{1}) *μὴ τἀὐθ,* [2] *μετὰ ταῦτα* Par.] *μὴ ταῦτα* ‖ 13 (769_{11}) *μέχρι τοῦ*] *μέχρι ποῦ* ‖ 34_{5} (770_{10}) *ἔπραξαν*] *ἔπραξεν* ‖ 35_{2} (771_{11}) *δεῖ*] *δῆ* M^1 pr. ‖ 6–7 (771_{16}) verba *ἐπὶ τῶν αὐτῶν μένει πραγμάτων κἂν τὰ μάλιστα* add. in mg. M^1 ‖ 36_{8} (773_{6}) *ἀσαφὴς*] *ἀ*$^{\alpha}$*σφὴς* M^1 ‖ 16–17 (773_{15}) verba *μεταβαίνει· αἰγυπτίων τε ἄρχεται διηγημάτων* add. in mg. M^1 ‖ 21 (774_{1}) *γενομένας*] *γενόμενα* ‖ 37_{6} (774_{12}) *κακοῖς*] *κακοὺς* ‖ 38_{1} (776_{2}) verba *μετὰ τῶν ἐπιθέτων ἀρετῶν. ἱκανῶς ἐν ταύτῃ* add. in mg. M^1 ‖ 4 (776_{5}) *ταύτην*] *ταύτην οἱ θῶν μίμησις*, verba *οἱ θῶν μίμησις* del. M^1 ‖ 16 (776_{17}) *Ἡρόδοτος*] *ἡρόδο* (sic) ‖ 41_{2} (780_{1}) *πολυωφελῆ*] *πολὺ ἀφελῆ* M^1, *πολυωφελῆ* in mg. M^2 ‖ 18 (781_{6}) *ὑπ᾽ αὐτοῦ*] *ὑφ᾽ αὐτοῦ* (sic) ‖ 19 (781_{8}) *Σικελίας*] *σικελίαν* ‖ 43_{4} (783_{2}) *οἰκονομίας*] *εἰκονομίας* ‖ 6 (783_{4}) *ἐπιμελείας*] *ἐπιμελλίας* ‖ 9 (783_{7}) *τετελεκὼς*] *τελ*$^{\tau}$*ελεκῶς*, corr. M^2 ‖ 11 (783_{9}) *πρωτεύουσι*] *προτεύουσι* ‖ 44_{12} (785_{2}) *ἔστι : τὸ ἔστιν; τὸ, ν* del. M^1 ‖ 46_{8} (787_{7}) *Σειληνοῦ*] *σιληνοῦ*.

II. Notabiliora exscripsi haec: p. 2_{8} (721_{4}) *γράψαι γε*] *γραψαι τε* (sic) ‖ 3_{2} (723_{1}) [2] *Ὑπερείδην* Amb.] *ὑπερίδην* ‖ 6_{6} (728_{5}) *Ἑρμείαν*] *ἑρμίαν*, cf. 659_{9} *Ἑρμίᾳ* ‖ 13_{18} (740_{4}) [10] *διήσουσιν. Ὁ δὲ*] *δώσουσιν* spatium 12—14 litt. vacuum *ὁ δὲ*. cf. tamen Cap. I § 4, I extr. ‖ 16_{14} (744_{1}) *Θηβαίοις* [3] Recte ita Ambros. et Demosth. l. l.] *θηβαίους* (sic) ‖ 17_{14} (745_{13}) *παρὰ τὸ ἀναίτιον, ὡς αἴτιον* [6] *παρὰ τὸν αἴτιον*, om. voc. *ὡς αἴτιον*. Amb.] *παρὰ τὸν ἀναίτιον* ‖ 16 (745_{14-15}) *μετὰ τοῦτο ὡς διὰ τοῦτο*] *μετὰ τοῦτο* ‖ *μάλισθ᾽ οἱ ἐν*] *μάλιστα ἐν* ‖ 18_{16} (747_{6}) *τὸ καλῶς*] *καλῶς*. cf. Saupp. l. l. p. 47 vers. 6, p. 48 ad eundem versum ‖ 20 (747_{10-11}) [10] omisi vocabula: *ὡς ὁ φόνου ἄξια ποιήσας πατὴρ, εἰ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἑαυτοῦ τὴν ἐπὶ θανάτῳ ἀπάγεται*, quae leguntur in codd. et edd. Absunt ab Amb. libro in mg. add. M^1 rubro (vide Cap. I § 3) *ὡς ὁ φώνου ἄξια ποιήσας πατὴρ* (per comp.) *εἰ ὑπὸ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἑαυτοῦ τὴν ἐπιθανάτω ἀπάγεται*: cf. Saupp. l. l. p. 49 ad vers. 10. Ceterum egregie hic locus illustrat, quomodo lectoris notae in posteriorum codicum textum irrepserint ‖ 19_{3} (747_{13}) *ἐνίοτε*] *ἐνίοις*, cf. Saupp. l. l. p. 50 ad vers. 12 ‖ 26_{1} (758_{11}) *ναμάτων* [1] Codices quidam

σωμάτων] σωμάτων || 26₈ (759₇) φέρεται [3] διαφέρεται Paris. εἰςφέρεται meus P(alatinus)] εἰςφέρεται || 27₁ (760₁₋₃) πλοῦτον ὀνομάτων ἐπιδεικνυμένη κενόν· ὑπεριδοῦσά τε τῶν κυρίων κἀν τῇ κοινῇ χρήσει κειμένων [1] κενόν male om. Ambros., nec melius post κυρίων supplet ὀνομάτων] πλοῦτον ὀνομάτων ἐπιδεικνυμένη· ὑπεριδοῦσα δὲ τῶν κυρίων ὀνομάτων καὶ τῇ κοινῇ χρήσει κειμένων || 10 (760₁₂) πολυτέλειά τις. [5] πολὺς ὁ τελετής cod. P[1]] πολὺς ὁ τελετὴς || 15 (761₁) Πλάτων. [9] Hic meus cod. P inserit τῆς τοιαύτης φράσεως] πλάτων τῆς τοιαύτης φράσεως || 21 (761₇) Χείρων μὲν] χείρων || 28₂ (761₁₀) καὶ δοκοῦσαν] δοκοῦσαν || 10 (762₁₋₂) ὄνομ' ἔθετο αὐτῇ διθύραμβον. [5] Cod. P τὸ διθύραμβον] ὄνομα^αμ ἔθετ αὐτὴ (sic) τὸ διθύραμβον, μ^α del. M[1] || 18 (762₁₀) [8] Legitur nempe in eo codice (i. e. in Ambr.) sic: παραδείγμα (sic) δὲ τῆς ἰσχνῆς καὶ ὑψηλῆς, etc.] παραδείγματα δὲ τῆς ἰσχνῆς καὶ ὑψηλῆς || 32₁₅ (768₄) αὐτός γε] αὐτός τε || 17 (768₅₋₆) φησιν Ἑλληνίδας πολλάς] φησὶ πολλὰς ἑλληνίδας || 33₅ (769₂) κάλλιστα. [3] μάλιστα Par. et P meus] μάλιστα || 9 (769₇) [6] προσεκδεδωκότος Amb.] προεκδεδωκότος || 34₆ (770₁₀) κἂν ἀνεπιτηδείῳ. [2] Vulgo ἐπιτηδείῳ, quod correxi praeeunte Kruegero] καὶ ἐνεπιτηδείω, cum ras. supra ε 2; quae lectio veri vestigium servavit || 10 (770₁₅) ἑτέρας [4] cod. Par. et meus cod. P ἑτέροις] ἑτέροις || 35₁₅ (772₁₀) καὶ τὰ τέρπν' ἄνθε' ἀφροδίσια [4] e cod. Paris. et meo P: καὶ τὰ τερπίθεα (sic) ἀφροδίσια exhibentibus. . . Amb. hab. τερπῖθεα (sic)] καὶ τὰ τερπίθεα (sic) ἀφροδήσια || 37₁₀ (775₁) τύπον. [5] Mox pro τύπον quidam codd. τοῦτον habent[1] τοῦτον || 15 (775₆) ὄφελος. τίς; ἥ. [8] In Cod. Ambr. ad vocabulum τι (sic habet pro τίς) in praegressis adscriptum vidi in margine λείπει] λείπει adscripsit m. rec. in mg. non ad vocabulum τι, sed iuxta ultimum fol. 48ʳ versum περὶ τοὺς (ους in ras.) λόγους ὄφελός τι// (σ eras.) ἡ καθαρὰ τοῖς ὀνόμασι || 38₆ (776₆) τά γ' (del. Herw.) ἤθη] τά τε ἤθη || 13 (776₁₄) Τῆς δὲ φράσεως [5] codex P, qui δέ omittit post τῆς]

[1] Videtur Herwerdenus in sequentibus nonnunquam aut notas Ambr. et P confudisse aut notam Ambr. addere oblitus esse.

τῆς φράσεως || 42$_{18}$ (782$_{11}$) *Ἀρχαϊκὰς* [6] **Nam neque quorundam librorum scriptura (inter quos libros est P meus) *Ἀχαϊκάς* extra dubitationem est posita etc.]** *ἀχαϊκὰς*, **et** 45$_{17}$ (786$_{12}$ *ἀχαϊκῶν* || 44$_{19}$ (785$_{10}$) *ὅ*] *ὡς ὅ*.

III. Tertio loco eas lectiones adscribam, quibus Dionysii verba aut certissime emendentur aut ita mutentur, ut vitii sedes detegatur.

p. 4$_{20}$ (725$_{12-13}$) *περὶ τῆς ἀποστολῆς ξενικοῦ στρατεύματος*	*περὶ τῆς ἀποστολῆς* ***τοῦ*** *ξενικοῦ στρατεύματος*
11$_{11}$ (736$_{3}$) *περὶ δὲ πέντε λόγους δημοσίους*. [1] **Notabili modo in Amb. haec corrupta sunt:** *περὶ δὲ λόγους δηλώσει οἷς εἰς*. **Legitur tamen sana lectio in margine.**	*περὶ δὲ λόγους δηλώσει οἷς* **textus, in mg. M¹ rubro** *πέντε δὲ λόγους δημοσίους*. **Cf. Sauppium in „Goett. gel. Anzeig.“ 1863 p. 125.**
16 (736$_{7}$) *τοὺς ἄλλους αὐτοῦ λόγους μάλιστ' εὐδοκιμοῦντας*	*τοὺς ἄλλους αὐτοῦ λόγους* ***τοὺς*** *μάλιστα εὐδοκιμοῦντας*
14$_{19}$ (741$_{9}$) *Δημοσθένους παρακαλέσαντος αὐτοὺς*	*δημοσθένους παρακαλέσαντος αὐτόν*, **sc.** *τὸν δῆμον*.
15$_{16}$ (742$_{17}$) *ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου* [6] *λόγῳ*. [6] **Addidi articulum ante** *στεφάνου*. **Cf. v. c. cap. XII:** *πλὴν ἑνὸς τοῦ περὶ τοῦ στεφάνου κτέ.*	*ἐν τῷ περὶ τοῦ στεφάνου λόγῳ*. **Alia exempla, si quidem in re certissima iis opus est, habes p. 119$_{3}$, 949$_{1}$, 1096$_{5}$.**
16$_{1}$ (743$_{7-8}$) *τὰ τότε συμβάντα διεξελθὼν, διεξελθὼν δὲ καὶ τοὺς ῥηθέντας ὑφ' ἑαυτοῦ λόγους*	*τὰ τότε συμβάντα* ***διεξελθών***, *διεξελθών*[1] *δὲ τοὺς ῥηθέντας κτλ.*
19$_{22}$ (749$_{5}$) *πολλῷ νεωτέρας*. [5] **Vulgo** *πολλῶν* **absurde.**	*πολλῷ νεωτέρας*
21$_{15}$ (752$_{4-6}$) *ἀσεβεῖν ὁμο-*	*ἀσεβεῖν ὁμολογῶ·* ***καὶ*** *εἴγε*

---

1) *διεξελθὸν* M.

λογῶ καὶ εἴγε βουληθεὶς ἐγκώμιον αὐτοῦ γράφειν ψόγους [14] τινὰς ἐγκαταπλέκω τοῖς ἐπαίνοις. [14] Ita ex ingenio rescripsi pro λόγους, omisso νόμους post ἐπαίνοις cum Amb. Ψόγους rescribendum esse iam non latuit Reiskium, cui obsecutus praeterea dedi ἐγκαταπλέκω pro συγκαταπλέκω.

βουληθεὶς ἐγκώμιον αὐτοῦ γράφειν | λόγους τινὰς συγκαταπλέκω τοῖς ἐπαίνοις· ἀδικεῖν φημὶ | καὶ παρεκβαίνειν τοὺς καθεστῶτας ἡμῖν ἐπὶ τοῖς ἐπαίνοις | νόμους. Verba ἀδικεῖν — νόμους neglexit Herw. Cf. Saupp. in „Goett. gel. Anzeig." 1863 p. 123.

23_{10} (755_{1}) κράτιστον

κρατίστου. Ceterum ni fallor plura hic interciderunt.

$_{13}$ (755_{4-5}) καταλιπὼν [ἐν del. Reisk.] τοῖς ἀναγνωσομένοις τὴν διάγνωσιν ὁπότερός ἐστι κρείττων

καταλιπὼν . . . .

. . . πότερός ἐστι κρείττων

25_{17} (758_{5}) μίγμα [9] ἑκατέρων τῶν χαρακτήρων. [9] Volgo male δεῖγμα. Quod restitui cum Kruegero, habet cod. Paris., et ita legitur in libello περὶ τῆς δεινότητος Δημοσθένους.

δεῖγμα ἑκατέρου τῶν χαρακτήρων. Codicis lectio sanissima est; cf. quae paullo infra dicam ad p. 28_{3} Herw.

26_{12} (759_{11}) καὶ γὰρ ἀηδεστέρα τῆς ἑτέρας. [5] Om. meus γάρ, et mox τῆς ἑτέρας; quod, ut verisimile est, propter τὸ ὁμοιοτέλευτον excidit.

καὶ γὰρ ἀηδεστέρα. Cf. quae infra Cap. IV dicam ad p. 541 $_{17ss}$.

28_{3} (761_{12}) ἢ γὰρ οὐδὲν τόθ' (add. Herw.) ἁμαρτάνει καθάπαξ [2] ἢ βραχύ τι κομιδῇ [3]. [2] Om. cod. P. [3] Inverso ordine κομιδῇ βραχύ τι idem cod. P.

ἢ γὰρ οὐδὲν ἁμαρτάνει ἢ κομιδῇ βραχύ τι. Καθάπαξ ἢ βραχύ τι κομιδῇ legitur de Dem. p. 968_{18}.

Verba ἢ — βραχύ τι ut in textum recipienda esse cen-

seam, qualia in Ambrosiano leguntur, haec facit causa, quod Dionysius, etsi dixit: *θήσω δ' αὐταῖς λέξεσιν ὡς ἐκεῖ* (de Dem. p. 964_{12ss}) *γέγραφα* (p. 25_{13} Herwerd.), minime verbo tenus singula transcripsit, sed eandem sententiam isdem verbis transpositis aut aliis paucioribus nonnumquam expressit: cf. e. g.

p. 760_{16} *τῆς ἐγκατασκεύου καὶ ἐξηλλαγμένης λέξεως*	p. 967_5 *τῆς ἐξηλλαγμένης καὶ ἐγκατασκεύου λέξεως*
761_3 *περὶ ἀνδρὸς*	967_5 *ὑπὲρ ἀνδρὸς*
760_{15} *μηδεὶς δέ με ταῦτα ἡγείσθω λέγειν*	967_4 *μηδεὶς δέ με τὰ τοιαῦτα ὑπολάβῃ λέγειν*
761_{15} *ταῦτα γὰρ οἵ τε κατ' αὐτὸν γενόμενοι πάντες ἐπιτιμῶσιν· ὧν τὰ ὀνόματα οὐδὲν δεῖ με λέγειν κτλ.*	968_4 *ταῦτα μέντοι καὶ οἱ κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον γενόμενοι ὡς ἁμαρτάνοντι τῷ ἀνδρὶ ἐπιτιμῶσιν· ὧν τὰ ὀνόματα οὐθὲν δέομαι λέγειν κτλ.*[1]

Accedit, quod adverbium *κομιδῇ* voci ad quam pertinet et postponitur et praeponitur, ita ut mutata collocatio *κομιδῇ βραχύ τι* nullam omnino offensionem praebeat; cf. p. 766_5 *οὐδέποτε ἢ σπανίως γε κομιδῇ.* 850_3 *κομιδῇ τινες ἦσαν ὀλίγοι.* 1113_{10} *εἴ τις εἴη κομιδῇ σκαιός.*

Eadem ratione ductus proximos tres locos ex Ambrosiano edendos censeo.

p. 28_9 (761_{17}) *Τοῦτο γὰρ δὴ τὸ λαμπρότατον.* [6] . . om. cod. P . . . *δὴ*	*τοῦτο γὰρ τὸ λαμπρότατον*
ὡς ἔοικε. [6] *ὡς ἔοικεν* om. cod. P.	*ὡς ἔοικεν* om. M, cum ABC Grosii; C add. in mg.
19–20 (762_{11}) *ἐν ᾧ τοὺς ἐρωτικοὺς διατίθεται λόγους ὁ Σωκράτης.* [9] *διατέθειται*, omissis vocabulis *ὁ Σωκράτης*, cod. Amb. et: *διατέθειται ὁ Σωκράτης λόγους* cod. P.	*ἐν ᾧ τοὺς ἐρωτικοὺς ὁ σωκράτης διατέθειται λόγους*

---

[1] cf. Cap. III part. post. I, A, ubi alia exempla congessi.

34_1 (770_4) *οὕτω* [1]. adn. [1]: Sic Reiskius quoque pro vulgato *οὔτε*.	*οὕτω*
35_{11} (772_5) *πλεῖον*	*πλέον*
$_{16}$ (772_{11}) *ἐν ἱστορίαις γραφῆς*. [5] Fortasse legendum *ἐν ἱστορίας γραφῇ*, vel cum Kruegero *ἐν ἱστορικαῖς γραφαῖς*. Minus placet, quod Reiskius coniecit *ἐν ἱστορίαις καὶ γραφαῖς*. In re incertiore nihil novavi.	*ἐν ἱστορίας γραφῇ*; cf. A. R II 30 p. 151_6 Kiessl.: *ὧν ἄν τις καὶ λόγους ποιήσαιτο ἐν ἱστορίας γραφῇ*. Simil. XII 8 p. 182_{19}.
41_8 (780_8) *παραλαμβάνειν*. [4] a Sylburgio gratus accepi *παραλαμβάνειν* pro *περιλαμβάνειν*.	*παραλαμβάνειν*
42_{10} (782_2) *ψοφοδεῶς αὐτοὺς δημηγοροῦντας καὶ ἐλλείποντας δυνάμεως κατὰ τὰς προαιρέσεις ὁμοίως ἅπαντας ποιεῖ* Herw. e coniectura.	*ἀλλὰ ψοφοδεεῖς καὶ τοὺς δημηγοροῦντας καταλείπειν τὰς δυνάμεις καὶ τὰς προαιρέσεις ὁμοίους ἅπαντας ποιεῖ*. Ante *τὰς δυνάμεις* videtur lacuna statuenda esse.
43_{16} (783_{13}) *καὶ γὰρ καὶ ἐθνῶν εἴρηκεν οἰκισμούς*	*καὶ γὰρ ἐθνῶν εἴρηκεν οἰκισμούς*
44_1 (784_8) *πολλοὺς δὲ νόμους ἀκριβῶσαι καὶ* [1] *πολιτειῶν σχήματα*. [1] *νόμους ἀκοῦσαι πολ.* codd., quam lectionem, quia neque *ἀκοῦσαι* ferri neque *καί* abesse potest, de coniectura mea mutavi.	*πολλοὺς δὲ νόμους ἀκοῦσαι πολιτῶν τε* (l. *πολιτειῶν τε*) *σχήματα*

His praemissis quodnam in hoc libello consilium secutus sim, paucis explicandum. Quattuor erunt capita, quorum primo de Florentino et Ambrosiano ita agam, ut pauca de ratione inter hos duos codices intercedente praefatus codices

describam, lectiones deinde eas, quae ad ipsius Dionysii[1]) verba pertinent, disponam atque aestimem. Secundo exponam, qualia legantur in Florentino et Ambrosiano priorum auctorum, quae apud solum fere Dionysium exstant, fragmenta, Pindari dico Thrasymachi Lysiae Isaei Dinarchi Theophrasti Philochori Demetrii Magnetis. Tertio capite. cum quaestio restet, quales ceteri auctores quos integros tenemus apud Dionysium legantur, speciminis causa de Dionysii exemplari agam Thucydidio[2]). Quarto denique proprio Marte locis nonnullis medelam afferre temptabo; in quod caput eos quoque locos delegavi, quibus codicum lectiones quamquam et ipsae depravatae sanandi ansam praebere mihi visae sunt. Ceterum non ingratum plerisque facturum me credidi, si eas quoque Florentini et Ambrosiani lectiones, quas Herwerdenus in editione Lysiae orationum selectarum primus pervolgavit, denuo exscriberem; ille enim libellus, ni fallor, et in pauciorum manibus versatur et habet, quae emendatione indigeant.

Initium facturus quaestionum non possum non ex animo gratiam referre viris doctissimis praeceptoribusque meis dilectissimis Rudolfo Schoellio et Guilelmo Studemundio, qui singulari cum benignitate et re et opera et prudentibus consiliis me adiuverunt rogantique nunquam defuerunt. Commilitones alterum Florentinum Hectorem Pais alterum Argentoratensem Hermannum Crohn, cum paucis locis de lectionibus dubitarem, summa cum comitate codices Italicos meum in usum denuo inspexisse grato animo profiteor.

---

[1]) In eadem parte etiam metaphrases locorum laudatorum sedem habere volui || [2]) De Dionysii exemplari Isocrateo quaestio, quam et ipse incohavi, a C. Fuhrio (Mus. Rhen. XXXIII 326ss) nuper occupata est; cuius ex disceptatione denuo intellexi codicem Ambrosianum rarissime e ceteris eiusdem familiae libris corrigi. De Dionysii exemplari Demosthenico quaestionem differre temporum angustiis cogor.

Caput I.

§ 1.

De ratione, quae inter Florentinum et Ambrosianum intercedit.

Dionysii de oratoribus antiquis pars prior, de Dinarcho libellus, epistula ad Cn. Pompeium, de Thucydide iudicium, de admiranda ut volgo ferunt vi dicendi in Demosthene liber, epistula ad Ammaeum prior duabus librorum familiis memoriae tradita sunt, quarum alterius antesignanus Florentinus de oratoribus antiquis partem priorem, mutilato tamen prooemio, et Dinarchum exhibet, alterius princeps Ambrosianus excepto Dinarcho quae nominavi omnia; qui praeterea in iudicium vocandi sunt Palatinus Vaticanae n. 58 (P) et Parisini A n. 1657 B n. 1742 ex eodem cum Ambrosiano archetypo fluxerunt, ita tamen, ut operum ordo in PA immutaretur, et in altero Parisino iudicium de Thucydide periret, cuius iacturae non minus quam permutationis illius causas rectissime Usenerus explicavit in annal. philol. 1873 p. 150, ad quem lectores delegasse satis habeo. Eidem, quod Florentinum falso olim codicum MPAB archetypum a se habitum esse statuit (l. l. p. 154), prorsus adsentior. In ceteris vero, quae de duarum familiarum necessitudine dixit, paullo longius progredi posse mihi videor; in quo si propter fidem aetatemque neglectis ceteris eiusdem familiae codicibus solus Ambrosianus Florentino opponitur, et simplicior quaestio fit et utilior.

Iudicium de ratione, quae inter Florentinum et Ambrosianum intercedat, ex Ambrosiani nonnullis lacunis spatio vacuo relicto significatis pendet. Florentinus etsi eis locis continuum textum praebet, duobus certe ipsis adnotationum reliquiis archetypi lacunam indicat. Habes enim p. 570sss = Isocr. de pace § 12 haec

in Florentino:	in Ambrosiano:
θαυμάζω δὲ τὰ τῶν πρεσβυτέρων εἰ μηκετι μνημονεύουσι,	θαυμάζω δὲ τὰ τῶν πρεσβυτέρων εἰ μηκέτι μνημονεύουσι

τὰ τῶν νεωτέρων[1]) εἰ μηδ' ἑνὸς ἀσύναπται δια μεν γὰρ τοὺς παραινοῦντας τῆς εἰρήνης οὐθὲν πώποτε οὐδ' ἐλλειπῆ ἐπάθομεν.	τὰ τῶν νεωτέρων εἰ μηδενὸς lac. 10—12 litt. | 7—9 litt. διὰ μὲν γὰρ τοὺς παραινοῦντας lac. 13—15 litt. οὐθὲν πώποτε lac. 13—15 litt. ἐπάθομεν.

Luculentus profecto locus est et qui plura certissime docere nos possit.

1. Ambrosiani exemplaris idem fuit archetypus atque eius, ex quo nescio quis librum de compositione verborum, de antiquis oratoribus partem priorem, libellum de Dinarcho transcripsit et cum ceteris operibus, quae nunc Florentino continentur (cf. pag. 32), coniunxit; ex eo libro per nonnullos gradus ni fallor Florentinus fluxit. Florentinum autem dico primam codicis manum; nam de manu secunda aliter iudicandum est; cf. quae infra dicam. Lacunarum nempe communitas communem originem arguit. Nimirum latet in verbo ἀσύναπται lectoris alicuius nota ἀσύναπτα, quam cur apposuerit, Ambrosiani lacuna monstrat. Perierunt enim Isocratis verba ἀκηκόασιν ὅτι, quibus quod in Ambrosiano iusto (12 litt.) maius spatium (17—21 litt.) destinatum est, nihil hoc ad rem facit. Erat autem in eo quoque codice, unde Florentinus derivatus est, spatium vacuum relictum; nam verbum ἀσύναπτα aut in ipso hoc spatio lector aliquis scripserat aut, quod verisimilius est, cum in margine apposuisset, librarius deinde, qui novum exemplum ex eo transcripsit, hoc verbo lacunam recte expleri ratus in textum recepit. Neque enim casu factum est, ut vox ἀσύναπται Ambrosiani lacunae responderet. Idem docent verba οὐδ' ἐλλειπῆ, e quibus facile quivis notam λείπει eliciet; Ambrosiani autem spatium vacuum — periit vox κακόν — cur haec nota addita sit, diserte indicat. Ac ne quis ea de re dubitet, interpolata particula (διὰ μὲν) γὰρ certissimo documento est hiatus illos in archetypo fuisse; alioqui enim addi non potuit.

---

1) verba εἰ — νεωτέρων add. F² in mg.

2. Archetypi vitia in Ambrosiani exemplari iniuria temporum novis vitiis cumulata sunt, quibus Florentinus, utpote qui ducentos fere et quinquaginta annos ab Ambrosiano distet, deformatus non est. Probant hoc verba *τῆς εἰρήνης* in Florentino servata, quamquam in eo et ipso verbum *ἀντέχεσθαι* lacuna non significata periit. Ambrosianus, etsi non solum verbo *ἀντέχεσθαι* sed etiam *τῆς εἰρήνης* caret, in eo tamen maiorem fidem praestat, quod tribus illis locis spatium vacuum relictum est; unde hoc quoque non improbabiliter colligas apographum archetypi illud, ex quo Ambrosianus fluxit (*a*), diligentius transcriptum esse quam illud, quod Florentinus refert (*f*). Quam coniecturam ex uno hoc loco ductam codicum lectionum examen minime fallet; nam ut hoc statim praecipiam, codicis Ambrosiani etsi saeculo XV demum exarati plura sunt propria bona quam Florentini saec. XII.

Ceteri qui huc pertinent loci quamquam non pariter quaestioni lucem affundunt, habent tamen et ipsi, quo codicum necessitudinem illustrent.

P. 608$_{5ss}$ exhibet

Florentinus ita:	Ambrosianus ita:
καὶ εἰ μεν εὖ τε τῶι λόγωι πιστεύειν· εἰ δε μη, νῦν παράσχεσθε μάρτυρας, εἴ τι ψεῦδος ἦν ὧν ἐλογισάμην αὐτῆς.	*καὶ εἰ μενεῦτε* (ras. supra *ε* 1) lac. 9—10 litt. *τῶ λόγω πιστεύειν· εἰ δὲ μὴ, νῦν παρέσχεσθε μάρτυρας· εἴ τι ψεῦδος ἦν ὧν ἐλογισάμην αὐτῆς.*

Ambrosianus lacunam in Florentino perperam oblitteratam accurate servavit.

P. 579$_{6ss}$ = Isocr. trapez. § 4 habes

in Florentino:	in Ambrosiano:
ἐπεθύμησεν ἀποδημησαι. ἐπιδημήσας δὲ ὁ πατήρ μου δύο ναῦς ποῦ (l. *σίτου*) *καὶ χρήματα δοὺς ἐξέπεμψεν ἅμα κατεμπορίαν καὶ θεωρίαν.*	*ἐπεθύμησεν ἀποδημῆσαι* | lac. 16—18 litt. *ὁ πῆρ μου δύο ναῦς που* (l. *σίτου*) *καὶ χρήματα δοὺς ἐξέπεμψεν ἅμα κατ᾽ ἐμπορίαν καὶ θεωρίαν.*

Vide, quaeso, quam temere vox *ἐπιδημήσας* in Florentino interpolata sit; est enim Isocratis genuinum *γεμίσας*. Inde Florentini lectionis fides auctoritasque etiam p. 547$_{3ss}$ corruit, ubi

ita in Florentino est:

τῶν μὲν ἄλλων, ἐφ οἷς ἐὰν ἀνθρωπίναις (alterum α in ras. F[1]) τοῦ δὲ πλούτου καὶ ἀρχῆς καὶ δυναστείας πολλάκις τοὺς εχθροὺς συμβαίνει (αι in ras. F[1]) γίνεσθαι κυρίους,

in Ambrosiano ita:

τῶν μὲν ἄλλων ἐφ' οἷς lac. 19 litterarum τοῦ δὲ πλούτου καὶ ἀρχῆς καὶ δυναστείας πολλάκις τοὺς ἐχθροὺς συμβαίνει γίνεσθαι (inter ει et γί litt. ν eras.) κυρίους,

τῆς δὲ ἀρετῆς καὶ τῆς παρὰ τοῖς πλήθεσιν εὐνοίας τοὺς οἰκείους ἑκάστου κληρονομεῖν.

Ambrosiano archetypum exprimi probat particula δὲ, quae propter sententiam ferri nequit, pro τε interpolata, quod volgata e nescio cuius coniectura praebet; nam particula δὲ quin post lacunam demum ortam addita sit, dubium non est. Florentinus cum et ipse δὲ pro τε habeat, vel eo verba ἐὰν ἀνθρωπίναις non temere solum, sed etiam insano modo intrusa esse probat. Recte autem H. Wolfius lacunam explevit, cum scriberet τῶν μὲν ἄλλων, ἐφ' οἷς ⟨χαίρουσιν οἱ πολλοί,⟩ τοῦ τε πλούτου καὶ ἀρχῆς καὶ δυναστείας, suadente hoc ipsum et summopere commendante Ambrosiani lacuna 19 litterarum.

Alii praeterea loci id, quod alterum posui, probant contraxisse Ambrosiani exemplar novas labes praeter veteres archetypi.

P. 570_{14ss} = Isocr. de pace § 12 legitur

in Florentino:

ἀλλ' ἑτοίμως ἔχομεν, μηδεὶς τὸ πρόσθεν ἡμῖν αὐτοῖς πράττοντες τριήρεις πληροῦν.

in Ambrosiano:

ἀλλ' ἑτοίμως ἔχομεν μὴ δ' εἰς τὸ πρόσθεν ἡμῖν αὐτοῖς lac. 13—15 litt. τριήρεις πληροῦν.

P. 574_{11ss} = Isocr. de pace § 43 habes

in Florentino:

οἳ τοσοῦτον ἀπολελείμμεθα καὶ τοῖς ἔργοις καὶ ταῖς διανοίαις τῶν κατεκεῖνον τὸν χρόνον γινομένων ὅσον οἱ μὲν

in Ambrosiano:

οἳ τοσοῦτον ἀπολελείμμεθα καὶ τοῖς ἔργοις καὶ ταῖς διανοίαις τῶν κατ' ἐκεῖνον [1]) ' τὸν χρόνον γενομένων ὅσον οἱ μὲν

---

1) ἐκεῖνον τῶν, del. τῶν M[1].

ὑπὲρ ταύτης φροντίζομεν· ἐὰν[1]) γὰρ ἀκούσαντες γνώσησθε[2]) καὶ περὶ τῶν ἄλλων· ὥστε θανάτου τῆς ζημίας ἐπικειμένης ἐάν τις ἁλῷ δὲ καὶ ζῶν[3]) τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν.

ὑπὲρ τῆς lac. 8—10 litt. | 6—8 litt. φροντίζομεν lacuna 26—28 litt. | 40—44 litterarum | καὶ τοὺς τοῦτο φανερώτατα ποιοῦντας στρατηγοὺς χειροτονοῦμεν.

Iam in archetypo interciderunt post ὑπὲρ τῆς vers. 5 Ambr. ea, quae Dionysius alio loco ex exemplari suo Isocrateo dedit p. 1002_{16} = § 43_{3} ὑπὲρ τῆς τῶν Ἑλλήνων σωτηρίας — p. 1005_{16} = § 50_{3} τῆς δυσγενείας ⟨πλείστους δὲ τιθέμενοι νόμους οὕτως ὀλίγον αὐτῶν⟩. Nimirum cum folium aliquod versum ultima habuisset verba haec ὅσον οἱ μὲν ὑπὲρ τῆς, proximum folium totum nescio quo casu periit; folium, quod sequebatur, incipiebat a verbo φροντίζομεν vers. 6. Spatio, quod in Ambrosiano ante vocem φροντίζομεν vacuum relictum est, scriba, ni fallor, qui plura intercidisse sensisset, lacunam significari voluit. Post verbum φροντίζομεν archetypi litterae evanidae fuisse videntur, quo factum est, ut, cum is qui apographum *f* confecit litteras adhuc cognovisset, is qui alterum apographum *a* scripsit litteras distinguere iam non posset; quare in codice spatium eis vacuum destinavit. Ceterum in Florentino ut aliquo modo oratio procederet, ἓν temere mutatum est in ἐάν, γνώσεσθε in γνώσησθε. Sed ne Ambrosianus quidem interpolatione caret — est enim hoc librorum κοινόν τι πάθος — cum particula καὶ vers. 7 ante τοὺς intrusa sit.

P. 583_{4ss} laudantur Isocratis verba ex Trapezitico § 12_{1ss}

in Florentino ita:

ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ προσελθὼν ἐπεζήτουν αὐτόν, ἡγούμενος ελεγεν αὐτοῦ τὸ σαφεστερον γεγενῆσθαι περὶ ὧν ἐνεκά-

in Ambrosiano ita:

ἐπειδὴ δὲ ἐγὼ προσελθὼν ἐπεζήτουν αὐτόν, ἡγούμενος lacuna 16—19 litt.[4]) σαφέστερον γενήσεσθαι περὶ ὧν ἐνε-

[1]) ἓν Isocr. codd. || [2]) γνώσεσθε iid. || [3]) δεκάζων iid. || [4]) Praeter rasuram 11 litterarum spatium vacuum est 5—8 litterarum.

λουν, λέγει λόγον δεινότατον κτλ.	*κάλουν, λέγει λόγον δεινότατον κτλ.*

Isocratis verba *ἔλεγχον ἂν τοῦτον* cum in ipso archetypo obscurata essent, in altera familia prorsus omissa sunt; quod num in ipso apographo *a* an in alio eiusdem generis exemplari factum sit, non attinet quaerere; in altera vestigia servata sunt, quae vides, *ελεγεν αὐτοῦ τό.* Praeterea notes *σαφέστερον* errore pervolgato e *σαφέστατον* corruptum esse. Verbum Florentinus recte servavit *γεγενῆσθαι*; Ambrosiani lectio *γενήσεσθαι* librarii culpa ex illa orta est.

P. 466_{6}ss leguntur

haec in Florentino:	in Ambrosiano haec:
ἐπιζητήσει τε οὐθὲν εἰκός, τοὺς μεν ἄνδρας αἰτοῦσα εἰ ταθείη[1]) *τοὺς δὲ̀ διανοηθῆναι τοὺς δὲ̀* [2]) *εἰπεῖν.*	*ἐπιζητήσει τὲ οὐθὲν εἰκὸς· τοὺς μὲν ἄνδρας αἰτοῦσα*[3]) lac. 13—15 litt. *τοὺς δὲ διανοηθῆναι τοὺς δὲ εἰπεῖν.*

Idem habes atque proximo loco. Verba Florentini corrupta et Ambrosiani lacuna archetypi corruptelam indicant simulque communem utriusque codicis fontem.

His quos apposui locis ea quae supra contendi satis probata esse puto. Quin etiam in minutiis codices aut consentiunt aut ita dissentiunt, ut ipsa dissensio necessitudinis documentum sit. Ut alios accentuum spirituumve contra volgatam consensus hic omittam[4]), habes p. 626_{12} *οὐθενός* M, *οὐθ' ἑνός* acut. corr. e gravi F[1]: *οὐθενὸς* volgo || 462_{5} *δια χειρός* F *διαχειρὸς* M || 474_{1} *ἐπι κινήσεως* F *ἐπικινήσεως* M || 540_{15} *δια παντὸς* F *διαπαντὸς* M || 603_{1} *ἐν αμφισβητήσει* F *ἐναμφισβητήσει*, supra *α* ras. M || 608_{8} *ἐξ επερωτήσεως* F *ἐξεπερωτήσεως* M ||

---

1) *ταθείη*, ras. supra *α* || 2) *τοὺς δὲ̀* corr. F[2] ex *τούςδε* || 3) *αἰτοῦσα///*, fuit *ι* || 4) Cf. praeterea p. 460_{9} *ἔχοι τίς* FM || 477_{13} *ὡς εἰσὶν* ; 485_{3} *ὥσπέρ ἐστιν* || 490_{11} *ἄλλό τι* F, *ἄλλό τις* M || 538_{1} *ὀλίγον τί* || 546_{11} *μᾶλλον εἰσι* || 15 *καί* (*και* F) *φησί* || 550_{1} *ἡγεῖσθαι φησὶ* || 551_{18} *τὸν δε: τόνδε* volg. || 554_{2} *ἐπικουρία τίς* || 560_{7} *φιλόσοφος φησίν* || 576_{16} *περιφέρεσθαι φησὶν* || 584_{17} *ἔχει τί* || 591_{16} *ἀρχαίων τίς* || 594_{4} *Λυσία τίς* , 596_{5} *ἰδιώτης τίς* || 605_{2} *γενέσθαί* (*γενεσθαί* F) *τε* || 607_{1} *ἁπλούστερος τίς* 614_{9} *ἀποτομαῖς τισὶ.* — p. 453_{13} *πανηγυρικούς, ἐρωτικούς* || 454_{1} *ὑπερβολήν* || 8 *κανών* || 482_{13} *θαυμαστή* || 13 *ἰσχυρούς* || 486_{7} *καιρούς* || 535_{3} *ἐναργὲς* || 540_{3} *ψυχρός* || 544_{8} *φησίν* || 585_{15} *καταφανὴς* || 589_{16} *ἀφελὴς*.

614_5 *προ δίκης* F *προδίκης* M ‖ 615_4 *περι πασῶν* F *περιπασῶν* M ‖ 586_1 *διατοῦτο* F *δια τοῦτο* M ‖ — p. 556_4 *εώρων* F¹ *ἑώρων* M *ἑώρων* F² ‖ $_{10}$ *ηγούμην* F *ἠγούμην* M (alibi recte *ἑώρων*, *ἡγούμην*) ‖ 611_{17} *προσαγνόθεον* F *πρὸσ ἀγνόθεον* M ‖ 463_{13} *οὔτως* F¹ pr., corr. *οὕτως*; *οὗτος* M ‖ 537_2 *περὶποιησάμενος*, gravem del. F¹; *περὶποιησάμενος* M ‖ 593_1 *Εὐμαθοὺς*, (sine spiritu) F, M: *Εὐμαθοῦς* volgo; debet esse *Εὐμάθους*, cf. Saupp. orat. Att. II p. $236^a{}_{31}$. Sunt sane hae minutiae, sed quae codicum necessitudine cognita non omni momento careant et sententiam nostram fulciant. Est autem eius summa haec: Florentinus, quatenus Dionysii scripta continet, et Ambrosianus per varios propagationis gradus ex eodem archetypo fluxerunt. Florentinus, qui ex apographo neglegentius scripto originem duxit, tamen cum Ambrosiano vetustior sit plus quam ducentis annis, nonnulla recte servavit. Ambrosianus ex apographo diligentius scripto pendens etsi multo quam Florentinus est recentior, tamen propria bona plura habet.

Iam videamus, quale fuerit archetypum, ad quod deferimur. Continebat illud librum de compositione verborum, de oratoribus antiquis partem priorem, Dinarchum, epistulam ad Ammaeum priorem, de Thucydide iudicium, de Demosthenis dictione librum, epistulam ad Cn. Pompeium; haec enim scripta Florentino et Ambrosiano comprehenduntur. Sed cavendum ne erremus. Iudicio de Thucydide titulus praefigitur in Ambrosiano hic: *Διονυσίου Ἁλικαρνασέως ἔτι περὶ Θουκυδίδου πλατύτερον*. Inde sequitur libellum de Thucydidis idiomatis in archetypo ante iudicium de Thucydide locum habuisse.

Fuit igitur quondam codex, quo praeter artem et veterum censuram scripta Dionysii rhetorica quae quidem hodie exstant omnia continebantur.

Quod si forte documento indiget, luculentum testimonium habes hoc: Ad p. 1060_{14}, p. $1061_{4,\,9}$ de Dem., ubi Dionysius de virtutibus disserit, quibus in unoquoque dictionis genere Demosthenes ceteros oratores superet, a rubricatore in Ambrosiani margine adscriptum est *ἐν τῶ ἁδρῶ* p. 1060_{14},

ἐν τῷ ἰσχνῷ p. 1061₄, ἐν τῷ μέσῳ ibid. ₉, et p. 1069₁ c. 38, ubi de austera harmonia Dionysius verba facit plurima ille quidem repetens ex libro de c. v. p. 147₁₃ss c. 22, in margine exstat ὁ ἁδρός sc. χαρακτήρ. Haec quin e Dionysio sumpta non sint, dubitari nequit; nam constanter ille sublime dicendi genus appellat ὑψηλὸν χαρακτῆρα, nunquam ἁδρόν. Quid quod in omnibus Dionysii scriptis rhetoricis vox ἁδρός semel tantum de c. v. p. 29₈ occurrit? De cuius loci integritate infra videbimus. Quid igitur? Forte fortuna factum est, ut in epitomae libro Darmstadiensi p. XXI 28 Han. hoc scholion diem ferret: ὁ δὲ Πλούταρχος τὸ μὲν, τῆς συνθέσεως ἁδρὸν· τὸ δὲ, ἰσχνὸν· τὸ δὲ, μέσον καλεῖ, quod quin in epitomae archetypo fuerit, dubium non est; cf. Hanovium p. IIII. Hoc scholion quod ei ipsi capiti libri de c. v. 22 — huic enim epitomae locus respondet — adiectum est, ex quo Dionysius verba c. 38 de Dem. repetiit, ad quod caput et ipsum ὁ ἁδρός adscriptum esse vidimus, casui nullo modo tribui potest; immo verba priore loco laudata ἐν τῷ ἁδρῷ, ἐν τῷ ἰσχνῷ, ἐν τῷ μέσῳ eodem ordine exhibita atque in scholio illo flagitant et epitomae scholion et Ambrosiani in libro de Demosthene notas ab eodem olim rhetore profecta esse. Epitoma autem tum, cum rhetor ille florebat, nondum confecta erat. Vide, unde hoc efficiatur. De c. v. p. 29₈ Plutarchi ille sectator ad ὑψηλά adscripserat ἁδρά, quae vox deinde in Dionysii verba male intrusa est (vide, quae infra dicam). Iam cum eadem in epitoma p. VIII 23 legatur, sequitur librum de c. v. post illius aetatem in breviorem formam redactum esse. Plutarcheus igitur ille rhetor scholion de quo agitur in pleno integroque Dionysii codice adscripsit inque eodem, cum similia in libro de Demosthene recurrerent, locis supra laudatis easdem fere notas adiecit. Idem igitur fuit codex quo liber de c. v. et de Demosthenis dictione iudicium continebantur. Certo autem ea, quae Ambrosianus exhibet, in illo codice fuerunt. Inde sequitur, quia Florentini et Ambrosiani idem fons est, eum ipsum codicem, quem modo enucleavimus, utriusque libri archetypum fuisse. Iam vero quoniam

scholion illud ὁ δὲ Πλούταρχος κτλ. et in Florentini archetypo exstitit et in eo codice, ex quo brevior libri de c. v. forma deducta est, sequitur idem esse Florentini et epitomae archetypum. Idque notabilem in modum vel iis lectionibus confirmatur, quibus Usenerus caput XIV de c. v. in indice schol. Bonn. instruxit. Saepius enim E F soli inter se contra reliquos codices consentiunt; exempla habes haec: vers. 12 μετὰ μὲν φωνηέντων EF: μετὰ φωνηέντων μὲν E[m] μετὰ μὲν τῶν φωνηέντων RPGs μετὰ τῶν φων. M || καὶ EF: τε καὶ RPGMs || 23 τῆς RPGs: παρὰ τῆς FE ἀπὸ τῆς M || 25 τὰ μὲν PGMs: καὶ τὰ μὲν R καὶ τὰ FE || 31 μὲν τὸ ᾱ EF τὸ μὲν ᾱ M: τὸ ᾱ RPGs || 33 γλώττης EF: γλώσσης RPGMs || 37 κροῦσις R: κρίσις EF etc. || 46 τούτων δὴ EF τούτου δὴ R[b]: δὴ τούτων PGMs τούτων R[a] || 51 τοὺς ῥώθωνας RPGMs: τὸν ῥώθωνα EF || 53 προσαγομένης R προαγομένης EF: προσαναγομένης Ps etc. || 57 δ' EF: δὲ RPG Ms; item 62 || 61 ἀλόγου RPGMs: ἀλάλου EF || 63 τοῦτο καὶ EF: τοῦτο PGs etc. || 65 κίβδαλον PGMs: κίβδηλον EF etc. || 70 καλουμένων om. EF || 76 ἄλλα λέγεται PGMs ἄλλα ἄκρα λέγεται R: λέγεται ἄλλα EF. Ad hos addas quinquaginta fere locos in uno hoc capite enotatos, quibus EF cum aliis codicibus contra hos vel illos consentiunt. Hos locos sententiae, quam de archetypi condicione et de ratione inter Florentinum et Epitomam intercedente concepimus, satis firmo munimento esse quivis facile concedet. Itaque quae Usenerus dixit p. VIII ind. schol. „cum archetypon, unde brevior forma deducta est, libros superstites vetustate longe superet, maximam oportet esse epitomae auctoritatem" in eo corrigenda sunt, quod epitomae si originem respexeris, non maior est auctoritas quam Florentini, cum ex eodem archetypo utraque forma fluxerit.

De archetypi aetate tum demum certius aliquid statui poterit, si de tempore quo epitoma confecta sit constabit. Ex iis, quae Usenerus dixit p. VIII adn. 7, conicias Florentini Epitomaeque atque Ambrosiani archetypum saeculo quinto scriptum fuisse.

Ceterum ex iis, quae exposui, scholiis quoque Ambrosiani

(cf. infra § 3) lux affunditur; quae sicuti illa, a quibus profecti sumus, iam in archetypo fuisse putanda sunt.

Redeo nunc ad illum locum, quem paullo supra significavi de c. v. p. 289· *καί μοι δοκεῖ τις οὐκ ἂν ἁμαρτάνειν εἰκάσας αὐτὴν τῇ Ὁμηρικῇ Ἀθηνᾷ. ἐκείνη τε γὰρ τὸν Ὀδυσσέα τὸν αὐτὸν ὄντα ἄλλοτε ἀλλοῖον ἐποίει φαίνεσθαι, τοτὲ μὲν ῥυσὸν καὶ μικρὸν καὶ αἰσχρὸν . . . τοτὲ δὲ . . .*

μείζονά τ' εἰσιδέειν, καὶ πάσσονα, κὰδ δὲ κάρητος
οὔλας ἧκε κόμας . . .

αὕτη τε (ἡ σύνθεσις) τὰ αὐτὰ λαμβάνουσα ὀνόματα τοτὲ μὲν ἄμορφα καὶ πτωχὰ καὶ ταπεινὰ ποιεῖ φαίνεσθαι τὰ νοήματα, τοτὲ δὲ ὑψηλὰ καὶ πλούσια καὶ ἁδρὰ καὶ καλά. Iam supra monui vocem *ἁδρός* hoc uno loco apud Dionysium legi. Videamus cetera. Membrorum responsionem a Dionysio diligenter observari certum est (cf. quae infra Cap. IV dicam ad p. 4461 et ad p. 44617); duo cola ex ternis commatis componuntur *τοτὲ μὲν ῥυσὸν καὶ μικρὸν καὶ αἰσχρόν, τοτὲ μὲν ἄμορφα καὶ πτωχὰ καὶ ταπεινά*; tertium ex quattuor constans suspicionem movet. Quaerendum igitur est, quodnam membrum spurium videatur. Structura singulorum commatum paullo artificiosior est:

ἄμορφα πτωχά ταπεινά ὑψηλά πλούσια ἁδρά καλά

Ultro damnatur vox *ἁδρά*. Conferas denique, de quo loco iam dixi, p. 106013 *δοκεῖ δή μοι τῶν μὲν ὑψηλῇ καὶ περιττῇ καὶ ἐξηλλαγμένῃ λέξει κεχρημένων κτλ.*: in mg. *ἐν τῷ ἁδρῷ*. Nihil inde certius quam hoc, vocem *ἁδρά* ab eo quem nosti rhetore Plutarchi doctrinae gnaro ad *ὑψηλά* adscriptam fuisse, nec mirum, cum verbum *ὑψηλός* ibi primum occurreret. Deinde, ut fere fit, particula *καί* arcessita in textum irrepsit.

Sed iam redeundum est ad ea, quae supra statui: fuisse quondam codicem, quo exceptis arte et veterum censura scripta Dionysii rhetorica quae quidem hodieque supersunt omnia comprehenderentur.

Veterum censura, h. e. excerptum ex libro de imitatione secundo, quod in hoc corpus recepta non est non mirabimur,

cum id fere sollemne sit, ut aliis libris epitomae, aliis quae supersunt opera integra contineantur.

Maioris momenti hoc est, quod ars, si quid video, in illo corpore non exstabat. Neque enim hoc obici potest, quod in aliis codicibus ars cum libro de compositione verborum coniuncta legitur. Quod argumentum tum demum fidem haberet, si codices, in quibus praeter artem liber de c. v. est, e Florentini archetypo pendere probatum esset; eiusmodi tamen codices non exstare Usenerus demonstravit ind. schol. Bonn. p. IV, VII; VI. Parisino enim bibl. publ. n. 1741 et Marciano n. 508 necessitudo cum Florentino est nulla.

Alterum autem vitium, ni fallor, restat. Nam postquam eloquentia ex Asia profecta certis Mysiae Phrygiae Cariae regionibus accuratius significata est, ineptissime additur *ἢ βάρβαρον* appellativum ad nomina propria, notio latissime patens ad alias ipsa comprehensas, ieiuna eadem post Asiam appellatam et prorsus supervacua. Accedit quod ternorum membrorum responsio *Ἀττική*, *ἀρχαία*, *αὐτόχθων*: *Μύση*, *Φρυγία*, *Καρικόν* verba *ἢ βάρβαρον* damnat. Ne multa, *ἢ βάρβαρον* glossema est adscriptum ad verba *ἢ Καρικόν*. Sane Cares *βαρβαροφώνους* inde ab Homero praeter ceteros esse barbaros habitos cum alii loci docent tum illi, quos Theodorus Bergkius laudavit „Griechische Literaturgeschichte“ p. 34. 45.

p. 447 17ss *Καὶ οὐ καθ' ἓν ἴσως τοῦτο μόνον ἐπαινεῖν τὸν παρόντα χρόνον καὶ τοὺς συμφιλοσοφοῦντας ἀνθρώπους ἄξιον, ὅτι τὰ κρείττω τιμιώτερα ποιεῖν τῶν χειρόνων ἤρξατο . . . ἀλλ' ὅτι καὶ ταχεῖαν τὴν μεταβολὴν καὶ μεγάλην τὴν ἐπίδοσιν αὐτῶν παρεσκεύασε γενέσθαι* M: *ἤρξαντο* R. Verba tradita *ἤρξατο* et *παρεσκεύασε*, quae certissime ad unum tantum substantivum (*τὸν παρόντα*) *χρόνον* redeunt, cetera verba, quibus illud coniunctum legitur, *καὶ τοὺς συμφιλοσοφοῦντας ἀνθρώπους* in gravissimam suspicionem vocant, neque dubito, etiamsi nihil aliud accederet, vel ob hanc causam spuria ea iudicare. Neque enim hoc ad defendenda ea proferre licet fieri posse, ut verba finita ad solum substantivum *χρόνον* referantur, quippe quod in hac parte maioris momenti sit quam *οἱ συμφιλοσοφοῦντες ἄνθρωποι*; nam talis structura vix Graeca est, Dionysii certe non est. Difficultatem infimae aetatis aliquis lector satis perspexit, cum *ἤρξαντο* pro *ἤρξατο* scriberet; idem vero quod *παρεσκεύασε* reliquit, et ipse singularem verborum numerum genuinum esse probat. Pugnant autem verba *καὶ τοὺς συμφιλοσοφοῦντας ἀνθρώπους* non solum cum grammatica ratione, sed cum tota etiam prooemii dispositione, quam ipse Dionysius cap. 1 in. significat Tres enim sunt partes, quarum prima

praesenti aetati gratiam habet, quod res mutet melioresque reddat (p. 449₁₄ *τὸ μὲν εὐχαριστεῖν τῷ μεταβάλλοντι τὰ πράγματα χρόνῳ*); ea capitibus I et II comprehenditur. Altera ei laudantur, qui dedita opera in litteras studiaque humaniora incumbant (p. 449₁₅ *τὸ τοὺς τὰ κράτιστα προαιρουμένους ἐπαινεῖν*); haec finitur p. 449₉. Tertia propter felicem celeremque verorum studiorum progressum spem profitetur fore ut Asiana illa eloquentia non diutius quam unam aetatem duret (p. 449₁₆ *τὸ τὰ μέλλοντα ἐκ τῶν γεγονότων εἰκάζειν*). Paucis absolvit hanc partem p. 449₉₋₁₃. Verba igitur *τοὺς συμφιλοσοφοῦντας ἀνθρώπους*, si quidem genuina essent, in altera parte exstare omni modo debebant: nunc vero ipse locus quo leguntur spuria ea esse arguit. Idem capitis secundi ineuntis enuntiatorum ratio probat: vers. 10 *ὁ καθ' ἡμᾶς χρόνος . . . ἀπέδωκε τῇ μὲν ἀρχαίᾳ καὶ σώφρονι ῥητορικῇ τὴν δικαίαν τιμὴν ἣν καὶ πρότερον εἶχε καλῶς ἀπολαβεῖν· τῇ δὲ νέᾳ καὶ ἀνοήτῳ παύσασθαι δόξαν οὐ προσήκουσαν καρπουμένῃ καὶ ἐν ἀλλοτρίοις ἀγαθοῖς τρυφώσῃ. καὶ οὐ καθ' ἓν ἴσως τοῦτο μόνον ἐπαινεῖν τὸν παρόντα χρόνον . . . ἄξιον.* Nihil posse omnino praeterea addi aut, si quid hoc loco addatur, tum priore quoque adiciendum quivis opinor facile concedet. Tollamus igitur verborum *τὸν παρόντα χρόνον* ineptum interpretamentum *τοὺς συμφιλοσοφοῦντας ἀνθρώπους. Καὶ* autem particula, ut fere fit, ab eo, qui illa verba in textum recepit, addita est.

p. 450₉ss *Ἐγὼ γοῦν οὐδεμιᾷ τοιαύτῃ περιτυχὼν οἶδα γραφῇ πολλὴν ζήτησιν αὐτῶν ποιησάμενος. οὐ μὲν δὴ διαβεβαιοῦμαί γε ὡς δὴ καὶ σαφῶς εἰδώς. Μὲν δή* non recte legitur; nam praeterquam quod locutio *μὲν δὴ — γε* nusquam nisi hoc uno loco occurrit, non tam consecutiva quam restringendi notionem continens particula desideratur. Itaque scribo: *οὐ μέντοι διαβεβαιοῦμαί γε ὡς δὴ καὶ σαφῶς εἰδώς*, cl. p. 464₉ *οὐ μέντοι διαβεβαιοῦμαί γε ὁπότερος ἦρξε τῆς ἀρετῆς ταύτης κατὰ τὸ παρόν.* Alia huius locutionis exempla habes haec: p. 196₉ *οὐ μέντοι προσήκει γ' ἔμμετρον οὐδ' ἔρρυθμον αὐτὴν εἶναι δοκεῖν.* 584₃ *οὐ μέντοι παντάπασί γε τὴν Ἰσοκράτειον ἀγωγὴν ἐκβέβηκεν.* 626₆ *οὐ μέν-*

τοι τέλειόν γε ἐν οὐδεμιᾷ τούτων τῶν ἰδεῶν. Ceterum praeter hunc locum particularum μὲν δή et μέντοι confusarum duo praesto sunt exempla e codicibus sumpta p. 588₉ μὲν δὴ FMV: μέντοι R; 626₁₇ μὲν δὴ FMR: μέντοι V. Quartum addo hoc: Postquam Dionysius de Lysiae in dicendo suavitate verba fecit, e more suo subiungit p. 476₂ss ταύτην μέντοι κρατίστην τε ἀρετὴν καὶ χαρακτηριστικωτάτην τῆς Λυσίου λέξεως ἔγωγε τίθεμαι. Consecutiva particula desideratur: scribo ταύτην μὲν δὴ κρατίστην κτλ., cl. e. g. p. 455₅s μίαν μὲν δὴ ταύτην ⟨τὴν⟩ ἀρετὴν ἀξίαν ζήλου καὶ μιμήσεως εὑρίσκω παρὰ τῷ ῥήτορι. 492₆s κατὰ μὲν δὴ ταύτην τὴν ἰδέαν ἢ πρῶτον ἢ οὐδενὸς δεύτερον αὐτὸν ἀποφαίνομαι. 496₁₀ Τοιοῦτος μὲν δή ἐστιν ὁ Λυσίου χαρακτήρ.

III.

In iudicium de Lysia.

P. 455₁₀ss Ἑτέραν δὲ καὶ οὐδὲν ἐλάττονα ταύτης (sc. τῆς ἀρετῆς), ἣν πολλοὶ μὲν ἐζήλωσαν τῶν κατὰ τὸν αὐτὸν χρόνον ἀκμασάντων, οὐδεὶς δὲ βεβαιότερον ἀπεδείξατο — τίς[1]) δ' ἐστὶν αὕτη; ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα. ἥκιστα γὰρ ἄν τις εὕροι Λυσίαν τροπικῇ φράσει χρησάμενον. Ad colon ἡ — ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα ex praecedentibus nihil nisi ἀρετή suppleri potest. Sed perverse hoc fieri sequens enuntiatum et in primis vox φράσις monstrat; nimirum ἡ κυρία φράσις opponitur τῇ τροπικῇ. Iam vero cum verisimile non sit in utroque enuntiato idem substantivum φράσις fuisse, ita lego: ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα ⟨λέξις⟩; cf. p. 464₁₁ss τίς δ' ἐστὶν ἥν φημι ἀρετήν; ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις.

p. 456₆ Τοῖς δὲ προτέροις οὐχ αὕτη ἡ δόξα ἦν. Ex Dionysii loquendi more rescribas τοῖς δὲ πρότερον, cf. p. 31₁₃ εἴ τι τοῖς πρότερον εἴρηται. 450₇ θεωρήματα . .

---

[1]) Cf. Krueger. p. 39 adn.

οὐ δή που μὰ Δία κοινὰ οὐδὲ καθημαξευμένα τοῖς πρότερον. 472_2 *οὐδεὶς τῶν ὕστερον.* 885_{15s} *οὔτε τοῖς κατ' ἐκεῖνον τὸν βίον γενομένοις ἐπιτηδευθέντα οὔτε τοῖς ὕστερον.* 1112_6 *οὐδεὶς τῶν πρότερον.*

p. 458_{2ss} *Δηλοῖ δὲ τοῦτο Γοργίας τε ὁ Λεοντῖνος ἐν πολλοῖς πάνυ φορτικήν τε καὶ ὑπέρογκον ποιῶν τὴν κατασκευὴν καὶ οὐ πόρρω διθυράμβων τινῶν ἔνια φθεγγόμενος, καὶ τῶν ἐκείνου συνουσιαστῶν οἱ περὶ Λικύμνιόν τε καὶ Πῶλον* FM: *διθυράμβων ἔνια* R. Dionysius spectat ad Platonis in Phaedro verba *τὰ νῦν γὰρ οὐκέτι πόρρω διθυράμβων φθέγγομαι* (p. 238[d]). Mirum est, quod et hic et p. 971_2, ubi Platonis verba integra laudantur, post *διθυράμβων* legitur *τινῶν*, quod verbum sano sensu caret. Neque enim id presserim, quod p. 764_7 verba vera exstant *οὐκέτι πόρρω διθυράμβων φθέγγομαι.* Nam verba *τῷ συγγράμματι* p. 762_{14} — *φθέγγομαι* p. 764_8 num omnino codicum auctoritate nitantur, dubito, cum in Ambrosiano certe desint. In Palatino ea exstare ex Herwerdeni silentio qui velit colligat; ego, quia Herwerdenus in epistula ad Cn. Pompeium Ambrosiani et Palatini lectiones saepissime confudit, summopere de verborum sinceritate dubito, cum praesertim e Parisinis AB eiusdem illis quidem cum Palatino familiae non enotentur. Quid igitur? Interpolatoris vel potius interpretis manum te iam cognosse puto, qui p. 458_4 *ἔνια* explicarit per *τινά*; idem p. 1126_{12} verbo *ἔνιοι* adscripsit *τινές*, unde in Ambrosiano legitur *τινὲς ἔνιοι.* Ex *διθυράμβων τινὰ ἔνια* factum est *διθυράμβων τινῶν ἔνια.* Tum demum verbum *τινῶν* ex p. 458_4 in Platonis verbis p. 971_2 interpolatum est. Nam *διθυράμβων τινῶν* Dionysii exemplari Platonico non deberi locus monstrat p. 764_{13} *τὸν ὄγκον τῆς ποιητικῆς κατασκευῆς ἐπὶ λόγους ἤγαγε φιλοσόφους ζηλώσας τοὺς περὶ Γοργίαν, ὥστε καὶ διθυράμβοις τινὰ ποιεῖν ἐοικότα.* Itaque genitivus *τινῶν* p. 458_4 contra codices in volgata recte omittitur idemque p. 971_2 cum Hudsono delendus est.

p. 458_{6ss} *Ἥψατο δὲ καὶ τῶν Ἀθήνησι ῥητόρων ἡ ποιητική τε καὶ τροπικὴ φράσις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι, Γοργίου ἄρξαντος, ἡνίκ' Ἀθήναζε πρεσβεύων κατεπλήξατο τοὺς*

ἀκούοντας τῇ δημηγορίᾳ. ὡς δὲ τἀληθὲς ἔχει, ὃ καὶ [*καὶ* om. M] *παλαιότερον αἰεί τι θαυμαζομένη* [*ὃ καὶ παλαιότερον ἀεὶ θαυμαζόμενος* R] *Θουκυδίδης τοὔνομα δαιμονιώτατος τῶν συγγραφέων ἔν τε τῷ ἐπιταφίῳ καὶ ἐν ταῖς δημηγορίαις ποιητικῇ κατασκευῇ χρησάμενος ἐν πολλοῖς ἐξήλλαξε τὴν ἑρμηνείαν εἰς ὄγκον ἅμα καὶ κόσμον ὀνομάτων ἀηθέστερον* FM. Verba quae exscripsi haec volunt: non Gorgias, sed Thucydides primus poeticam et tropicam dictionem Athenis adhibuit. Quae sententia etsi perversa certo tamen Dionysii est. Vide quomodo. Verba laudata Dionysium credidisse probant Thucydidem singulas res statim, postquam gestae sunt, ita perscripsisse, ut nunc leguntur; nimirum Gorgias anno 427 Athenas venit, quo tempore funebris oratio nonnullaeque demegoriae habitae iam erant. Idem planis verbis dicit p. 867sss *διετέλεσέ γέ τοι τὸν ἑπτακαιεικοσαετῆ χρόνον τοῦ πολέμου ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ἕως τῆς τελευτῆς τὰς ὀκτὼ βίβλους ἃς μόνας κατέλιπε στρέφων ἄνω καὶ κάτω.* Inde sequitur adverbium *παλαιότερον* genuinum esse. Iam hoc sagaciter Sylburgius perspexit pro volgatae lectione *παλαιότερον ἀεί* scribendum esse *παλαιότερον ἔτι*, quam coniecturam codicum corrupta lectio *παλαιότερον αἰεί τι* (*αἰεί τι, αἴ τι, ἔτι*) egregie confirmat. Ceterum ex Antiquitatum exemplis, quae illam locutionem Dionysio sollemnem esse probant, scribas *παλαίτερον ἔτι*, cf. A. R. I 40 p. 48₁₄ Kiessl: *Εὔανδρος δὲ παλαίτερον ἔτι τῆς Θέμιδος ἀκηκοὼς διεξιούσης.* c. 88 p. 114₁₁ *τὴν ἡμέραν ταύτην ἔτι παλαίτερον ἐν εὐπαθείαις διάγοντες.* III 61 p. 301₃₁ *παλαίτερον ἔτι τῆς Ταρκυνίου δυναστείας πελέκεις δώδεκα πρὸ τῶν βασιλέων φέρεσθαί φασιν.* VIII 16 p. 119₁₇ *οἱ γὰρ ἄνθρωποι τὰ πλεῖστον ἄξια συσκευασάμενοι παλαίτερον ἔτι κατεπεφεύγεσαν.*

Iam a verbis *παλαίτερον ἔτι* progredientibus de ceteris videndum: *ὃ καὶ παλαίτερον ἔτι θαυμαζομένη Θουκυδίδης τοὔνομα.* Ambrosianus particulam *καὶ* rectissime omittit. Dionysius certe non dixit vel prius etiam Thucydidem celebratum esse; nec contrarium *ὡς μὲν Τίμαιός φησι* particulam *καί* patitur. Perperam igitur in Florentino haec interpolata est. Maxime porro verbum *θαυμαζομένη* offendit;

θαυμαζόμενος volgatae lectionem Graeculi alicuius coniecturam esse iudico. Sed quaecumque fuit olim verbi *θαυμάζειν* forma, Dionysio certo non debetur. Neque enim id agit Dionysius, ut admirationem Gorgia prius Thucydidem nactum esse probet, sed hoc, prius quam illum poetica dictione in orationibus usum esse historicum. Praeterea idem verbum sequentibus *δαιμονιώτατος τῶν συγγραφέων* non languidum modo, sed prorsus etiam supervacaneum fit. Denique quid sibi velit vox *τοὔνομα*, nemo explicare poterit; adeo ieiuna est atque absurda. Atque hoc quoque iure quaeremus, cur *τοὔνομα*, si huic nomini proprio additum est, p. 458$_8$ in Gorgia nominando omissum sit. Ut brevis sim, totum locum graviter corruptum esse demonstrasse mihi videor; quem si sanare velis, altius fortiusque secandum. Unum verbum interpolatum Ambrosiano auctore sustulimus, cetera ita emendanda censeo: p. 458$_{6ss}$ *ἥψατο δὲ καὶ τῶν Ἀθήνησι ῥητόρων ἡ ποιητική τε καὶ τροπικὴ φράσις, ὡς μὲν Τίμαιός φησι, Γοργίου ἄρξαντος . . . . ὡς δὲ τἀληθὲς ἔχει,* [*ὃ καὶ*] *παλαίτερον ἔτι* [*θαυμαζομένη*] *Θουκυδίδης* [*τοὔνομα*] *δαιμονιώτατος τῶν συγγραφέων . . . ἐν πολλοῖς ἐξήλλαξε τὴν ἑρμηνείαν κτλ.*

Causa, ni fallor, interpolationis illa fuit, quod *παλαίτερον ἔτι* in *παλαίτερον αἰεί τι* abierat.

p. 466$_{8ss}$ *Κράτιστος γὰρ δὴ πάντων ἐγένετο ῥητόρων φύσιν ἀνθρώπων κατοπτεῦσαι καὶ τὰ προσήκοντα ἑκάστοις ἀποδοῦναι πάθη τε καὶ ἤθη καὶ ἔργα. Ἀποδίδωμί τε οὖν αὐτῷ καὶ τὴν εὐπρεπεστάτην ἀρετήν, καλουμένην δὲ ὑπὸ πολλῶν ἠθοποιίαν.* Copulativa particula *τε* consecutivae *οὖν* iuncta cum sententia pugnat. Dionysius enim haec vult: „Lysiam affectus mores facinora convenientia unicuique tribuere dixi. Praeter cetera igitur etiam *τὴν ἠθοποιίαν* illi tribuo.“ Quare scribendum puto *ἀποδίδωμί γ ε ο ὖ ν κτλ.* Similis error particularum *γε* et *τε* confusarum occurrit p. 1109$_3$, ubi volgo exhibetur: (vers. 2) *τοῦτο μὲν δὴ πρῶτον οἴομαι δεῖν σκοπεῖν· ἐπιστήμῃ γε καὶ ἔθει.* Respicit auctor ad verba p. 1107$_{12ss}$ *τοὺς βουλομένους τὴν σύνθεσιν ἀκριβῶς εἰδέναι τὴν Δημοσθένους* (sc. *ἀξιώσαιμ' ἄν*) *ἐκ πολλῶν αὐτὴν δοκιμάζειν ἰδιω-*

μάτων . . . δεῖ δ' αὐτῇ τριβῆς πολλῆς καὶ κατηχήσεως χρονίου; unde illo loco corrigas *σκοπεῖν ἐπιστήμῃ τε καὶ ἔθει.*

p. 467$_{9}$ss. Tria sunt, ex quibus *ἡ ἠθοποιία* constat, *διάνοια λέξις σύνθεσις*, in quibus omnibus Lysias palmam fert: *οὐ γὰρ διανοουμένους μόνον ὑποτίθεται χρηστὰ καὶ ἐπιεικῆ καὶ μέτρια τοὺς λέγοντας . . . ἀλλὰ καὶ τὴν λέξιν ἀποδίδωσι τοῖς ἤθεσιν οἰκείαν, ἣ πέφυκεν αὐτὰ ἑαυτῶν κράτιστα δηλοῦσθαι, τὴν σαφῆ καὶ κυρίαν κτλ.* Iure A. Kiesslingius l. l. p. 253 in verbis *ἣ πέφυκεν — δηλοῦσθαι* offendit, quamquam quae proposuit *ἣ πέφυκεν αὐτὰ πάντων κράτιστα δηλῶσαι* minus placent. Verba enim *αὐτὰ ἑαυτῶν*, quae verborum coniunctio prorsus e Dionysii more est, ad aliam medelam ducunt *ἣ πέφυκεν αὐτὰ ἑαυτῶν κρεῖττον δηλοῦσθαι*; cf. p. 72$_{10}$ *ἡμίφωνα δέ* (sc. *τινες ἐκάλεσαν*), *ὅσα μετὰ μὲν φωνηέντων αὐτὰ ἑαυτῶν κρεῖττον ἐκφέρεται, καθ' ἑαυτὰ δὲ χεῖρον καὶ οὐκ αὐτοτελῶς.* 761$_{7}$ *χείρων αὐτὸς αὑτοῦ γίνεται* (item 883$_{12}$ *μακρῷ τινι γίγνεται χείρων αὐτὸς ἑαυτοῦ*, cf. 967$_{13}$). 787$_{2}$ *πολὺ ἀμείνων ἂν ἦν αὐτὸς ἑαυτοῦ κατὰ τὴν φράσιν.* 1025$_{11}$ *ἕτερος γάρ τις αὑτοῦ γίνεται τότε.*

p. 468$_{7}$ss *Οὐ θαυμάσαιμ' ἄν, εἰ . . . τοιαύτην τινὰ παράσχοι δόξαν* (sc. *ὁ τῆς ἁρμονίας τῆς Λυσίου χαρακτήρ*), *ὅτι ἀνεπιτηδεύτως καὶ οὐ κατὰ τέχνην, αὐτομάτως δέ πως καὶ ὡς ἔτυχε σύγκειται. ἔστι δὲ παντὸς μᾶλλον ἔργου τεχνικοῦ κατεσκευασμένος.* Oppositio duorum enuntiatorum claudicat. Sententia certa est: Videtur ille quidem sine artificiis compositus esse, at pluribus quam dici potest ornatus est. Desideratur igitur contrarium imprimis verborum *ἀνεπιτηδεύτως καὶ οὐ κατὰ τέχνην.* Quapropter scribo *ἔστι δὲ παντὸς μᾶλλον ἔργου τεχνικῶς κατεσκευασμένος.*

p. 471$_{10}$ss *Μίαν δὲ ἀρετὴν ἔτι τοῦ ῥήτορος ἐπιδείξομαι κρίνας καλλίστην τε καὶ κυριωτάτην*[1]) *καὶ ἣ μόνην ἢ μάλιστα*[2]) *τῶν ἄλλων τὸν Λυσίου χαρακτῆρα δυναμένην*

---

[1]) *κυριωτάτην* Marklandus: *κοινοτάτην* codd. ‖ [2]) *ἣ μόνην ἢ μάλιστα* Marklandus: *μόνην τὴν μάλιστα* codd.; cf. p. 1123$_{10}$ *παρὰ τῆς ῥητορικῆς ἢ μόνης* (Reisk., *μόνος* M) *ἢ μάλιστα τῶν ἄλλων ἀπαιτοῦμεν.*

βεβαιῶσαι . . . τίς δ' ἐστὶν ἥδε ἡ ἀρετή, ἥτις πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι; καὶ τίς ἡ χάρις; πρᾶγμα παντὸς κρεῖττον λόγου καὶ θαυμασιώτατον. Locum difficiliorem viri docti variis modis temptaverunt, quorum solus Sylburgius verum ex parte intellexisse mihi videtur, cum scriberet *ἥδε ἡ ἀρετὴ ἡ πᾶσιν κτλ.* Reliqui violentius nec satis e Dionysii more locum restituere conati sunt; quorum coniecturas adscribere satis habeo. *Τίς δέ ἐστιν ἥδε ἀρετή, ἥτις πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι; καὶ τίς αὕτη ἡ δύναμις; Χάρις, πρᾶγμα παντὸς κρεῖττον λόγου κτλ.* Marklandus. *Τίς δέ ἐστιν ἥδε; χάρις, ἀρετὴ πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι κτλ.* Matthaei. *Τίς δέ ἐστιν ἥδε ἀρετή; ἡ τοῖς πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς τ' ὀνόμασι καὶ τοῖς ἔργοις, ἡ χάρις* Reiskius. *Τίς δ' ἔστιν ἥδε ἀρετή, ἥτις* (vel cum Sylburg. leg. *ἥδε ἡ ἀρετὴ ἡ*, vel *ἡ ἀρετὴ ἥδε ἡ*) *πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι; καὶ τίς ἢ ἡ χάρις;* Kruegerus p. 39 adn. *Τίς δ' ἐστιν ἥδε* (*ἡ* addo) *ἀρετ*H; [H] (*ἦτα* bis scriptum eiciendum) (*χάρις*) *τις, πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι; καὶ τίς ἡ χάρις; πρᾶγμα κ. τ. ἑ.* Vlietius p. 14. Nolo has coniecturas singillatim refellere; probabilem esse nullam quivis concedet. Iam antequam pericliteris coniecturam, de sententia videndum, qua cognita vel acrior medela non nocebit. Primum Dionysii morem cognoscas ex his locis: p. 464 11ss *τίς δ' ἐστὶν ἥν φημι ἀρετήν; ἡ συστρέφουσα τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρουσα λέξις.* 455 12ss *τίς δ' ἐστὶν αὕτη* (sc. *ἡ ἀρετή*); *ἡ διὰ τῶν κυρίων τε καὶ κοινῶν καὶ ἐν μέσῳ κειμένων ὀνομάτων ἐκφέρουσα τὰ νοούμενα ⟨λέξις⟩.* Sententia eius de quo agitur loci haec est: Quaenam est illa virtus quam modo significavi? Dicendi quaedam suavitas, qua nihil admirabilius. Inde ex parte Sylburgium secutus ita lego: *τίς δ' ἐστὶν ἥδε ἡ ἀρετή; ἡ* [*τις*] *πᾶσιν ἐπανθοῦσα τοῖς ὀνόμασι* [*καὶ τίς ἡ*] *χάρις, πρᾶγμα παντὸς κρεῖττον λόγου καὶ θαυμασιώτατον.* Similis structura est p. 481 12s *ἡ κοσμοῦσά τε καὶ ἀνθίζουσα τὴν λέξιν αὐτοῦ χάρις.* Locutionem *χάρις ἐπανθεῖ* in deliciis Dionysius habet; cf. p. 134 11 *τῷ Ἰσοκράτει πολλαὶ χάριτες ἐπήνθουν.* 480 2 *οὐκ ἐπανθούσης τῇ λέξει τῆς Λυσιακῆς χάριτος.* 642 16 *ἀρετήν τε καὶ χάριν τοῖς λόγοις ἐπανθοῦσαν.*

992 12ss ἡδονῆς δ' ἄρα καὶ πειθοῦς καὶ χαρίτων καιροῦ τε καὶ τῶν ἄλλων, ἃ πᾶσι τοῖς Λυσιακοῖς ἐπανθεῖ λόγοις[1]), ἄρα οὐχὶ πολλὴ μοῖρα; 1071 3s ἐπανθεῖ τις αὐταῖς χνοῦς ἀρχαιοπινὴς καὶ χάρις ἀβίαστος. Verba καὶ τίς ἡ aliquo modo originem duxisse suspiceris e p. 475 1ss τοῦτο κἀγὼ τοῖς ἀναγινώσκουσι τὸν Λυσίαν καὶ τίς ἡ παρ' αὐτῷ χάρις ἐστὶ βουλομένοις μαθεῖν ὑποθείμην ἂν ἐπιτηδεύειν.

p. 478 7ss legas μάλιστα δ' ἐγένετό μοι καταφανὲς [καταφανὴς R], ὅτι οὐχ ὑπ' ἐκείνου τοῦ ῥήτορος ἐγράφη (sc. ὁ περὶ τῆς Ἰφικράτους εἰκόνος λόγος) τοὺς χρόνους ἀναλογισαμένῳ.

p. 481 10ss Τὸ κράτιστόν ἐστι τῶν Λυσίου ἔργων καὶ χαρακτηριστικώτατον[2]) τῆς δυνάμεως ἡ κοσμοῦσά τε καὶ ἀνθίζουσα τὴν λέξιν αὐτοῦ χάρις FM: καὶ τὸ χαρακτηριστικώτατον R. Aut volgata lectio recipienda est aut, si codices sequimur, verba τῆς δυνάμεως delenda sunt. Quaeritur igitur, utrum idoneum sensum haec praebeant necne. Prorsus idem volunt atque illa τὰ Λυσίου ἔργα: sed haec verba exquisitius dicta sunt atque de Lysiae virtutibus primo hoc loco usurpantur, contra δύναμις usitata est vox et singulas virtutes significans veluti p. 473 5s ὥστε εἴ τις ἀξιοίη λόγῳ διδαχθῆναι ταύτην τὴν δύναμιν, ἥτις πότ' ἐστιν et totam Lysiae facultatem, ut p. 478 2s ὃν οἶδ' ὅτι πολλοὶ καὶ χαρακτῆρα ἡγήσαιντο ἂν καὶ κανόνα τῆς ἐκείνου δυνάμεως. Verba igitur τῆς δυνάμεως h. l. nullam omnino vim habent. Offendunt praeterea superlativi diverse adhibiti, quorum alter τὸ κράτιστον adiectivi vicibus fungitur, alter τὸ χαρακτηριστικώτατον substantivi. Has ob causas codices veri vestigium servasse censeo, quos secutus scribo τὸ κράτιστόν ἐστι τῶν Λυσίου ἔργων καὶ χαρακτηριστικώτατον ἡ . . . χάρις. Idem Dionysii consuetudo probat; cf. p. 784 15s τελευταῖόν ἐστι τῶν ἔργων αὐτοῦ καὶ χαρακτηριστικώτατον. 476 2ss ταύτην μὲν δὴ (sc. τὴν χάριν) κρατίστην τε ἀρετὴν καὶ χαρακτηριστικωτάτην τῆς Λυσίου λέξεως ἔγωγε τίθεμαι. Verba igitur τῆς δυνά-

---

1) τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἃ τοῖς Λυσιακοῖς ἐπανθοῦσιν MR, corr. Sylb.
2) χαρακτηρικώτατον F, χαρακτηρικώτερον M.

μεως interpretamentum sunt illorum *τῶν ἔργων*; quae qui adscripsit, eodem modo in his offendit, quo Marklandus, qui sine iusta causa *τῶν Λυσίου ἀρετῶν* scribi vult. Vox enim *ἔργον* sensu abstracto usurpata minime a Dionysii usu abhorret; cf. p. 646$_{3ss}$ *οἱ δὲ Δημοσθένη προχειρισάμενοι καὶ τὰς ἀρετὰς τὰς ἐκείνου διώκοντες τῆς μὲν προαιρέσεως ἕνεκα ἐπηνέθησαν, οὐ μὴν ἴσχυσαν τὰ κράτιστα τῶν ἐκείνου τοῦ ῥήτορος ἔργων λαβεῖν.* p. 958$_{11}$ *δεινοὶ μὲν ἐν τοῖς αὐτῶν* [*αὐτῶν* MR] *ἔργοις ἀμφότεροι*: in propriis virtutibus uterque admirabilis.

p. 487$_{11ss}$ *Ἐκ δὴ τούτων παρακελεύομαι τοῖς ἀναγινώσκουσιν αὐτὸν τὴν μὲν εὕρεσιν τῶν ἐνθυμημάτων καὶ τὴν σύγκρισιν ζηλοῦν· τὴν δὲ τάξιν καὶ τὴν ἐξεργασίαν*[1]) *αὐτῶν ἐνδεεστέραν οὖσαν τοῦ προσήκοντος μὴ ἀπὸ τοῦδε τοῦ ἀνδρὸς, ἀλλὰ παρ' ἑτέρων, οἳ κρείττους οἰκονομῆσαι τὰ εὑρεθέντα ἐγένοντο, περὶ ὧν ὕστερον ἐρῶ,* [*τοῦτο τὸ στοιχεῖον*][2]) *λαμβάνειν.* Duo vitia Vlietius sustulit, duo restant. Pro *σύγκρισιν*, cui verbo hic locus non est, vocem sollemnem rescribas *κρίσιν.* Nimirum *εὕρεσις κρίσις τάξις ἐξεργασία* quattuor sunt praecipua, ut Dionysii verbis utar, *ἐν τῷ πραγματικῷ τρόπῳ θεωρήματα*; cf. p. 542$_{12ss}$ *ἡ μὲν εὕρεσις ἡ τῶν ἐνθυμημάτων* . . . vers. 14 *καὶ κρίσις*, vers. 15 *τάξις* . . . *καὶ ἡ κατ' ἐπιχείρημα ἐξεργασία.* 557$_{8ss}$ *τῶν δὲ πραγμάτων ποιούμενος ἐξέτασιν τὴν μὲν εὕρεσιν θαυμαστὴν παρ' ἀμφοῖν κατελαβόμην καὶ ἔτι τὴν κρίσιν· τῇ δὲ τάξει τῶν ἐνθυμημάτων . . . καὶ τῇ καθ' ἕκαστον εἶδος ἐξεργασίᾳ . . . παρὰ πολὺ προτερεῖν ἡγούμην Ἰσοκράτην Λυσίου.* Deinde propter *παρ' ἑτέρων* legas *μὴ παρὰ τοῦδε τοῦ ἀνδρός* idem Dionysii loquendi more postulante; cf. e. g. p. 450$_6$ *τί παρ' ἑκάστου δεῖ λαμβάνειν.* 454$_6$ *τί δεῖ λαμβάνειν παρ' αὐτοῦ.* 460$_3$ *ταύτην δευτέραν τὴν ἀρετὴν κελεύω παρὰ τοῦ ῥήτορος τούτου λαμβάνειν.* 470$_{11}$ *ληπτέον δὴ καὶ τὸ πρέπον τῆς λέξεως παρὰ Λυσίου.* 471$_6$ *ὥστε καὶ ταύτην τὴν ἀρετὴν ληπτέον παρὰ τοῦ ῥήτορος.*

---

1) *ἐξεργασίαν* Vlietius p. 23 : *ἐργασίαν* codd. ‖ 2) Verba del. Vlietius p. 23.

p. 490₁ss *Τοτὲ μὲν γὰρ ἀπὸ τοῦ ἰδίου ἐπαίνου ὁ*[1] *λέγων αὐτὸ*[2] *ἄρχεται, τοτὲ δὲ ἀπὸ τῆς διαβολῆς τοῦ ἀντιδίκου.* Quae sit vis vocis *αὐτό* cum non appareat, eam delendam esse censeo. Neque enim coniectura, quae hac voce nititur Marklandi *αὐτός*, et eam Reiskius recepit, sententiae flagitatae satis facit. Certe moleste adderetur eum, qui verba faciat, ipsum incipere a sua laude.

p. 490₁₁s lego *τοτὲ δὲ ἄλλο τι κατασκευάζεται τῶν δυναμένων* *α ὑ τ ὸ ν* [*αυτὸν* F *αὐτὸν* MR] *μὲν ὠφελῆσαι, τὸν δὲ ἀντίδικον ἐλαττῶσαι.* Idem vitium tollas p. 636₂ *τὴν βλάβην τὴν γενομένην* *α ὑ τ ῷ* *διὰ Προξένου δεδήλωκεν*, Dinarchus enim de damno ipsi illato loquitur, et p. 897₁₄ss *ἐκεῖνοι . . πάσας τὰς ἀρετὰς, ὁπόσαι γίνονται περὶ μορφὰς εὐπρεπεῖς, ταῖς καταδεδουλωμέναις* *α ὑ τ ο ὺ ς* *προσεῖναι νομίζουσι.*

p. 494₁s lego: *κράτιστα γὰρ ⟨ἂν⟩ ἀποδείξαιτο ταύτην τὴν ἰδέαν ὁ μάλιστα τοῦτον τὸν ἄνδρα μιμησάμενος.* Eandem medelam adhibeas p. 925₆ *εἰ μὲν γὰρ ἰδίᾳ τινὲς ἐβλάπτοντο τῶν πολιτῶν, εὐτύχει δὲ τὸ κοινὸν, καλῶς ⟨ἂν⟩ ταῦτ' ἔλεγεν.* p. 1099₁₁ *πολὺ γὰρ ⟨ἂν⟩ ἡ σύνταξις τὸ μῆκος λάβοι.* p. 645₅ss ita scripserim: *οἱ δὲ Θουκυδίδην ζηλοῦν λέγοντες . . . πάνυ εὐχερῶς ἂν* *ε ὑ ρ ί σ κ ο ι ν τ ο* [*ἀνευρίσκοιντο* R] *ἐκ τούτου τοῦ παραγγέλματος.*

p. 496₁₃ss *Ἵνα δὲ βέλτιον τῷ βουλομένῳ γένηται μαθεῖν, εἴτε ὀρθῶς ἡμεῖς ταῦτα καὶ προσηκόντως πεπείσμεθα, εἴτε καὶ διημαρτήκαμεν τὴν κρίσιν, τὴν ἐξέτασιν ἀπὸ τῶν ὑπ' ἐκείνου γραφέντων* *π ο ι ο ῦ μ α ι*[3] *προχειρισάμενός τινα λόγον· οὐ γὰρ ἐγχωρεῖ πολλοῖς χρῆσθαι παραδείγμασιν.* *ἐ ξ ἐ κ ε ί ν ο υ* *τ ή ν* *τε προαίρεσιν καὶ τὴν δύναμιν τοῦ ἀνδρὸς ἐπιδείξομεν*[4] *ἀποχρῆν* *ο ἰ ό μ ε ν ο ς* *ψυχαῖς εὐπαιδεύτοις καὶ μετρίαις μικρά τε μεγάλων καὶ ὀλίγα πολλῶν γενέσθαι δείγματα* FM: *ποιήσομαι . . . ἐξ ἐκείνου δὲ τήν . . . οἰόμε-*

---

1) *ὁ* add. Reiskius ‖ 2) *αυτοῦ* F¹, *αὐτὸ//* F² ‖ 3) *ποιοῦμ̣ε̣νμαι* F¹ ‖ 4) *ἐπιδείξομεν, επ* e correctura F¹.

νοι R. Verba qualia in codicibus et editionibus circumferuntur, vitiis nonnullis laborant.

1. *Ἵνα δὲ βέλτιον τῷ βουλομένῳ γένηται μαθεῖν κτλ. Γίγνεται* eo sensu usurpatum, ut sit „facultas, potestas fit", apud Dionysium non legitur. E consuetudine eius rescribo *ἵνα δὲ βέλτιον . . . ἐγγένηται μαθεῖν*, cl. p. 1446s *ἐμοὶ δ' ἀποχρῆν ἐδόκει ταῦθ', ἵνα ἐγγένηταί μοι καὶ περὶ τῶν ἄλλων εἰπεῖν.* 1624 *ἵνα δὲ καὶ περὶ τῶν λοιπῶν εἰπεῖν ἐγγένηταί μοι*[1]. 48813s *ἵνα δὲ καὶ περὶ τῶν ἰδεῶν ἐγγένηταί μοι τὰ προσήκοντα εἰπεῖν.* 65s *ἐὰν δ' ἐγγένηταί μοι σχολὴ κτλ.*

2. Pro codicum lectione *ποιοῦμαι* cum volgata scribendum censeo *ποιήσομαι* cum propter futurum quod sequitur *ἐπιδείξομεν* vel *ἐπιδείξομαι* tum propter Dionysii loquendi usum. Eam enim legem observat, ut praecedente enuntiato finali ex *ἵνα* apto, cuius verbum coniunctivus aoristi est, in enuntiato primario constanter sequatur futurum aut imperativus[2]. Qui solus prima specie huic regulae obstare videtur locus, eam potius firmat; est p. 74613ss *ἵνα μὴ μακρότερος τοῦ δέοντος ὁ λόγος γένηταί μοι, καὶ τοῦτον ἐπιδείξειν ἐπισχνοῦμαι τὸν ἀγῶνα πρὸ τῶν Ἀριστοτέλους τεχνῶν ἐπιτετελεσμένον.* Proxime ad huius de quo agitur enuntiati structuram accedit locus p. 48813ss *ἵνα δὲ καὶ περὶ τῶν ἰδεῶν ἐγγένηταί μοι τὰ προσήκοντα εἰπεῖν, ἐάσω τε ταῦτα περί τε προοιμίων καὶ διηγήσεων καὶ τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ λόγου καὶ διαλέξομαι καὶ δηλώσω κτλ.*

---

[1]) *χρόνος*, quod verbum volgo additur, deest in Florentino teste Herwerdeno stud. Thucyd. p. 1 ‖ [2]) p. 126 *ἵνα δὲ μὴ δόξω* . . . 8 *πειράσομαι* ‖ 171 *ἵνα δὲ μή τις ὑπολάβῃ* . . . 4 *ἐξοίσω* ‖ 2014 *ἵνα* . . . *αἴσθηται* . . . 15 *λήψομαι* ‖ 1047 *ἵνα μὴ* . . *τὶς* . . *δόξῃ* . . . 9 *ἀποδώσω* ‖ 2049 *ἵνα μὴ* . . *ὑπολάβῃ τις* . . . 10 *ἅψομαι* ‖ 51110 *ἵνα* . . . 11 *γένηται, θήσω* ‖ 5913 *ἵνα* . . . *γένηται* . . ., 4 *χρήσομαι* ‖ 7901 *ἵνα* . . . *γένηται*, . . . 3 *ἀναλήψομαι* ‖ 92216 *ἵνα δὲ μὴ δόξῃ τις* . . . 9231 *ἀρκεσθήσομαι* ‖ 9431 *ἵνα* . . . 2 *γένηται*, . . . 4 *ἐάσομεν* ‖ 9743 *ἵνα μὴ* . . . 4 *προβῇ*, . . . *ἐάσω* ‖ 10241 *ἵνα μὴ* . . . 2 *ἀναγκασθῶ*, . . . 4 *ἐάσω*. — P. 1624 *ἵνα* . . . *ἐγγένηται* . . . 5 *ἅλις ἔστω* ‖ 10799 *ἵνα δὲ μὴ δόξωμεν* . . . 11 *λαμβανέσθω*.

3. Florentini et Ambrosiani lectio *τὴν δύναμιν τοῦ ἀνδρὸς ἐπιδείξομεν ἀποχρῆν οἰόμενος* ex parte illa quidem depravata in deterioribus codicibus novam corruptelam experta est *οἰόμενοι* pro *οἰόμενος*. Genuinam lectionem Parisinus A suppeditat, ex quo scribas *τὴν δύναμιν τοῦ ἀνδρὸς ἐπιδείξομαι ἀποχρῆν οἰόμενος*.

4. Particulam *δέ*, quae volgo post *ἐκείνου* legitur, codices recte omittunt. Nam et oppositio male statuitur et verba *προχειρισάμενος — παραδείγμασιν* perperam priori enuntiato adnecti sententiae progressus docet. „Ea, quae de Lysia oratore dixi, utrum vera sint an falsa, ex illius orationibus examinabo, et quoniam plura exempla proferre non licet, una oratione consilium eius atque vim illustrabo". Verba igitur *προχειρισάμενος — παραδείγμασιν* artissime cum sequentibus cohaerent, et vox *πολλοῖς* non infinitum (*τινα*), sed certum sibi contrarium postulat. Inde scribo *τὴν ἐξέτασιν ἀπὸ τῶν ὑπ' ἐκείνου γραφέντων ποιήσομαι, προχειρισάμενός τε ἕνα λόγον — οὐ γὰρ ἐγχωρεῖ πολλοῖς χρῆσθαι παραδείγμασιν — ἐξ ἐκείνου τήν τε προαίρεσιν καὶ τὴν δύναμιν τοῦ ἀνδρὸς ἐπιδείξομαι*, cl. p. 577₁₁s *χρῶμαι παραδείγματι ἐξ αὐτῶν ἑνί· οὐ γὰρ ἐγχωρεῖ πλείοσι· τῷ Τραπεζιτικῷ λεγομένῳ*.

p. 518₅s Postquam Dionysius forense Lysiae dicendi genus oratione in Diogitonem illustravit, haec subiungit p. 518₅: *ἐν μὲν δὴ τοῖς δικανικοῖς λόγοις μαλακώτερος, ὥσπερ ἔφην* FM: *ἐπιδεικτικοῖς* R. Verba, qualia in Florentino et Ambrosiano leguntur, sensu cassa esse librarius nescio quis bene perspexit, cum *ἐπιδεικτικοῖς* corrigeret. Dionysius respicit ad ea, quae dixit p. 488₁₀ss *ὁ βουλόμενος δὴ τὴν Λυσίου δύναμιν ἀκριβῶς καταμαθεῖν ἐκ τῶν δικανικῶν αὐτὴν μᾶλλον λόγων ἢ ἐκ τῶν συμβουλευτικῶν τε καὶ πανηγυρικῶν σκοπείτω*. Neque enim in iis, de quibus agitur, vox *μαλακώτερος* premenda est, quae redit p. 496₁ *περὶ δὲ τὰ πάθη μαλακώτερός ἐστι*; nam *τὰ πάθη* nihil commune habent cum panegyricis orationibus. Verba *δικανικοῖς λόγοις* recte legi praemissa oratio in Diogitonem probat; post ea

nonnulla interciderunt, quibus ad epidicticum orationum genus Dionysius transiit. Locum igitur ita fere expleri posse puto: *Ἐν μὲν δὴ τοῖς δικανικοῖς λόγοις ⟨τοιοῦτός τις ὁ ἀνήρ· ἐν δὲ τοῖς ἐπιδεικτικοῖς⟩ μαλακώτερος, ὥσπερ ἔφην,* cl. p. 576₆ss *Τοιοῦτος μὲν δή τις ἐν τοῖς συμβουλευτικοῖς λόγοις ὁ ἀνήρ. ἐν δὲ τοῖς δικανικοῖς τὰ μὲν ἄλλα πάνυ ἀκριβὴς καὶ ἀληθινός.*

IV.

In iudicium de Isocrate.

P. 540₁₂s *Ἀνάγκῃ παραπληρώμασι λέξεων οὐδὲν ὠφελουσῶν χρῆσθαι.* Non ea verba, ad quae alia adduntur, inutilia sunt, sed numerorum complementa futtilia Dionysius iudicat. Lego *ἀνάγκῃ παραπληρώμασι λέξεων οὐδὲν ὠφελοῦσιν χρῆσθαι,* cf. p. 48₇s *τίς οὐκ ἂν φαίη παραπληρώματι λέξεως οὐκ ἀναγκαίῳ προσηρανίσθαι;* 1072₁₁s *παραπληρώμασι τῶν ὀνομάτων οὐκ ἀναγκαίοις . . . χρωμένας.* 149₈s *προσθήκαις τισὶν ὀνομάτων . . . μηδὲν ὠφελούσαις τὸν νοῦν χρωμένῃ.* 1009₁₄s *πολλὰ τοιαῦτά ἐστι παραπληρώματα καθ' ἑκάστην ὀλίγου δεῖν περίοδον οὐκ ἀναγκαίαν ἔχοντα χώραν.*

p. 542₃ss In Lysiae cum Isocrate comparatione Dionysius huius eloquentiam Polycliti et Phidiae arti similem esse dicit propter sublimitatem et maiestatem, illius facundiam cum Calamidis et Callimachi operibus conferendam propter urbanitatem et suavitatem: *ὥσπερ γὰρ ἐκείνων οἱ μὲν ἐν τοῖς ἐλάττοσι καὶ ἀνθρωπικοῖς ἔργοις εἰσὶν ἐπιτυχέστεροι τῶν ἑτέρων, οἱ δ' ἐν τοῖς μείζοσι καὶ θειοτέροις δεξιώτεροι, οὕτω καὶ τῶν ῥητόρων ὁ μὲν ἐν τοῖς μικροῖς ἐστι σοφώτερος, ὁ δ' ἐν τοῖς μεγάλοις περιττότερος.* Verba *τῶν ἑτέρων* genuina non esse duae causae probant. Primum enim inepta sententia est „Hi in minoribus dexteriores sunt quam illi", cum quid ei ipsi (*οἱ ἕτεροι*) proprium habeant, secundo membro diserte explicetur. Deinde membrorum accuratissima responsio verba *τῶν ἑτέρων* spuria esse arguit; nam cum quattuor membra sint, quorum bina binis comparationis causa (*ὥσπερ — οὕτως*) opponuntur, et in trium membrorum fine

comparativus cum pondere quodam positus sit, ea verba, quae primum colon trans comparativum ἐπιτυχέστεροι producunt, e Dionysii verbis ultro excidunt.

Quae num delenda sint, si quis adhuc dubitet, spero eiusdem interpolatoris manu cognita certo mecum eum facturum esse. De Platonica dialecto Dionysius p. 964$_{12ss}$ ita: Ἡ δὲ δὴ Πλατωνικὴ διάλεκτος βούλεται μὲν εἶναι καὶ αὐτὴ μίγμα ἑκατέρων τῶν χαρακτήρων τοῦ τε ὑψηλοῦ καὶ ἰσχνοῦ; καθάπερ εἴρηταί μοι πρότερον, πέφυκε δ' οὐχ ὁμοίως πρὸς ἀμφοτέρους τοὺς χαρακτῆρας εὐτυχής. ὅταν μὲν οὖν τὴν ἰσχνὴν . . . ἐπιτηδεύῃ φράσιν, ἐκτόπως ἡδεῖά ἐστι καὶ φιλάνθρωπος . . . p. 965$_{15}$ ὅταν δ' εἰς τὴν περιττολογίαν . . . ἄμετρον ὁρμὴν λάβῃ, πολλῷ χείρων ἑαυτῆς γίνεται. καὶ γὰρ ἀηδεστέρα τῆς ἑτέρας καὶ κάκιον ἑλληνίζουσα καὶ παχυτέρα φαίνεται . . . „Platonis dialectus, si quando ad rerum supervacuarum expositiones se convertit, quam ipsa peior fit; minus enim quam altera suavis est." De alia dialecto sermo non fit: de eadem potius et χείρων ἑαυτῆς dicitur et ἀηδεστέρα τῆς ἑτέρας, quod quantopere sit absurdum, in propatulo est. Verba τῆς ἑτέρας interpolata esse idque ab eodem nisi egregie fallor Graeculo, cui priore loco verba τῶν ἑτέρων debentur, et ratio docet et locus epistulae ad Cn. Pompeium probat, ubi eadem repetita leguntur, p. 759$_{11s}$ καὶ γὰρ ἀηδεστέρα καὶ κάκιον ἑλληνίζουσα καὶ παχυτέρα φαίνεται: ubi τῆς ἑτέρας, quod volgo post ἀηδεστέρα additur, a codicibus M et A C Grosii rectissime abest; de Palatino mihi non constat (cf. quae pag. 15 dixi ad p. 26$_{12}$ Herwerd.). Summopere autem mireris, quod Herwerdenus etiam invito „codice suo" verba τῆς ἑτέρας e volgata revocavit. Quae et hoc de quo agitur loco ex auctoritate codicum M et A C p. 759$_{11}$ delenda neque illo loco ex hoc addenda sunt.

p. 543$_{11ss}$ Ἔγωγέ φημι χρῆναι τοὺς μέλλοντας οὐχὶ μέρος τι τῆς πολιτικῆς δυνάμεως, ἀλλ' ὅλην αὐτὴν κτήσασθαι τοῦτον ἔχειν τὸν ῥήτορα διὰ χειρός. Corrigas κτήσεσθαι. Dionysius in scriptis rhetoricis verbum μέλλειν saepius cum prae-

sentis infinitivo, rarius cum futuri coniungit[1]), cum aoristi praeter hunc locum e codicum testimonio nunquam. Qui solus praeterea aoristum volgo exhibet p. 99311 ἔμελλε . . γενέσθαι, ex Ambrosiano correctus est: ἔμελλε . . γενήσεσθαι; cf. pag. 96.

p. 5463ss Ἀξιοῖ (sc. ὁ Ἰσοκράτης) στρατηγὸν ἄνδρα καὶ τηλικαύτης ἐξουσίας κύριον διαλλάττειν μὲν τὰς διαφερομένας πόλεις, ἀλλὰ μὴ συγκρούειν πρὸς ἀλλήλας, τὴν δὲ Ἑλλάδα μεγάλην ἐκ μικρᾶς ποιεῖν· ὑπεριδόντα τῆς περὶ τὰ μικρὰ φιλοτιμίας τοῖς τοιούτοις ἐπιχειρεῖν ἔργοις κτλ. Particulam aliquam post ὑπεριδόντα desiderari Wolfius perspexit. Sed aptius, ni fallor, quam quod ille proposuit δέ, supplebimus τε, cum non oppositio, sed eiusdem sententiae continuatio statuenda sit.

---

[1]) α) Verbum μέλλω cum praesentis infinitivo coniungitur XXXII locis: p. 710 μέλλω λέγειν, item 86115, 88517, 98610 ‖ 1214 ἀκρατίζεσθαι μέλλων ‖ 378 τῷ μέλλοντι . . ἐμβάλλειν ‖ 399 τῶν ἁρμόττεσθαι μελλόντων ‖ 404 μέλλει κατασκευάζειν ‖ 502 λυπεῖν μέλλῃ καὶ διοχλεῖν ‖ 6913 λέγεσθαι μέλλον [FE: μέλλον om. R] ‖ 10111 μέλλει δηλοῦσθαι ‖ 49015 τὰ μέλλοντα . . . λέγεσθαι, item 5017 ‖ 4977 μέλλων ἐκπλεῖν ‖ 50112 τὸν . . μέλλοντα ποιεῖν ‖ 54112 ἐν ταῖς μελλούσαις λέγεσθαι ‖ 55118 πράττειν μέλλουσαν ‖ 5547 μέλλοι γίνεσθαι ‖ 60512 τῶν μελλόντων . . λυπεῖν ‖ 60614 ἐκ τῶν μελλόντων λέγεσθαι ‖ 76811 μέλλοντας ἀκούειν ‖ 7906 τὰ μέλλοντα δηλοῦσθαι ‖ 8126 μέλλων . . ἅπτεσθαι ‖ 81713 μέλλων . . ἄρχεσθαι, item 85512 ‖ 85510 κεφάλαια τῶν μελλόντων δηλοῦσθαι ‖ 92111 ἔμελλεν ἀπάγειν ‖ 100712 τῷ μέλλοντι πείθειν ‖ 103912 μέλλων ποιεῖσθαι ‖ 10445 τοὺς μέλλοντας τελευτᾶν ‖ 10511 μέλλῃ κατορθοῦν ‖ 11022 μέλλῃ . . . ὑπεραίρειν. Medium quasi tenet locus p. 54 εἰ μέλλουσι μὴ πᾶν . . . λέγειν μηδ' εἰκῇ συνθήσειν τὰ προστυχόντα ἀλλήλοις, ἀλλ' ἐκλογῇ τε χρήσεσθαι καθαρῶν ἅμα καὶ γενναίων ὀνομάτων καὶ συνθέσει ταῦτα κοσμήσειν κτλ. β) Verbum μέλλω cum futuri infinitivo coniungitur XVIII locis: p. 4013 τοὺς μέλλοντας εὖ συνθήσειν ‖ 6812 τὸν μέλλοντα διαθήσειν ‖ 1448 τοὺς μέλλοντας . . . ποιήσειν ‖ 1514 ἔμελλε φανήσεσθαι ‖ 1811 μακρὸς ἔμελλεν ὁ λόγος γενήσεσθαι καὶ ταυτολογίας τινὰ δόξαν παρέξειν [F, παρέχειν volgo] ‖ 1987 μέλλοι . . ἐπανθήσειν ‖ 5268 ἔμελλον . . . 10 ἀπελαθήσεσθαι ‖ 6139 τὰ μέλλοντα . . . 10 ποιήσειν ‖ 6259 ἔμελλεν ἐξοίσειν ‖ 7627 = 96814 ἔμελλε πείσεσθαι ‖ 9007 μέλλοντος δηώσειν ‖ 9205 μισήσειν . . . 6 ἔμελλον ‖ 99311 ἔμελλε . . γενήσεσθαι [M, γενέσθαι R] ‖ 11008 ἔμελλεν ἀποχρώντως ἕξειν ‖ 111714 μέλλουσιν ἕξειν ‖ 11183 ἕξειν ἔμελλεν ‖ 112816 ἔμελλον φανήσεσθαι.

p. 556₁₂ss Dionysius Isocratis virtutes cum Lysiae denuo comparans cum alia tum hoc ponit: *ἐν τῷ συστρέφειν τὰ νοήματα καὶ στρογγύλως ἐκφέρειν ὡς πρὸς ἀληθινοὺς ἀγῶνας ἐπιτήδειον Λυσίαν ἀπεδεχόμην*. In comparatione gradus positivus *ἐπιτήδειον* locum non habet. Lego *ἐπιτηδειότερον Λυσίαν ἀπεδεχόμην*, cf. p. 557₅ *ἀφελέστερον*, vers. 6 *περιεργότερον*, *πιθανώτερον*, vers. 7 *ἰσχυρότερον*.

p. 558₁₁ss *Δουλεύει γὰρ ἡ διάνοια πολλάκις τῷ ῥυθμῷ τῆς λέξεως, καὶ τοῦ κομψοῦ λείπεται τὸ ἀληθινόν· κράτιστόν τ' ἐπιτήδευμα ἐν διαλέκτῳ πολιτικῇ καὶ ἐναγωνίῳ τὸ ὁμοιότατον τῷ κατὰ φύσιν*. Ultimum enuntiatum prioribus oppositum est; corrigas igitur *κράτιστον δ' ἐπιτήδευμα κτλ.*

p. 563₅s *Εἰ μέτριος εἶ, μέχρι δεῦρο ἀνεκτός· ἀλλ' οὐκ ἀνήσει* FM¹: *ἦν* M²R; cf. pag. 53. Codicum lectio *εἶ*, pro qua in volgata e perversa nescio cuius coniectura *ἦν* contra rationem grammaticam exhibetur, suppeditat genuinam, ni fallor, lectionem *εἰ μέτριος εἴη, μέχρι δεῦρο ἀνεκτός*; cf. e. g. p. 101₁₀ss *εἰ μὲν οὖν ἐγχωροίη πάντα εἶναι τὰ μόρια τῆς λέξεως . . . εὔφωνά τε καὶ καλλιρρήμονα, μανίας ἔργον ζητεῖν τὰ χείρω· εἰ δ' ἀδύνατον εἴη τοῦτο . . . τῇ πλοκῇ . . . πειρατέον ἀφανίζειν τὴν τῶν χειρόνων φύσιν*.

p. 563₆s *Πάλιν γοῦν ἐν τῇ μετ' αὐτὴν* [R, *μεθ' αὐτὴν* FM] *περιόδῳ τίθησιν*. Lego *ἐν τῇ μετὰ ταύτην περιόδῳ*, itemque p. 1035₁ *ἐν τῇ μετὰ ταύτην* [*μεταυτὴν* M] *περιόδῳ τὰ αὐτὰ ποιῶν φανήσεται*.

p. 563₁₂ss *Ἐπειθ' ὥςπερ* [*ἐπεὶ θ' ὥσπερ* F] *οὐδὲν εἰρηκὼς τοιοῦτον ἀθρόαις ἐπικλύσει ταῖς παρισώσεσιν, ἐπιφέρων ταὐτίκα* [*ἐπιφέροντ' αὐτίκα* F]· „*Τὰ τῶν ἄλλων διώκουν θεραπεύοντες* . . . (sequuntur ex Isocratea quarta §§ 80—81, 3 Bekk. *ἀξιοῦντες*). *Ταὐτίκα* sensu cassum esse primus Wolfius vidit; ipse *αὐτίκα* proposuit, Sylburgius *ταὐτί*. Ni fallor in *ταὐτίκα* latet *ταυτί*· „*Καὶ τὰ τῶν ἄλλων διώκουν θεραπεύοντες*, et ita Isocrates.

p. 576₁₁ss *Μηδεὶς δέ μ' ἀγνοεῖν ὑπολάβῃ μηδ' ὅτι Ἀφαρεὺς . . . διορίζεται, . . .* vers. 15 *μηδ' ὅτι . . . φησιν . . .*

Ἀριστοτέλης. Librariorum errorem tollas μήθ' ὅτι — μήθ' ὅτι rescribens; cf. p. 577₃ καὶ οὔτ' Ἀριστοτέλει πείθομαι ... vers. 4 οὔτ' Ἀφαρεῖ ... συντίθεμαι.

p. 584₁₇ss Τὸ σχῆμα τῆς λέξεως ἐκ τῶν ἐπιδεικτικῶν εἴληπται παρισώσεων καὶ παρομοιώσεων. τό γε οὖν „ἐπιχειροίην" καὶ „τραποίμην" καὶ „εἰσπλευσοίμην" ἐν ἑνὶ χωρίῳ κείμενα καὶ τῶν κώλων τριῶν ὄντων τὸ μὲν μῆκος ἴσον ὑπάρχον τεκμήρια τῆς Ἰσοκράτους κατασκευῆς ἐστι. Particulam μέν, quia δέ non sequitur, spuriam esse iudico.

V.

In iudicium de Isaeo.

P. 587₁ss Γενέσεως δὲ καὶ τελευτῆς τοῦ ῥήτορος ἀκριβῆ χρόνον εἰπεῖν οὐκ ἔχω, οὐδὲ δὴ περὶ τοῦ βίου τἀνδρὸς οἷός τις ἦν, οὐδὲ περὶ τῆς προαιρέσεως τῶν πολιτευμάτων, οὐδὲ ἀρχὴν εἰ προείλετό τινα ἢ πολιτείαν, οὐδ' ὅλως περὶ τῶν τοιούτων οὐδενὸς διὰ τὸ μηδεμιᾷ[1]) τοιαύτῃ περιτυγχάνειν ἱστορίᾳ. Sylburgius in verbis οὐδὲ ἀρχὴν — πολιτείαν aliquo modo offendens particula ἢ expuncta οὐδὲ ἀρχήν idem esse vult atque „nec omnino"; sed ut nihil dicam de vi huius coli, quae propter insequens οὐδ' ὅλως nulla est, ea ipsa verborum οὐδὲ ἀρχήν significatio a Dionysii consuetudine plane aliena est. Itaque de integro potius enuntiato οὐδὲ ἀρχὴν εἰ προείλετό τινα ἢ πολιτείαν videamus.

Cum quattuor sint cola ab οὐδέ vocabulo incipientia, e Dionysii in enuntiatis struendis aequabilitate pro certo fere habuerim eum in tertio quoque colo substantivum ex praepositione περί pendens, non integrum enuntiatum (οὐδὲ ἀρχὴν εἰ προείλετό τινα ἢ πολιτείαν) scripturum fuisse, cum praesertim hoc colon non ultimum locum teneat. Ad hanc suspicionis causam e verborum structura petitam alia accedit et gravior et quae sola quaestionem dirimere possit.

Verba οὐδὲ ἀρχὴν — πολιτείαν quamquam aperte idem sibi volunt atque proxime praecedentia περὶ τῆς προ-

---

1) μηδεμιᾷ Krueg., spicileg. coniect. p. 40: μηδὲ codd.; cf. p. 450₉ ἐγὼ γοῦν οὐδεμιᾷ τοιαύτῃ περιτυχὼν οἶδα γραφῇ.

αἱρέσεως τῶν πολιτευμάτων, tamen re vera minime idem significant. *Πολιτεύματα προαιρεῖσθαι* de eo dicitur, qui certa in rebus publicis exercendis principia sibi sequenda eligit; cf. A. R. VI 49 p. 270₂₂ *ἐπὶ τῇ προαιρέσει τῶν πολιτευμάτων ἐπαινούμενον*. VIII 30 p. 138₁₂ *ἡ προαίρεσις … ἡ τῶν πολιτευμάτων σου*. XI 13 p. 108₁₂ *γίνου τῇ προαιρέσει τῶν πολιτευμάτων μὴ τυραννικός*. Dem. XVIII § 108 *ἄξιός εἰμι ἐπαίνου τυχεῖν, ὅτι πάντα τὰ τοιαῦτα προῃρούμην πολιτεύματα ἀφ' ὧν ἅμα δόξαι καὶ τιμαὶ καὶ δυνάμεις συνέβαινον τῇ πόλει, βάσκανον δὲ καὶ πικρὸν καὶ κακόηθες οὐδέν ἐστι πολίτευμα ἐμόν, οὐδὲ ταπεινόν, οὐδὲ τῆς πόλεως ἀνάξιον*. § 109 *ταὐτὸ τοίνυν ἦθος ἔχων ἔν τε τοῖς κατὰ τὴν πόλιν πολιτεύμασι καὶ ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς φανήσομαι*. *Ἀρχὴν προαιρεῖσθαι* est magistratum sibi eligere ad fungendum, de qua re ut in Isaeo Dionysius quaereret fieri sane potuit, licet neque in Lysia neque in Isocrate neque in Dinarcho idem fecerit; at verba *ἢ πολιτείαν*, quae sine dubio eidem atque illa auctori debentur, Dionysium de ea re non quaesivisse probant. Vide unde hoc efficiatur. *Πολιτείαν προαιρεῖσθαι* vix aliud quicquam esse potest quam rei publicae aliquam formam, id est oligarchiam vel democratiam, sibi eligere sequendam. Nam de ceteris huius verbi significationibus, quae quidem apud Dionysium occurrunt, hic cogitari nequit, quibus notatur et res publica, cf. e. g. A. R. II 7 p. 125₁₈ *ἐρῶ δὲ πρῶτον ὑπὲρ τοῦ κόσμου τῆς πολιτείας*, et ius civitatis, veluti A. R. II 15 p. 135₅ *πολιτείας μεταδίδου*. de Lysia p. 526₆ *τὴν πολιτείαν . . . τοῖς γῆν ἔχουσι παραδοῦναι*. Rei publicae forma ita indicatur e. g. de Lysia p. 525₁₃ *μὴ καταλῦσαι τὴν πάτριον πολιτείαν Ἀθήνησι*. Ep. ad. Cn. Pomp. p. 784₈ *πολιτειῶν σχήματα*. A. R. I 8 p. 10₁₃ *πολιτειῶν τε ἰδέας διέξειμι*. Sumamus igitur *πολιτείαν προαιρεῖσθαι* ferri posse; at verborum structura omnia turbat. *Ἀρχὴν εἰ προείλετό τινα* recte dicitur; *εἰ προείλετό τινα πολιτείαν* inepta sententia est et intolerabilis. Nam cum de certis tantum rei publicae formis quaeri posset, dici debebat, non *εἴ τινα προείλετο πολιτείαν*, sed *τίνα προείλετο πολιτείαν*. Hinc evincitur verba *οὐδὲ ἀρχὴν εἰ προεί-*

λετό τινα ἢ πολιτείαν spuria esse: quae ineptum interpretamentum sunt illorum *οὐδὲ περὶ τῆς προαιρέσεως τῶν πολιτευμάτων*. Idque certius etiam eo fit, quod paullo infra interpolatio satis perspicua Dionysii verbis male adspersa est. Excipiunt enim verba supra citata haec: *Οὐδὲ γὰρ ὁ τοὺς Ἰσοκράτους μαθητὰς ἀναγράψας Ἕρμιππος ἀκριβὴς ἐν τοῖς ἄλλοις γενόμενος ὑπὲρ τοῦδε τοῦ ῥήτορος οὐδὲν εἴρηκεν ἔξω δυεῖν τούτων, ὅτι διήκουσε μὲν Ἰσοκράτους, καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους, συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων*. Ipsa paene verba clamant unum colon tollendum esse; nam cum Hermippus dixerit *ἔξω δυεῖν τούτων*, tamen tria sequuntur cola. Quaeritur igitur, quae sint genuina Hermippi Dionysiive, quae lectoris alicuius vilis doctrina. Habemus autem, quibus nisi spurium colon certo detegere possimus, testimonia haec:

1. *Γένος Ἰσαίου*; cf. Westerm. biogr. p. 261.

Ἰσαῖος ὁ ῥήτωρ ἐγένετο κατὰ μέν τινας Ἀθηναῖος, κατὰ δέ τινας Χαλκιδεύς, πατρὸς δὲ Διαγόρου, μαθητὴς δ' Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους. ... ὥς φησι Διονύσιος ὁ Ἁλικαρνασεὺς ὁ κριτικός.

2. Vit. X orat., cf. Westerm. biogr. p. 260.

Ἰσαῖος Χαλκιδεὺς μὲν ἦν τὸ γένος, παραγενόμενος δ' εἰς Ἀθήνας καὶ σχολάσας μὲν Ἰσοκράτει ... καθηγήσατο δὲ Δημοσθένους.

3. Suidae lexicon s. v. *Ἰσαῖος*.

Ἰσαῖος. εἷς μέν ἐστι τῶν ι ῥητόρων, μαθητὴς δ' Ἰσοκράτους, διδάσκαλος δὲ Δημοσθένους. (Similia habet Eudocia.)

Ex his testimoniis et ipsius Hermippi verbis *ἔξω δυεῖν τούτων* certissime efficitur verba *συνεγένετο δὲ τοῖς ἀρίστοις τῶν φιλοσόφων* spuria esse. Quamquam haec interpolatio diversa est ab iis, quae volgo occurrunt; vix enim quisquam de suo haec addidit, sed ad certum fontem ea redeunt. Viam, quae sola patet, R. Schoellius per colloquium familiare indicavit: nimirum ea verba e Demosthenis mentione male ad Isaeum relata originem duxerunt. Demosthenem philosophos audi-

visse iisque familiariter usum esse vitae tradunt; cf. Westerm. biogr. p. 298₃₈ *ὁ θεῖος ἀνὴρ φιλοσόφων μὲν ἑαυτὸν παρεδίδου Πλάτωνι.* 281₆ *ζηλῶν Θουκυδίδην καὶ Πλάτωνα τὸν φιλόσοφον, ᾧ τινες εἶπον προηγουμένως αὐτὸν σχολάσαι.* 309₁₂ *συνεφιλολόγησε δ' Αἰσίωνι τῷ Ἀθηναίῳ καὶ Θεοπόμπῳ τῷ Χίῳ φιλοσόφῳ.* 290₃₇ *ἔγνω δ' αὐτὸν* (sc. *τὸν Δημοσθένη*) *καὶ Λυσίας ὁ ῥήτωρ καὶ Ἰσοκράτης εἶδε πολιτευόμενον ἄχρι τῆς ἐν Χαιρωνείᾳ μάχης καί τινες τῶν Σωκρατικῶν φιλοσόφων.*

Reddantur igitur auctori suo illa verba, Hermippo ne tribuantur. Inde ea etiam ultro corruunt, quae F. Blassius ex Hermippi quae videbatur auctoritate de Isaei cum philosophis familiaritate etsi dubitanter docuit[1]; ipse, ni fallor, sensit fidem ea non habere.

p. 590₈ss *Παρὰ Λυσίᾳ μὲν οὐ πολλὴν τὴν ἐπιτέχνησιν οὔτ' ἐν ⟨τοῖς⟩*[2] *μερισμοῖς τῶν πραγμάτων οὔτ' ἐν τῇ τάξει τῶν ἐνθυμημάτων οὔτε ἐν ταῖς ἐξεργασίαις αὐτῶν ὄψεται· ἁπλοῦς γὰρ ὁ ἀνήρ. παρ' Ἰσαίῳ δὲ καὶ τεχνικώτερον ἤδη γινόμενα ταῦτα εὑρήσει.* Ante particulam *καί* aliquid deesse Reiskius perspexit, quamquam quae ipse proposuit inserenda *ποικιλότερον* vel *πανουργότερον* minus probo. Dionysius scripsit: *παρ' Ἰσαίῳ δὲ ⟨ἀκριβέστερον⟩ καὶ τεχνικώτερον ἤδη γινόμενα ταῦτα εὑρήσει*, cf. Isaei vitam ap. Westerm. biogr. p. 262₂₅ in ea de qua agitur parte e Dionysio haustam *παρὰ Λυσίᾳ μὲν οὐ πολλὴν τὴν τέχνην εὑρήσομεν οὔτ' ἐν τοῖς μερισμοῖς τῶν πραγμάτων οὔτ' ἐν τῇ τάξει τῶν ἐνθυμημάτων, παρὰ δ' Ἰσαίῳ πολλὴ τῆς τέχνης ἡ ἀκρίβεια*; de Isaeo iudic. p. 590₁ *ἡ δὲ Ἰσαίου* (sc. *λέξις*) *τεχνικωτέρα δόξειεν ἂν εἶναι καὶ ἀκριβεστέρα τῆς Λυσίου.*

p. 590₁₅s *Μέχρι πολλοῦ προάγει τὰς τῶν ἐγχειρημάτων ἐξεργασίας.* Rescribas vocem sollemnem *ἐπιχειρημάτων*; cf. e. g. p. 487₅ *περὶ τὰς ἐξεργασίας τῶν ἐπιχειρημάτων ἀφελής τις.* 646₁₃ *κατὰ δὲ τὴν οἰκονομίαν* (sc. *λείπεται*) *τῇ τάξει καὶ ταῖς ἐξεργασίαις τῶν ἐπιχειρημάτων.*

---

[1] „Geschichte der attischen Beredsamkeit" II 457₈ ‖ [2] *τοῖς* accedit ex vita Isaei ap. Westerm. biogr. p. 262₂₆.

p. 592_{9ss} ita lego: *οἱ δὲ Ἰσοκράτους καὶ Λυσίου* (sc. *λόγοι*) *παντὸς μάλιστα δίκαιοί τε καὶ ἀληθεῖς* (sc. *δοκοῦσιν εἶναι*), *κἂν μὴ τοιαῦτα* ⟨*ᾖ*⟩ *τὰ πράγματα ἐν αὐτοῖς*. Ad collocationem vocis *ᾖ* conferas p. 476_{7} *ὅταν διαπορῶ . . . καὶ μὴ ῥᾴδιον ᾖ κτλ.*

p. 595_{18ss} *Τί δὴ ταῦτα τὰ προοίμια ἀλλήλων διαφέρει; παρὰ Λυσίᾳ μὲν ἡδεῖά ἐστιν ἡ εἰσβολή· καὶ δι' οὐδὲν ἄλλο μᾶλλον ἢ ὅτι φυσικῶς πως εἴρηται καὶ ἀφελῶς. Καί* particulam ante *δι' οὐδέν*, quia verbum finitum copulae *ἐστιν* respondens non sequitur, delendam esse censeo. Una tantum causa est, cur Lysiae exordium suave sit. Idem vitium volgata tollit p. 453_{4} *διετέλεσεν αὐτόθι πολιτευόμενος ἐν εὐπορίᾳ πολλῇ, καί*[1] [*πολλῆι καὶ* F] *μέχρι τῆς συμφορᾶς τῆς κατασχούσης Ἀθηναίους ἐν Σικελίᾳ* FM: *καί* om. R. Nam ne quid intercidisse putemus veluti *μεγάλῃ*, et ratio suadet — languida enim sententia esset — et Dionysii consuetudo docet, qui *εὐπορία πολλὴ καὶ μεγάλη* in rhetoricis certe scriptis non dixit, neque Antiquitatum partes varias percurrenti mihi haec locutio obviam facta est. Contra *εὐπορία πολλή* legitur p. 446_{5} *ἐν εὐπορίᾳ . . . πλείονι τῆς ἑτέρας διῆγεν.*

p. 598_{9ss} *Ὁ μὲν Ἰσαῖος ἐπιτρόπῳ τινὶ συντάξας ἀπολογίαν . . . τοιαύτῃ κέχρηται ἀρχῇ.* Lego *τοιαύτῃ κέχρηται* ⟨*τῇ*⟩ *ἀρχῇ*, ut in loco congruo p. 599_{12ss} *ὁ δὲ Λυσίας . . . τοιούτῳ κέχρηται τῷ προοιμίῳ.* Eandem Dionysii consuetudinem secutus p. 1122_{16ss} ita scribo: *Ἃ δέ γ' Αἰσχίνης περὶ αὐτοῦ γράφει συκοφαντῶν, ὥσπερ ἔφην, τοτὲ μὲν ὡς πικροῖς καὶ περιέργοις* ⟨*τοῖς*⟩ *ὀνόμασι χρωμένου, τοτὲ δ' ὡς ἀηδέσι καὶ φορτικοῖς, ῥᾳδίας ἔχει τὰς ἀπολογίας*, cf. p. 1125_{17}, ubi de eodem Aeschine Dionysius loquitur: *Τὸ δὲ φάσκειν φορτικοῖς καὶ ἀηδέσι τοῖς ὀνόμασιν αὐτὸν κεχρῆσθαι πόθεν ἐπῆλθεν αὐτῷ λέγειν, ὑπὲρ πάντα ἔγωγε τεθαύμακα.* Itidem articulum addo p. 1060_{14} *δοκεῖ δή μοι τῶν μὲν ὑψηλῇ καὶ περιττῇ καὶ ἐξηλλαγμένῃ* ⟨*τῇ*⟩ *λέξει κεχρημένων κατὰ τὸ σαφέστερον καὶ κοινότερον . . . προὔχειν ὁ Δημοσθένης*, cf. p. 182_{2} *μάλιστα πάντων τῶν πεζῇ τῇ λέξει χρησαμένων.*

---

[1]) *καί*, *α* in ras. M^1.

1061_{4} τῶν δὲ τὴν λιτὴν καὶ ἰσχνὴν καὶ ἀπέριττον ἐπιτηδευόντων φράσιν. vers. 9 τῶν δὲ τὴν μέσην διάλεκτον ἠσκηκότων. Eandem medelam adhibeo p. 1008_{15} τὴν πρώτην διάνοιαν ὀλίγοις ⟨τοῖς⟩ ὀνόμασιν ἐξενεχθῆναι δυναμένην μακρὰν ποιεῖ, cf. p. 970_{9} τοσαύτην ἐκμηκύνας περίφρασιν ὀλίγοις τοῖς ὀνόμασι δυναμένου περιληφθῆναι πράγματος. 131_{9} ἐν ὀλίγοις τοῖς κώλοις οὐ πολλὰς εἰσῆγον τὰς μεταβολάς. Denique articulum his locis addo: p. 495_{11} πάντα ⟨τὰ⟩ παραπλήσια τούτοις. 644_{5} δύο τρόπους τῆς διαφορᾶς καὶ ⟨τῆς⟩ πρὸς τὰ ἀρχαῖα μιμήσεως εὕροι τις ἄν. 899_{9} ὁρῶ δὲ καὶ ⟨τὰ⟩ περὶ τὴν λέξιν ἐλαττώματα, περὶ ὧν ἤδη προείρηκα, πλεῖστα καὶ μέγιστα ταύταις συμβεβηκότα ταῖς ἰδέαις. 1010_{6} ταῦτα ⟨τὰ⟩ κεκολπωμένα σφίγξαι μᾶλλον ἐνῆν. 1075_{8} Ἡ μὲν δὴ πρώτη τῶν ἁρμονιῶν ἡ γενικὴ . . . τοιάδε τίς ἐστι κατὰ τὸν χαρακτῆρα. Ἡ δὲ μετὰ ταύτην ⟨ἡ⟩ γλαφυρὰ . . . τοιαύτη. 1118_{3} τὰ πάθη τὰ τῆς φωνῆς καὶ τὰ σχήματα ⟨τὰ⟩ τοῦ σώματος.

p. 601_{11ss} Ἑνὸς δ' ἔτι μνησθήσομαι γένους, ἐξ οὗ μάλιστα ἡ διαφορὰ τῶν ἀνδρῶν ἔσται καταφανής. Ὑποτίθεται δὲ [codd.: δ' R] ἑκάτερος ἰδιώτην ἄνδρα καὶ ἀπράγμονα καὶ νέον κτλ. Ex Dionysii usu scribendum iudico Ὑποτίθεται δὴ ἑκάτερος κτλ., cf. p. 906_{4ss} Ἐξετάσωμεν δὴ παρὰ τοῦτον τὸν διάλογον . . . ἕτερον αὐτοῦ διάλογον . . . ὑποτίθεται δὴ κτλ. 592_{16s} ἄρξομαι δὲ ἀπὸ τῶν περὶ τὴν λέξιν θεωρημάτων. ἔστι δή τις Ἰσαίου λόγος. 945_{6ss} θήσω δ' ἐξ ἀμφοτέρων παραδείγματα . . . ἔστι δή τις αὐτῷ δημηγορία.

p. 611_{11ss} Ἔσται δὲ κεφαλαιώδης τε καὶ ὡς πρὸς ἀνεγνωκότας τὸν ἄνδρα ὁ λόγος· οὐ γὰρ ἐνεχώρει παραδείγματα πάντων τιθέναι. Quando igitur fieri non poterat, ut omnium exempla promerentur? Tum scilicet, cum Dionysius haec scribebat. Falso igitur imperfectum exhibetur: legas οὐ γὰρ ἐγχωρεῖ παραδείγματα πάντων τιθέναι, cf. p. 54_{6s} παραδείγματα δ' ἀμφοῖν καθ' ἕκαστον φέρειν ἐν τῷ παρόντι οὐκ ἐγχωρεῖ. 496_{16s} προχειρισάμενός τε ἕνα λόγον· οὐ γὰρ ἐγχωρεῖ πολλοῖς χρῆσθαι παραδείγμασιν.

577₁₁ₛ χρῶμαι παραδείγματι ἐξ αὐτῶν ἑνί· οὐ γὰρ ἐγχωρεῖ πλείοσι.

p. 613₈ₛₛ Τοτὲ δὲ προκατασκευάζεταί τινα πρὸ τῶν διηγήσεων πράγματα καὶ προλαμβάνει τὰ μέλλοντα, πιστοτέρας αὐτὰς ἢ κατ' ἄλλο τι χρησιμωτέρας ποιήσειν οἰόμενος. Non τὰ μέλλοντα praemittit Isaeus, sed τὰ μέλλοντα πιστοτέρας αὐτὰς . . . ποιήσειν, idemque exemplum a Dionysio prolatum probat. Supervacuum igitur est spuriumque verbum οἰόμενος, quod a lectore ποιήσειν e voce μέλλοντα pendere ignorante temere additum est.

p. 613₁₇ₛₛ Διττῆς δὲ τῆς ἀμφισβητήσεως ὑπαρχούσης... p. 614₃ πρῶτον ἀποδοὺς τὸν ὑπὲρ τῶν νόμων λόγον καὶ ταῦτα ἀποδείξας τὸ μέρος, ὡς οὐ δεῖ τὸν ἐπίδικον κρατεῖσθαι κλῆρον πρὸ δίκης, οὕτως ἐπὶ τὴν διήγησιν ἔρχεται. Verba corrupta καὶ ταῦτα ἀποδείξας τὸ μέρος Sauppius or.-Att. II p. 229ᵃ₂₃ ita emendavit: κατὰ τοῦτο ἀποδείξας τὸ μέρος. Malim tamen, quia et participia ἀποδούς et ἀποδείξας aperte iuxta posita sunt, neque structura, qualem Sauppius vult, ex Dionysii more est, ita verba constituere: ἀποδοὺς τὸν ὑπὲρ τῶν νόμων λόγον καὶ ⟨κατὰ⟩ τοῦτ' ἀποδείξας τὸ μέρος κτλ. Ceterum locutio κατὰ τοῦτο τὸ μέρος saepius apud Dionysium occurrit; cf. p. 118₅ οὐκ ἄν τις αὐτὸν ἔχοι κατὰ τοῦτο μέμψασθαι τὸ μέρος. 134₁₀ οὐ δὴ ἀποδέχομαι τὴν αἵρεσιν ἐκείνην κατὰ τοῦτο τὸ μέρος. 171₄ ἔοικε κατὰ τοῦτο τὸ μέρος εὐητρίοις ὑφαῖς. 454₁₂ κατὰ τοῦτο μὲν δὴ τὸ μέρος . . . οὐθεὶς τῶν μεταγενεστέρων αὐτὸν ὑπερεβάλετο. 757₂ οὐδ' ἄν τις ἔχοι κατ' αὐτὸ τοῦτο μέμψασθαί με τὸ μέρος. 1006₉ οὐ μὴν τελεία γε κατὰ τοῦτο τὸ μέρος. 753₆ καθ' ὃ μέρος ἥττους οἱ τούτων λόγοι εἰσὶ τῶν ἐκείνου.

p. 614₁₃ₛₛ Πολλὰς δ' ἂν ἔχοιμι καὶ ἄλλας παρασχέσθαι διηγήσεις πρὸς τὸ συμφέρον ᾠκονομημένας ὑπὸ τοῦ ῥήτορος προκατασκευαῖς, μερισμοῖς, χωρίων ἀλλαγαῖς, πραγμάτων μεταγωγαῖς, τῷ τὰ κεφάλαια ἀνεστράφθαι, τῷ μὴ κατὰ τοὺς χρόνους τὰ πραχθέντα εἰρῆσθαι, τῷ ὡς μὴ πάντα μηδαμῶς φύσιν εἶχε πραχθῆναι μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης τις εἴποι

λέγεσθαι, μὴ μετρίως, μυρίοις ἄλλοις τοιούτοις τρόποις „Isaei narrationes praeter alia artificia haec quoque propria habent, quod res gestae non secundum temporum rationem proferuntur, quod non omnia dicuntur neque ea quae afferuntur ita pronuntiantur, ut natura fert, nec ita, ut privatus homo loqui solet.“ Verba inde a verbis *τῷ ὡς μὴ πάντα* mirifice turbata sanam constructionem respuunt. Primum hoc verissime Reiskius intellexit in *μηδαμῶς* latere *μηδ' ἂν ὡς*, quamquam ea verba et ipsa depravata sunt. In priore colo *τῷ ὡς μὴ πάντα* particula *ὡς* ferri nequit, cum praecedat *τῷ μὴ κατὰ τοὺς χρόνους .. εἰρῆσθαι*; in altero membro particula *ἂν* falso additur: quae verba nescio quo modo ex sequentibus *μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης* originem duxisse mihi videntur, cum praesertim eodem ordine adiecta sint (*ὡς* — *ἂν*). Haec si sustuleris, plana procedet oratio. Unum vitium restat. Sylburgius iure in verbis *μὴ μετρίως* offendens hunc in modum sententiae ea accommodat: *μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης τις εἴποι, λέγεσθαι μετρίως, καὶ μυρίοις ἄλλοις τοιούτοις τρόποις*. Sed male verba mutantur, cum id ipsum, quod vocabula *μὴ μετρίως* in constructionem nullo modo quadrant, loci sanandi ansam praebeat. Verba *μὴ μετρίως*, quippe quae manifestum interpretamentum sint enuntiati *μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης τις εἴποι*, me quidem iudice expellenda sunt. Totum igitur de quo agitur locum ita restituerim: *πολλὰς δ' ἂν ἔχοιμι καὶ ἄλλας παρασχέσθαι διηγήσεις πρὸς τὸ συμφέρον ᾠκονομημένας ὑπὸ τοῦ ῥήτορος . . . τῷ τὰ κεφάλαια ἀνεστράφθαι, τῷ μὴ κατὰ τοὺς χρόνους τὰ πραχθέντα εἰρῆσθαι, τῷ* [*ὡς*] *μὴ πάντα, μηδ'* [*ἂν*] *ὡς φύσιν εἶχε πραχθῆναι, μηδ' ὡς ἂν ἰδιώτης τις εἴποι λέγεσθαι* [*μὴ μετρίως*], *μυρίοις ἄλλοις τοιούτοις τρόποις*.

p. 615 10ss ita lego: *Ἐρῶ δὲ καὶ κεφαλαιωδῶς περὶ ταύτης τῆς ἰδέας ἣν ἐγὼ δόξαν ἔχω καὶ τίνι διαφέρειν οἴομαι τὸν Ἰσαῖον τοῦ Λυσίου. τοῦ Λυσίου μὲν δή* [*ἂν* codd.] *τις ἀναγινώσκων τὰς διηγήσεις οὐδὲν ἂν ὑπολάβοι* [*ὑπολάβῃ* codd.][1]) *λέγεσθαι κατὰ τέχνην ἢ πονηρίαν, ἀλλ' ὡς ἡ φύσις*

1) Ex diverso p. 642 17 scribas *ἐὰν . . . ἴδῃ* [*ἴδοι* FR].

ἡ ἀλήθεια φέρει. Sequuntur haec vers. 16ss: ἐπὶ δὲ τῶν ου διηγημάτων τοὐναντίον ἂν παθεῖν μηδὲν ὑπολαβεῖν φυῶς καὶ ἀπραγματεύτως λέγεσθαι . . . καὶ τῷ μὲν ἂν :ὰ ψευδῆ λέγοντι πιστεύσειεν ἄν, τῷ δὲ μηδ' ἂν ἀληθεύῃ ς ὑποψίας προσέξειν. Reiskius omnes infinitivos e ο οἴομαι p. 615₁₁ pendentes facit ac praeterea πιστεύ-' in πιστεύσειν mutat. Utrumque quam maxime contra nem grammaticam fieri vix est quod moneam. Medela loco afferenda longe alia est, ni fallor. Unum vitium urgius sustulit, cum pro προσέξειν scriberet προσέξει. terea pro ἂν παθεῖν legas ἂν πάθοι, collatis p. 615₁₃ ν ἂν ὑπολάβοι, 616₅ πιστεύσειεν ἄν.

p. 624₁₁ss Οὐθὲν δὲ κωλύει καὶ κεφαλαιωδῶς περιλα-α δι' ἐλαχίστης δηλώσεως τὰ φανερώτατα εἰπεῖν· ὅτι δοκεῖ Λυσίας μὲν τὴν ἀλήθειαν διώκειν μᾶλλον, Ἰσαῖος ἡν τέχνην, καὶ ὁ μὲν στοχάζεσθαι τοῦ χαριέντως· ὁ δὲ δεινῶς. Adverbia χαριέντως et δεινῶς locum nullo modo nt, neque cum Reiskio facio, qui εἰπεῖν intercidisse pu- Desiderantur duo neutra, quae verbis τὴν ἀλήθειαν et τέχνην respondeant. Itaque lego δοκεῖ . . . ὁ μὲν στο-σθαι τοῦ χαρίεντος, ὁ δὲ τοῦ δεινοῦ.

VI.

In libellum de Dinarcho.

P. 638₇ss Ὑποκειμένων δὲ τούτων ὁλοσχερεῖ λογισμῷ· ἀρ ἀκριβὲς οὐκ ἔχομεν· εἴη ἂν κατὰ Νικόφημον ἄρ-α γεγονώς. εἰ δέ τις ἢ πρεσβύτερον ἢ νεώτερον τῶν μένων χρόνων αὐτὸν εἶναι φήσει[1], πρὸς τῷ μηδὲν ὑγιὲς ιν καὶ λόγους αὐτὸν[2] πολλοὺς ἀφελεῖται[3], μᾶλλον δὲ τας πλὴν πέντε ἢ ἕξ, τῶν μὲν πρεσβύτερον αὐτόν, τῶν εώτερον εἶναι λέγων. Condicionis in apodosi non ferenda repetitio τῶν μὲν πρεσβύτερον αὐτόν, τῶν δὲ νεώτερον

) φήσει Westerm. biogr. p. 320₂₉: φησὶ FR ‖ ²) αὐτὸν Krueg. . coniect. ap. Westerm. l. l.: αὖ FR ‖ ³) ἀφελεῖται Sylb.: ἀφέ- FR.

εἶναι λέγων, neque vero condicio eadem est, cum priore loco aetatis Dinarchi computatio pendeat ex certis annis, altero ex orationibus. Atqui quae de temporum rationibus proferuntur, capitibus praecedentibus genuina esse probatur; unde sequitur verba *τῶν μὲν πρεσβύτερον αὐτὸν, τῶν δὲ νεώτερον εἶναι λέγων* Dionysio non deberi, sed ineptam esse explicationem a nescio quo adscriptam. Deinde Kruegeri coniectura e Dionysii loquendi usu corrigenda est *πρὸς τῷ μηδὲν ὑγιὲς λέγειν καὶ λόγους αὐτοῦ πολλοὺς ἀφελεῖται*, cf. p. 665₁₂ *οἱ Δημοσθένους ἀφαιρούμενοι τοῦτον τὸν λόγον.* 659₁₅ₛ *ἀφαιροῦμαι δὲ καὶ τοὺς περὶ Μενεσαίχμου λόγους ἀμφοτέρους αὐτοῦ.* 729₁ₛ *πᾶσαν ἀφαιρούμενος ἐπιχείρησιν τῶν χαρίζεσθαι βουλομένων αὐτῷ τὰ μὴ προσήκοντα.* 157₁₆ *εἰ γοῦν τὸ ῑ τὶς ἀφέλοι τῆς συλλαβῆς.* A. R. I 36 p. 43₂ Kiessl.: *ἀφελὼν τὸ μυθῶδες τοῦ λόγου.*

p. 639₁₀ₛₛ *Καιρὸς ἤδη καὶ περὶ τοῦ χαρακτῆρος αὐτοῦ λέγειν. ἔστι δὲ δυσόριστον· οὐδὲν γὰρ οὔτε κοινὸν οὔτ' ἴδιον ἔσχεν, οὔτ' ἐν τοῖς ἰδίοις, οὔτ' ἐν τοῖς δημοσίοις ἀγῶσιν· ἀλλὰ καὶ τοῖς Λυσίου παραπλήσιός ἐστιν ὅπου γίνεται καὶ τοῖς Ὑπερείδου καὶ τοῖς Δημοσθένους λόγοις· καὶ τούτων πολλὰ δή τις ἔχει παραδείγματα ἐκθέσθαι. Δυσόριστον* non recte legi sequens enuntiatum monstrat, propter quod corrigas *δυσόριστος*, sc. *ὁ χαρακτήρ.*

Deinde non hoc solum loco, sed alibi etiam scribarum error tollatur *ἰδιωτικός* et *ἴδιος* confundentium. *Ἴδιοι ἀγῶνες* ei sunt, in quibus de suis rebus is qui verba facit loquitur, veluti de Dem. p. 1022₁₂ₛₛ *ὅπου γὰρ ἡμεῖς . . . οὕτως ὑπαγόμεθα καὶ κρατούμεθα . . . πῶς τότε Ἀθηναῖοί τε καὶ οἱ ἄλλοι Ἕλληνες ἤγοντο ὑπὸ τοῦ ἀνδρὸς ἐπὶ τῶν ἀληθινῶν τε καὶ ἰδίων ἀγώνων αὐτοῦ λέγοντος ἐκείνου τὰ ἑαυτοῦ μετὰ τῆς ἀξιώσεως ἧς εἶχε τὴν αὐτοπάθειαν.* Contra *δημοσίοις ἀγῶσιν* oppositi sunt *ἰδιωτικοὶ ἀγῶνες*, causae privatae, veluti p. 944₁₇ₛₛ *τὰς δὲ πολυπλόκους νοήσεις καὶ πολλὰ δηλούσας ἐν ὀλίγοις . . . ἐζήλωσέ τε* (sc. *ὁ Δημοσθένης*) *καὶ προσέθηκε τοῖς τε δημηγορικοῖς καὶ τοῖς δικανικοῖς λόγοις ἧττον μὲν ἐπὶ τῶν ἰδιωτικῶν,*

ι ψ ι λ έ σ τ ε ρ ο ν δ' ἐπὶ τῶν δημοσίων ἀγώνων. 1124₁₇ γὰρ ἀνὴρ ἐν μὲν ταῖς δημηγορίαις καὶ τοῖς δημοσίοις γῶσι πρὸς τὸ μέγεθος καὶ τὸ ἀξίωμα τῶν ὑποθέσεων ἀπολέπων κέχρηται τῇ τοιαύτῃ κατασκευῇ πολλάκις, ἐν δὲ οῖς ἰ δ ι ω τ ι κ ο ῖ ς λόγοις, οὓς περὶ μικρῶν συμβοαίων ἰδιώταις ἀνθρώποις ἔγραψε, τὴν κοινὴν καὶ υνήθη λέξιν ἐπιτηδεύει. 651₅ Δ η μ ό σ ι ο ι λόγοι γνήσιοι, 547 Ψευδεπίγραφοι δ η μ ό σ ι ο ι. 661₁₁ Ἰ δ ι ω τ ι κ ο ὶ γνήιοι, 664₁₄ Ἰ δ ι ω τ ι κ ο ὶ ψευδεπίγραφοι.

Inde praeter hunc de quo agitur locum et p. 630₅, ubi Vlietius l. l. p. 57 ἰδιωτικούς restituit, corrigendi sunt hi: p. 639₅ₛ οὐ γὰρ εἰς Χαλκίδα ἄν τινες ἔπλεον λόγων χάριν ἢ ἰ δ ι ω τ ι κ ῶ ν ἢ δημοσίων. 641₆ ἔν τε τοῖς ἰ δ ι ω τ ι κ ο ῖ ς καὶ τοῖς δημοσίοις ἀγῶσιν. 660₉ καὶ ἐν ἰ δ ι ω τ ι κ ο ῖ ς καὶ ἐν δημοσίοις ἀγῶσιν. 962₇ ἀγῶνα μὲν οὔτ' ἰ δ ι ω τ ι κ ὸ ν οὔτε δημόσιον οὐδένα πώποτε ἀγωνισαμένου, cf. quae infra dicam ad p. 962₆ₛₛ.

Denique ex constanti Dionysii usu p. 639₁₅ lego καὶ τούτων πολλὰ ἄν τ ι ς ἔ χ ο ι παραδείγματα ἐκθέσθαι, idemque Ambrosiano etiam magis invito p. 1122₆ πολλά τις ⟨ἄν⟩ εἰς τοῦτο τὸ μέρος εἰπεῖν ἔχοι [R, ἔχει M]; cf. e. g. p. 1015₂ πολλὰ ἄν τις ἔχοι τοιαῦτα ἐπιτιμᾶν Ἰσοκράτει. 144₅ πολλά τις ἂν ἔχοι τοιαῦτα δεῖξαι παρ' Ὁμήρῳ λεγόμενα.

Ceterum particulae ἄν et δή saepius confusae sunt; corrigo hos locos: p. 967₆ μὴ γὰρ δ ὴ [ἂν R] οὕτω σκαιὸς μηδ' ἀναίσθητος ἐγὼ γενοίμην. 1028₄ τοιοῦτος μὲν δ ή τις[1]) ὁ τρόπος ἔσται μοι τῆς συγκρίσεως. 1063₉ₛₛ ὧν ἦν Αἰσχίνης ὁ ῥήτωρ . . . ὃς οὐ πολὺ δ ὴ [ἂν R] ἀπέχειν δοκεῖ τῶν ἄλλων ῥητόρων.

p. 641₁₆ₛₛ ita lego: ὁ δὲ τούτους τε καὶ τοὺς ἄλλους πάντας ὑ π ε ρ β α λ ό μ ε ν ο ς [ὑπερβαλλόμενος FR] Δημοσθένης, ἅπαντα μιμησάμενος καὶ πάντων τὰ κάλλιστα ἐκλεξάμενος κτλ.; cf. p. 723₂ Δημοσθένης ὁ πάντας ὑ π ε ρ β α λ ό μ ε ν ο ς τούς τε πρὸ αὑτοῦ καὶ τοὺς καθ' ἑαυτόν.

---

1) ἄν τις Me : οὖν τις R ex Sylburgii coniectura.

p. 643₁₆ *Τὸ διὰ πάσης κεραίας διῆκον πικρὸν καὶ νοερόν*. Reiskius „insolentia vocabuli *νοερόν* huiusmodi in rebus" commotus *σφοδρόν* suspicatur legendum esse. Dionysius ni fallor scripsit *τὸ ... πικρὸν καὶ φοβερόν*; cf. p. 482₁₁ss *ὑψηλὴ δὲ καὶ μεγαλοπρεπὴς οὐκ ἔστιν ἡ Λυσίου λέξις ... οὐδὲ τὸ πικρὸν ἢ τὸ δεινὸν ἢ τὸ φοβερὸν ἐπιφαίνουσα*. 793₇ss = 869₁₅ss *χρώματα δ' αὐτῆς* (sc. *τῆς Θουκυδίδου λέξεως*) *τό τε στρυφνὸν καὶ τὸ πικρὸν ... καὶ τὸ φοβερόν*.

p. 657₅ss *Οἱ μὲν οὖν τῆς ἀκμῆς αὐτοῦ φερόμενοι ψευδεπίγραφοι εἰς αὐτὸν λόγοι εἰσὶν οἵδε, μετὰ δὲ τὴν ἐξ Ἀθηνῶν εἰς Χαλκίδα ἀναχώρησιν οἵδε*. Orationes, de quibus Dionysius modo dixit, ante virilem Dinarchi aetatem habitae sunt. Itaque *τῆς ἀκμῆς* non recte legitur, et sagaciter Reiskius *πρεσβύτεροι* intercidisse suspicatus est collatis, ni fallor, verbis p. 656₅s *ἔστι δὲ ταῦτα πρεσβύτερα τῆς Δεινάρχου ἀκμῆς* vel p. 657₂s *πρεσβύτερός ἐστι τῆς Δεινάρχου ἀκμῆς*. Deinde Dionysii consuetudo pro *φερόμενοι* requirit *ἀναφερόμενοι*, cf. p. 476₇ *ὅταν διαπορῶ περί τινος τῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτὸν λόγων*. 477₁₂ *πολλοὺς τῶν ἀναφερομένων εἰς αὐτὸν λόγων*. 479₁₁ .. *καὶ αὐτὴν εἰς Λυσίαν ἀναφερομένην*. Denique pro priore *οἵδε*, quod contra omnem Graeci sermonis rationem exhibetur et aperte ex posteriore pronomine originem duxit, legas *οὗτοι*, cf. e. g. p. 78₁ *φωνηέντων μὲν οὖν γραμμάτων αὕτη ἡ φύσις, ἡμιφώνων δὲ τοιάδε*. 89₁₀ *πρῶτον μὲν δὴ θεώρημα τοῦτο τῶν ἐν ταῖς συλλαβαῖς παθῶν, ἕτερον δὲ τοιόνδε*.

p. 660₂ss ita legerim: *ὁ δὲ πρὸς Περικλέα καὶ Δημοκράτην* (sc. *λόγος ἀφαιρεῖται αὐτοῦ*) ... *διά τε τὸν χαρακτῆρα· ὑδαρής ⟨τε⟩ γὰρ καὶ κεχυμένος καὶ ψυχρὸς κτλ.*, cl. p. 659₁₁s *ἀπ' αὐτοῦ τοῦ χαρακτῆρος εὕροι τις ἂν οὐκ ὄντα τὸν λόγον Δεινάρχου· ὑδαρής τε γὰρ καὶ ἀσθενὴς καὶ ψυχρός ἐστιν*. Eandem particulam *τε* his praeterea locis addo: p. 773₁₈ *διεξελθών τε πράξεις Ἑλλήνων⟨τε⟩ καὶ βαρβάρων*, cl. p. 536₁₂ *ἄλλοι τὰς κοινὰς τῶν Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων πράξεις ἀνέγραψαν*. 768₁₂ *ἢ τὰ θαυμαστὰ ἔργα δη-*

υσα Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων γραφή. 820₁₃ πάσας τὰς τοῖς εἴκοσι [Sylb., τεσσαράκοντα R] καὶ διακοσίοις ἔτεσι νομένας πράξεις ἐπιφανεῖς Ἑλλήνων τε καὶ βαρβάρων ᾳ συντάξει περιλαβών. A. R. II 3 p. 121₁₄ Kiessl. ἔφη ολλὰς πυνθάνεσθαι τὰς κατασκευὰς παρ' Ἕλλησί τε καὶ ρβάροις ὑπαρχούσας. 767₁₀ ἐκεῖνος . . κοινὴν Ἑλληνικῶν : καὶ βαρβαρικῶν πράξεων ἐξενήνοχεν ἱστορίαν. — P. 851₇ss ί δή ποτ' οὖν . . . . . ἐπὶ τοῖς πλείοσι ⟨τε⟩ καὶ κρείτοσι . . . οὐκ ἐποίησε τὸν ἐπιτάφιον, cl. vers. 7, ubi iidem ιomines commemorantur, πολλῷ πλείους τε καὶ κρείττους ;σαν. — P. 865₁₄ οὗτος δὲ κατά ⟨τε⟩ τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνοιάτων καὶ κατὰ τὴν σύνθεσιν καὶ κατὰ τὴν τῶν σχηματισμῶν ποικιλίαν μακρῷ δή τινι τοὺς ἄλλους ὑπερεβάλετο, cf. p. 862₇ εἴς τε τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων . . . καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τῶν ἐλαττόνων τε καὶ μειζόνων μορίων. 1113₅ εἴς τε [add. M] τὴν ἐκλογὴν τῶν ὀνομάτων καὶ εἰς τὴν σύνθεσιν τῶν ἐκλεγέντων. — P. 1090₁₅ ἐν δὲ τῇ δευτέρᾳ περιόδῳ τραχύνεται μὲν ἡ σύνθεσις ἔν ⟨τε⟩ τῷ „μεγάλη γὰρ ῥοπή" . . . καὶ ἐν τῷ „ἀνθρώπων πράγματα", et p. 1091₇ τῶν δὲ συμφωνουμένων δυσὶν ἢ τρισὶ χωρίοις τὴν λειότητα μὴ φυλάττουσαι συντυπαιμένοις [1]) εὑρεθήσονται ἔν ⟨τε⟩ τῷ „αἵρεσίν μοι δοίη" καὶ ἐν τῷ „τῆς ἡμετέρας πόλεως", cl. p. 1090₈ ἔν τε τῷ „ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι" καὶ ἐν τῷ „εὐτυχοῦντα ὁρῶν"; vers. 12 ἔν τε τῷ . . . καὶ ἐν τῷ . . .

p. 661₁ss Οὗτος (sc. ὁ λόγος) οὐ τοῦ ῥήτορος, ἀλλ' ἑτέρου τινὸς συγγραφέως ἐστί· δηλοῖ δ' ἐκ τοῦ τρόπου καὶ τοῦ χαρακτῆρος ἀρχαϊκὸς ὤν . . . Pro δηλοῖ, quod omni sensu caret, lenissima mutatione scribas δῆλος; cf. p. 657₁₃ οὗτος (sc. ὁ λόγος) καὶ ἀπ' αὐτῆς τῆς ἐπιγραφῆς ἐστι δῆλος ψευδεπίγραφος ὤν.

p. 666₂ss Οὗτος ἀκολουθεῖ τῷ προτέρῳ λόγῳ καὶ πολλὰ ἔχει κατὰ λέξιν ταῦτα, ἃ εἴη ἂν τοῦ αὐτοῦ ῥήτορος, ἔξω τῆς τῶν Δεινάρχου ἡλικίας F : ταὐτὰ et τοῦ R [τῶν per

---

[1]) Cf. quae infra dicam ad p. 1091₅ss.

comp. V]. Verba *κατὰ λέξιν* sana non sunt; *κατὰ λέξιν* enim nihil aliud significare potest nisi verbo tenus, cf. e. g. p. 823₁₈ *κατὰ λέξιν οὕτως γράφων*, item p. 913₁₀; vide exempla Cap. III pag. 144 adn. 1 congesta. Dionysius scripsit, ni fallor, *κατὰ ⟨τὴν⟩ λέξιν*, cf. p. 589₇ *κατὰ τὴν λέξιν μᾶλλον ἔοικε τῷ Λυσίᾳ*. 994₁₁ *κρείττων ἐστὶ Λυσίου* (sc. *ὁ Δημοσθένης*) *καὶ κατὰ τὴν λέξιν*.

Duo praeterea vitia Florentino suppeditante tollere posse mihi videor. Primum enim volgatam lectionem *ταὐτά* propter enuntiatum relativum ineptam esse apparet; in Florentini lectione, si quid video, latet *τοιαῦτα*. Deinde in editionibus male legitur *ἔξω τῆς τοῦ Δεινάρχου ἡλικίας*; articulus *τοῦ* enim a Dionysii more abhorret; cf. p. 654₉ *πρεσβύτερός ἐστι τῆς Δεινάρχου ἡλικίας*. 656₅ *ἔστι δὲ ταῦτα πρεσβύτερα τῆς Δεινάρχου ἀκμῆς*. 657₂ *πρεσβύτερός ἐστι τῆς Δεινάρχου ἀκμῆς*. 660₁₁ *οὐδ' οὗτος ὁ λόγος ἐμφαίνει τὸν Δεινάρχου χαρακτῆρα*. Medelae viam monstrat Florentini lectio *τῶν*; quid interciderit, alius locus quamvis et ipse corruptus docet p. 667₅ *Ὑπὲρ ἀντιδόσεως, Μεγακλείδῃ· „Εἰ μὲν ἔδει, ὦ ἄνδρες, πρὸς τρεῖς ἢ τέτταρας“. ὁ μὲν λέγων ἐστὶν Ἀφαρεύς· ἔξω δ' ἐπιστῶν Δεινάρχου λόγων. εἴρηται γὰρ ἔτι τοῦ στρατηγοῦ Τιμοθέου ζῶντος*. Verba corrupta ingeniose Reiskius ita restituit: *ἔξω δὲ τῆς τῶν Δεινάρχου λόγων ⟨ἡλικίας⟩*. Vox *ἡλικίας* ut probabiliter ex illo de quo agitur loco sumpta est, ita hic ex altero me iudice emendandus est: *ἔξω τῆς τῶν Δεινάρχου ⟨λόγων⟩ ἡλικίας*. Ceterum alterum locum Sauppius Reiskii coniecturam neglegens, cum verbum finitum desideraret, ita refingit (or. Att. II p. 325ᵇ₁₂): *ἔξω δ' ἐστὶ τῶν Δεινάρχου χρόνων*. Sed cum prior locus Reiskii coniecturam *ἔξω δὲ τῆς τῶν Δεινάρχου λόγων ⟨ἡλικίας⟩* tueatur, nolim ab ea recedere: verbum autem substantivum desiderari eo minus concesserim, quia eo quoque a quo profecti sumus loco non exstat. Durior sane structura est neque tamen in indice, cuius vice de Dinarcho libellus magna ex parte fungitur, intolerabilis.

VII.

In epistulam ad Ammaeum priorem.

P. 732₆ss *Ὁ μὲν οὖν Ἀριστοτέλης ὑπὲρ ἑαυτοῦ γέγραφε ρτυρόμενος διαρρήδην, ὅτι τὰς ῥητορικὰς τέχνας συνεξατο πρεσβύτερος ὢν ἤδη καὶ τὰς κρατίστας συντάξεις οεκδεδωκώς. ταῦτ' ἐστὶν ἐξ ὧν ὃ προειλόμην ποιῆσαι φαρὸν . . . ἱκανῶς ἀποδεδεῖχθαι νομίζω.* Praecedunt his ex ristotelis artis rhetoricae desumpta l. I 2 p. 1356ᵃ35—ᵇ20. atis languido modo verba *ὁ μὲν οὖν . . . γέγραφε* adnecıntur, cum neque eorum, quae antecesserunt, ratio ulla haeatur, et verbum *γέγραφε* obiecto male careat. Ac ne alteum quidem enuntiatum *ταῦτ' ἐστὶν κτλ.* bene cum priore oniungitur, cum *ταῦτα* ad Aristotelis verba rediens ea, quae nterposita sunt (*ὁ μὲν οὖν — προεκδεδωκώς*), prorsus neglegat. Quas difficultates lenissimo modo ita tollere mihi videor: *Ἃ μὲν οὖν Ἀριστοτέλης ὑπὲρ ἑαυτοῦ γέγραφε μαρτυρόμενος διαρρήδην ὅτι . . . συνετάξατο . . . προεκδεδωκώς, ταῦτ' ἐστίν· ἐξ ὧν ὃ προειλόμην ποιῆσαι φανερὸν . . . ἱκανῶς ἀποδεδεῖχθαι νομίζω.*

VIII.

In epistulam ad Cn. Pompeium.

P. 752₈ss *Χαρακτῆρας λόγου προελόμενος σκοπεῖν καὶ τοὺς πρωτεύοντας ἐν αὐτοῖς φιλοσόφους τε καὶ ῥήτορας ἐξετάζειν.*

Dionysius dicit aut *οἱ τότε πρωτεύοντες* aut *οἱ πρωτεύσαντες*, unde lego *τοὺς π ρ ω τ ε ύ σ α ν τ α ς ἐν αὐτοῖς φιλοσόφους τε καὶ ῥήτορας*. Cf. p. 783₈ *πολλοῖς δ' εἰς ὁμιλίαν ἐλθὼν ἀνδράσι τοῖς τότε πρωτεύουσι* — p. 54₆ *οἱ δὲ πρωτεύσαντες ἐν ἑκατέρῳ τε καὶ ἐν ἀμφοτέροις, πολλοί τε καὶ ἀγαθοὶ ἄνδρες.* 145₂ *τῶν πρωτευσάντων ἐν αὐταῖς μνησθῆναι.* 172₁₆ *τοὺς ἐν αὐτῇ πρωτεύσαντας καταριθμήσασθαι.* 753₁₂ *κράτιστος πάντων τῶν πρωτευσάντων περὶ λόγους.* 944₇ *οἱ πρωτεύσαντες τῶν τότε ῥητόρων.* 958₁₀ *ἄνδρες οἱ πρωτεύσαντες ἐν αὐτοῖς.* 983₄ *Θουκυδίδην τὸν ἐν αὐτῷ*

πρωτεύσαντα[1] *μιμούμενος ὁ Δημοσθένης*. 1058$_{16}$ *τοὺς πρωτεύσαντας*[2] *ἐν αὐτοῖς ἄνδρας ἐπῆλθον*. 1087$_{14}$ *τοὺς πρωτεύσαντας ἐν αὐτοῖς διῆλθον*. Eodem sensu quo *πρωτεύειν* adhibetur verbum *δυναστεύειν* p. 974$_{6}$ *τοὺς δυναστεύσαντας ἐν αὐτοῖς κατηριθμησάμην*. 1083$_{8}$ *ἀρκέσει δὲ τῶν ἐν λόγοις δυναστευσάντων . . . δύο παρασχέσθαι μόνους*.

p. 753$_{3ss}$ *Πῶς ἄν μοι τὴν ἀκριβεστάτην βάσανον ὁ λόγος ἔλαβεν, εἰ μὴ τοὺς ἀρίστους λόγους τῶν Ἰσοκράτους τε καὶ Πλάτωνος τοῖς κρατίστοις τῶν*[3] *Δημοσθένους ἀντιπαρέθηκα καί, καθ' ὅ μέρος ἥττους οἱ τούτων λόγοι εἰσὶ τῶν ἐκείνου, μετὰ πάσης ἀληθείας ἐπέδειξα; οὐχ ἅπαντα τοῖς ἀνδράσιν ἐκείνοις ἡμαρτῆσθαι λέγων· μανίας γὰρ τοῦτό γε· ἀλλ' οὐδ' ἅπαντα ἐπίσης κατωρθῶσθαι*. Cum gradatio (*οὐδ'*) sententia improbetur, scribere malim *ἀλλ' οὐχ ἅπαντα ἐπίσης κατωρθῶσθαι*.

p. 771$_{6s}$ *Κρεῖττον δ' ἦν διεξελθόντα τὰ πάντα τελευτὴν ποιήσασθαι τῆς ἱστορίας κτλ.* Herwerdenus invitis codicibus *κρεῖττον δ' ⟨ἂν⟩ ἦν* exhibuit itemque p. 802$_{6}$ *οἰκειότερον δ' ⟨ἂν⟩ ἦν*; qui si constans sibi fuisset, e. g. p. 723$_{11s}$ ita edere debuit: *πολὺς γὰρ ὁ περὶ αὐτῶν λόγος, ὃν οὐ καλῶς ⟨ἂν⟩ εἶχεν ἑτέρας γραφῆς ποιῆσαι πάρεργον*. *Ἄν* particulam utroque loco perperam et contra Graeci sermonis rationem a viro docto Batavo intrusam esse vix est quod moneam; cf. Kruegerum gr. Gr. § 53, 2, 7. Paullo diversa res est p. 761$_{13}$ *ἐγὼ δ' ἠξίουν ⟨ἂν⟩ τηλικοῦτον ἄνδρα πεφυλάχθαι πᾶσαν ἐπιτίμησιν*. Particulam etsi cum Graecorum more hic non pugnet, contra Dionysii tamen consuetudinem Herwerdenus inculcavit, idque eo magis mireris, quod p. 968$_{2s}$, unde haec repetita sunt, recte legitur *ἐγὼ δ' ἠξίουν κτλ.*, cf. p. 1043$_{10}$ *ἐγὼ δ' ἠξίουν πάντα γενναῖα εἶναι καὶ σπουδῆς ἄξια*.

Non minus Dionysii verba idem deformavit, cum p. 782$_{8ss}$ ita ederet: *Θεόπομπος δ' ὁ Χῖος . . . ἄξιός ⟨ἐστιν⟩ ἐπαινεῖσθαι πρῶτον μὲν τῆς ὑποθέσεως τῶν ἱστοριῶν . . . ἔπειτα ⟨δὲ⟩ τῆς οἰκονομίας*. Verba *ἄξιος ἐπαινεῖσθαι* ut mendo

---

1) *πρωτεύσαντα* Reisk.: *πείσαντα* MR ‖ 2) *πρωτεύσαντας* A. Kiessling. l. l. p. 250: *πρώτους ὄντας* MR ‖ 3) *τῶν* add. Herwerd.

:nt, ita inconstantiae virum doctum arguunt, qui p. 778₇ ean- ι locutionem integram reliquerit; cf. A. R. II 23 p. 142₁₆ ssl. οὐ μόνον τῆς περὶ ταῦτα σοφίας χάριν ἄξιος ἐπαι- ϑαι ὁ ἀνήρ. Multo vero audacius particulam δέ intrusit ɔc adnotans: „δέ post ἔπειτα (addidi), quia praecessit πρῶ- ' μέν". Quamquam grammatici docent (cf. Kruegerum Gr. § 69, 24, 1) verba πρῶτον μὲν saepe excipi particula ειτα, rarius coniunctis ἔπειτα δέ. Eandem particulam δέ 757₁₀ „invitis libris" addidit: πρῶτον (πρῶτος Herw.) μὲν γνησιώτατος αὐτοῦ μαϑητὴς Ἀριστοτέλης, ἔπειτα ⟨δ'⟩ οἱ ερὶ Κηφισόδωρόν τε καὶ Θεόπομπον. Recte hunc locum ɪius nuper „observationes grammaticae de modorum usu in Dionysii Halicarnasensis Antiquitatibus Romanis" prodie- unt (Gryphiswaldiae 1875) Carolus Baumannus ab Herwer- leni conatu defendit (p. 31). Neque enim neglegendum est, quod inter tot Antiquitatum locos quinque tantum sunt, qui- ɔus ἔπειτα δὲ legitur; quos ad ceterorum similitudinem cor- rigendos esse probabilis est Baumanni sententia (p. 33). Ex rhetoricis scriptis praeter illa locutionis πρῶτον μὲν — ἔπειτα (δέ) exempla notavi haec: p. 55₁ Ἔφην δὲ τὴν ἀκοὴν ἥδεσϑαι πρῶτον[1]) μὲν τοῖς μέλεσιν, ἔπειτα τοῖς ῥυϑμοῖς, τρίτον ταῖς μεταβολαῖς, ἐπὶ δὲ τούτοις ἅπασι τῷ πρέποντι. 211₅ τὰ γράμματα ὅταν παιδευώμεϑα, πρῶτον μὲν τὰ ὀνό- ματα αὐτῶν ἐκμανϑάνομεν, ἔπειτα τοὺς τύπους καὶ τὰς δυνάμεις, εἶϑ' οὕτω τὰς συλλαβὰς κτλ. 640₁₃ Πῶς οὖν ἄν τις δυνηϑείη τοὺς γνησίους αὐτοῦ[2]) γνωρίζειν λόγους; πρῶτον μὲν εἰ ἐπίσταιτο τοὺς τῶν ἄλλων χαρακτῆρας· ἔπειτα τοὺς μὲν Λυσίου παραπλησίους λόγους τούτῳ προσ- φέροι. 822₅ πρῶτον μὲν δὴ κατὰ τοῦτο διήλλαξε τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων . . . vers. 9 ἔπειτα κατὰ τὸ μηδὲν αὐτῇ μυϑῶδες προσάψαι.

Quoniam autem Dionysium ab Herwerdeni coniecturis vin- dicare coepimus, paullulum subsistamus et de aliis nonnullis vi- deamus. P. 727₁₀ss Ἐγεννήϑη δὲ (Aristoteles) κατὰ τὴν ἐνενη-

---

[1]) πρῶτον Uptonus: πρώτοις R || [2]) αὐτοῦ Sylb.: αὐτῷ FR.

κοστὴν καὶ ἐνάτην Ὀλυμπιάδα ⟨ἐπὶ⟩ Διοτρέφους Ἀθήνησιν ἄρχοντος τρισὶν ἔτεσι Δημοσθένους πρεσβύτερος ⟨ὤν⟩. Utrumque verbum contra Dionysii morem Herwerdenus addidit; cf. p. 534₆ss *Ἰσοκράτης ὁ Ἀθηναῖος ἐγεννήθη μὲν ἐπὶ τῆς ὀγδοηκοστῆς καὶ ἕκτης Ὀλυμπιάδος ἄρχοντος Ἀθήνησι Λυσιμάχου πέμπτῳ πρότερον ἔτει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου δυσὶ καὶ εἴκοσιν ἔτεσι νεώτερος Λυσίου*. — P. 753₁₆ss *οὕτω γέ τοι καὶ χρυσὸς ἑτέρῳ χρυσῷ παρατεθεὶς κρείττων ἢ χείρων ⟨ὤν⟩ εὑρίσκεται* Herwerdenus. At codicum lectio *κρείττων τε καὶ χείρων εὑρίσκεται* non solum medela nulla indiget, sed etiam quam Herwerdeni coniectura elegantior est et exquisitior. Fugit virum doctum Thucydidis non raro Dionysium esse imitatorem. Is II 35₁ ita: *ἐδόκει . . . μὴ ἐν ἑνὶ ἀνδρὶ πολλῶν ἀρετὰς κινδυνεύεσθαι εὖ τε καὶ χεῖρον εἰπόντι πιστευθῆναι*; cf. A. R. III 29 p. 261₂₀ Kiessl. *τῆς πατρίδος εὖ τε καὶ χεῖρον φερομένης τὸ ἐπιβάλλον μέρος ἕκαστος οἴσεται τῆς τύχης*. Vide Kruegerum ad Thuc. locum. Loco de quo agitur etsi non eadem locutio exstat, at certe particulas *τε καὶ* genuinas esse illi probant. Sed ne participium quidem *ὤν* recte additur; cf. p. 215₄ *ὅ τι μὲν ἂν τῶν ποιημάτων ὅμοιον εὑρίσκω τῷ φλυάρῳ καὶ ἀδολέσχῃ, γέλωτος ἄξιον αὐτὸ τίθεμαι*. 455₅ *μίαν μὲν δὴ ταύτην τὴν ἀρετὴν ἀξίαν ζήλου καὶ μιμήσεως εὑρίσκω παρὰ τῷ ῥήτορι*. 1123₃ *τὰ μὲν ἐπαίνου μᾶλλον ἢ κατηγορίας ἄξια εὑρήσει, τὰ δ' οὐκ ἀληθῶς εἰρημένα ὑπ' αὐτοῦ*. A. R. I 30 p. 36₃ *ἀρχαῖόν τε πάνυ καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ γένει οὔτε ὁμόγλωσσον οὔτε ὁμοδίαιτον εὑρίσκεται*. — P. 757₁₅ Herwerdenus verba ita constituit: *Ἔπειτα δ' οὐ μόνος οὐδὲ πρῶτος ἐγὼ φανήσομαι κατὰ Πλάτωνος ἐπιχειρήσας τι λέγειν*: *ἔπειτ' οὐδὲ μόνος οὐδὲ πρῶτος ἐπιφανήσομαι περὶ . . .* codd. Reiskii emendationem unice veram *ἔπειτ' οὔτε μόνος οὔτε πρῶτος ἐγὼ φανήσομαι κτλ.* iniuria neglexit; cf. Isocr. XI 28 *ἣν οὔτε μόνος οὔτε πρῶτος ἐγὼ τυγχάνω καθεωρακώς*. A. R. IX 31 p. 272₁₂ *εἴπατέ μοι, μόνος ἢ πρῶτος ὑμῖν ἐγὼ φαίνομαι βιάσασθαι . . .*; Porro praepositionem *κατά* concinnius legi quam codicum *περί* omnes concedent, necessariam esse nego. — P. 778₁₆ *Ὁ δὲ λεκτικὸς* (sc. *τύπος*)

μὲν ὅμοιος Ἡροδότου, πῇ δ' ἐνδεέστερος. Herwerdenus lit τῷ Ἡροδότου. At ὅμοιος Ἡροδότου certo genuina est io; neque enim ὅμοιός τινος inaudita est structura neque ındi licentia, quam Herwerdenus expellere vult, a Diony- aliena est; cf. Theophr. H. P. IX 11₁₁ ἡ δὲ ἄκαρπος : τὸ φύλλον ὅμοιον θριδακίνης τῆς πικρᾶς. Dion. p. 640₁₅ ς Λυσίου παραπλησίους λόγους. 786₃ ὁ λεκτικὸς (sc. Θεο- ιπου χαρακτὴρ) Ἰσοκράτει μάλιστα ἔοικεν. — P. 792₅₈ ὅσα τε γίγνεται[1]) πράγματα ἀντὶ σωμάτων ἢ σώματα ὶ πραγμάτων καὶ ἐφ' ὧν ἐνθυμημάτων τε καὶ νοημάτων μεταξὺ παρεμπτώσεις πολλαὶ γινόμεναι διὰ μακροῦ τὴν λουθίαν κομίζονται. Post ἐνθυμημάτων omisit Herwer- ıus „interpretamentum τε καὶ νοημάτων quod recte abest oco laudato" de Thuc. iud. p. 868₁₆, unde haec repetita ıt. Huius argumentationis vim me non perspicere libere eor. Nam ut nihil dicam de interpretamento satis miro, a haec verba saepius iuncta occurrunt, cf. p. 896₁₃ ἡ τῶν θυμημάτων τε καὶ νοημάτων εὕρεσις: 927₁₄ ἡ τῶν κρα- των ἐνθυμημάτων τε καὶ νοημάτων εὕρεσις. 897₂ ἄπει- ν τι χρῆμα νοημάτων τε καὶ ἐνθυμημάτων περιττῶν καὶ ων καὶ παραδόξων. Sed Herwerdenus etiam p. 804₁₆, i est ἐν δὲ τοῖς ἐνθυμήμασί τε καὶ νοήμασιν αἱ μεταξὺ ρεμπτώσεις πολλαὶ γινόμεναι verba τε καὶ νοήμασιν in ɪpicionem vocat. Itaque non solis illis duobus locis verba καὶ νοήματα pro interpretamento habenda essent, sed om- ɔus eicienda, qua in re nemo, ni fallor, cum viro docto .tavo faciet. Iam quaeritur, num verba τε καὶ νοημάτων 868₁₆ post ἐνθυμημάτων inserenda statuamus. Veri dissi- le est Dionysium in maiore de Thucydide libro eoque ac- rate elaborato graviora verba omisisse, addidisse eadem in ıello de Thucydidis idiomatis in ea de qua agitur parte ex o transcripto. Potius verba τε καὶ νοημάτων propter ho- ɔeoteleuton omissa p. 868₁₆ post ἐνθυμημάτων adicienda nt. Prorsus eadem ratio est verborum, quae leguntur 792₁₂₈ τὰς παρισώσεις λέγω καὶ παρομοιώσεις καὶ παρ-

---

[1]) ὁπόσα τε γίγνεται Reisk.: ἀποστέγειν ἢ τὰ codd.

ονομασίας καὶ ἀντιθέσεις. Herwerdenus vocabula *καὶ παρομοιώσεις*, cum p. 869₄ non legantur, delet, quamquam e contrario potius p. 869₄ ea inserenda esse colligere debebat, cum praesertim Dionysii loquendi usus idem probet; cf. p. 483₉ *καταμέμφεται τῶν περὶ τὰς ἀντιθέσεις καὶ παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις . . . διεσπουδακότων*. 539₆ *αἵ τε παρομοιώσεις καὶ παρισώσεις καὶ τὰ ἀντίθετα*. 561₇ *τῶν σχημάτων τὸ μειρακιῶδες περὶ τὰς ἀντιθέσεις καὶ παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις κατατριβόμενον*. 1078₁₄ *αἵ τε παρισώσεις καὶ παρομοιώσεις καὶ ἀντιθέσεις καὶ τὰ παρωνομασμένα*. Sed haec hactenus. Iam viam, quam ingressi eramus, persequamur.

p. 772₅ss *Θουκυδίδης δὲ πόλεμον ἕνα καί τινας ἀπνευστὶ διεξέρχεται μάχας ἐπὶ μάχαις καὶ παρασκευὰς ἐπὶ παρασκευαῖς καὶ λόγους ἐπὶ λόγοις συντιθείς*. Verbo *καί τινας* corrupta esse apparet. Quae Reiskius proposuit *καὶ ἀεί τινας* vel *καὶ καινὰς ἀεί τινας*, ferri nequeunt, cum substantivum *μάχας*, ad quod ista redeunt, non ex *διεξέρχεται*, sed ex *συντιθείς* pendeat. Neque magis probo Helleri coniecturas (l. l. p. 552) *ἕνα, καὶ ταῦτα ἀπνευστί . . .* vel *καὶ αὐτὸν τοῦτον ἀπνευστί*. Herwerdenus verba *καί τινας* delet, utpote quae ex glossemate *τινα* ad *ἕνα* adscripto nata sint. Mihi aliter de hoc loco iudicandum videtur. Urget nempe summopere Dionysius, quod Thucydides unum tantum bellum historia complexus sit. Hanc sententiam secutus ita scripserim: *Θουκυδίδης δὲ πόλεμον* ἕ ν α κ α ὶ τ ὸ ν α ὐ τ ὸ ν *ἀπνευστὶ διεξέρχεται κτλ.* Eandem locutionem habes e. g. p. 819₇ *ἕνα καὶ τὸν αὐτὸν φυλάττοντες σκοπόν*. 1094₆ *τί δή ποτε βουλόμενος οὐ πορεύεται μίαν αἰεὶ καὶ τὴν αὐτὴν ὁδόν;*

IX.

In iudicium de Thucydide.

P. 817₇ss *Ἐῶ γὰρ λέγειν, ὅτι πολλῶν ἔργων οὐχ ἧττων τοῦ τεχνίτου κριτὴς ὁ ἰδιώτης, τῶν γε*[1]) *δι' αἰσθήσεως ἀλό-*

---

[1]) *γε* Reisk.: *τε* MR.

γου καὶ [add. M] *τοῖς πάθεσι καταλαμβανομένων*. Verba *δι' αἰσθήσεως ἀλόγου τοῖς πάθεσι*, quae volgo eduntur, non bene se habere dudum intellectum est. Ambrosiani ope vera, si quid video, lectio recuperari potest. Articulus quia in priore membro nullus exstat, ne *τοῖς* quidem ante *πάθεσι* locum habet. At adiectivum desideratur verbo *ἀλόγου* respondens, cuius ultima syllaba sit *τοις* vel *γοις*. Dionysius, ni fallor, scripsit *τῶν γε δι' αἰσθήσεως ἀλόγου καὶ ἀλόγοις πάθεσι καταλαμβανομένων*; cf. p. 475_{1} *τοῦτο κἀγὼ τοῖς ἀναγινώσκουσι τὸν Λυσίαν καὶ τίς ἡ παρ' αὐτῷ χάρις ἐστὶ βουλομένοις μαθεῖν, ὑποθείμην ἂν ἐπιτηδεύειν χρόνῳ πολλῷ καὶ μακρᾷ τριβῇ καὶ ἀλόγῳ πάθει τὴν ἄλογον συνασκεῖν αἴσθησιν*. 184_{9} *τὸ ἄλογον ἐπιμαρτυρεῖ τῆς ἀκοῆς πάθος*.

p. 820_{10ss} *Προελόμενος πολλὰς καὶ διαφόρους πράξεις ἔκ τε τῆς Εὐρώπης ἔκ τε τῆς Ἀσίας εἰς μιᾶς*[1] *περιγραφὴν πραγματείας ἀγαγεῖν*. Ex Dionysii usu rescribas *συναγαγεῖν*, cl. p. 821_{7} *εἰς μίαν ἱστορίαν συναγαγεῖν*. 32_{1} *συναχθὲν εἰς ἣν ἐγὼ προῄρημαι πραγματείαν*. 811_{15} *προελόμενον εἰς ἐλάχιστον ὄγκον συναγαγεῖν τὴν πραγματείαν*. Aliorum verborum cum praepositione *σύν* compositorum similis usus, veluti p. 822_{14} *εἰς ὁμιλίαν ἀνθρώποις συνερχομένας*. 99_{1} *ποταμῶν δέ γε σύρρυσις εἰς χωρίον ἕν*. 793_{1} = 869_{9} *πολλὰ συντιθέναι νοήματα εἰς ἕν*.

p. 822_{5ss} legas *πρῶτον μὲν δὴ κατὰ τοῦτο διήλλαξε τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων, λέγω δὲ κατὰ τὸ λαβεῖν ὑπόθεσιν μήτε μονόκωλον παντάπασι μήτ'* [μηδ' R] *εἰς πολλὰ μεμερισμένην καὶ ἀσυνάρτητα κεφάλαια*.

p. 823_{12ss} *Θουκυδίδῃ δὲ . . . οὐχ ἥρμοττεν ἐγκαταμίγειν τῇ διηγήσει τὰς θεατρικὰς γοητείας* M: *ἐγκαταμιγνύειν* R. Ambrosiani lectio docet *ἐγκαταμίσγειν* scribendum esse. Idem verbum Sylburgius p. 1023_{13} ex corrupta exemplaris lectione *ἐγκαταμιγόμενον* communi illa quidem cum Ambrosiano etsi dubitanter elicuit. Quod eo loco in editionibus legitur *ἐγκαταμιγνύμενον*, Reiskius eodem auctore minus recte dedit. Verbum *μίσγειν* a Dionysii

---

[1] *μιᾶς* Krueg.: *μίαν* MR.

sermone non alienum esse libri de c. v. tres loci probant p. 66$_{11}$ *τραχέσι λεῖα μίσγοντα.* 112$_{10}$ *μίσγειν τοῖς κρείττοσι τοὺς χείρονας.* 99$_{1}$ *πάταγον ὑδάτων ἀναμισγομένων ἐκμιμήσασθαι.*

p. 824$_{7ss}$ cap. 8 *Μαρτυρεῖται δὲ τῷ ἀνδρὶ* (sc. *Θουκυδίδῃ*) . . . *ὅτι καὶ τῆς ἀληθείας, ἧς ἱέρειαν*[1]) *εἶναι τὴν ἱστορίαν βουλόμεθα, πλείστην ἐποιήσατο πρόνοιαν οὔτε προστιθεὶς τοῖς πράγμασιν οὐδὲν ὃ μὴ δίκαιον οὐδὲ ἀφαιρῶν οὐδὲ ἐνεξουσιάζων τῇ γραφῇ.* Corrigas *οὔτε προστιθεὶς . . . οὔτε ἀφαιρῶν κτλ.*, cf. p. 23$_{2}$ *οὔτε προσθεὶς οὐδὲν αὐτοῖς οὔτ' ἀφελών.* 819$_{11}$ *μήτε προστιθέντες αὐταῖς τι μήτ' ἀφαιροῦντες.* 846$_{12}$ *μήτε πρόσθεσιν δεχόμενα μήτ' ἀφαίρεσιν.* 1024$_{5}$ *οὐθὲν οὔτε τῇ δόξῃ τἀνδρὸς προστιθεὶς οὔτε τῆς ἀληθείας ἀφαιρούμενος.* Paucis deinde interiectis, quibus sententia in capitis initio posita in universum probatur, et iustum Thucydidis integrumque de nobilissimis viris iudicium laudatur, sub capitis finem haec leguntur: *παραδείγματα δὲ περὶ αὐτῶν φέρειν οὐ δέομαι τοῖς διεληλυθόσιν αὐτοῦ τὰς ἱστορίας. ταῦτα μὲν οὖν ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν, ἃ περὶ τὸν πραγματικὸν τόπον ὁ συγγραφεὺς κατορθοῖ, καλὰ καὶ μιμήσεως ἄξια. κράτιστον δὲ πάντων τὸ μηδὲν ἑκουσίως ψεύδεσθαι μηδὲ μιαίνειν τὴν αὑτοῦ*[2]) *συνείδησιν.* c. 9 *Ἃ δ' ἐλλιπέστερον κατεσκεύασε, καὶ ἐφ' οἷς ἐγκαλοῦσιν αὐτῷ τινες, περὶ τὸ τεχνικώτερον μέρος ἐστὶ τοῦ πραγματικοῦ τόπου*[3]). Verba *κράτιστον δὲ πάντων* — *συνείδησιν* Dionysii non sunt. Primum enim ad sententiam in capitis initio prolatam prorsus inepte revertuntur, minime illa quidem cumulum addentia, sed ne Graecum quidem morem referentia (*μηδὲν ἑκουσίως ψεύδεσθαι, μιαίνειν τὴν αὑτοῦ συνείδησιν*). Deinde tota haec laudatio, qua Thucydidis veri studium praedicatur, atque omnis ea pars, qua virtutes *τοῦ πραγματικοῦ τόπου* tractantur, certissime finiuntur verbis *ταῦτα μὲν οὖν ἂν ἔχοι τις εἰπεῖν, ἃ περὶ τὸν πραγματικὸν τόπον ὁ συγγραφεὺς κατορθοῖ, καλὰ καὶ μιμήσεως ἄξια.* Quae verbis *Ἃ δ' ἐλλιπέστερον*

---

1) *ἱέρειαν* mg. cod. Bodl.: *ἱερὰν* MR || 2) *αὑτοῦ* Krueg.: *αὐτοῦ* MR || 3) *τόπου* add. Kruegerus.

κατεσκεύασε κτλ. continuo excipi debere neque aliud interponi enuntiatum pati et verborum structura comprobat et ratio docet. Ut brevis sim, verba *κράτιστον δὲ πάντων τὸ μηδὲν ἑκουσίως ψεύδεσθαι μηδὲ μιαίνειν τὴν αὑτοῦ συνείδησιν* lectoris sunt, ni fallor, christiani, cuius intererat veri studium omnium Thucydidis virtutum praestantissimam diserte praedicare. Idem, ne quis de abiciendis ineptiis dubitet, alibi, quantam vim ipse veritati tribueret, planis verbis declaravit: p. 816₄ss haec sunt Dionysii verba: *οὐδεὶς αὐτῷ* (sc. *Πλάτωνι*) *κατ' αὐτό γε τοῦτο ἐπιτιμᾷ ἐνθυμούμενος, ὅτι τῆς φιλοσόφου θεωρίας σκοπός ἐστιν ἡ τῆς ἀληθείας γνῶσις.* Addit ille *ἀφ' ἧς καὶ τὸ τοῦ βίου τέλος γίνεται φανερόν.* Nimis ineptum Kruegerus Dionysium sibi fingit, cum adnotat (p. 67): „*ἀφ' ἧς — φανερόν*]. Haec alieno loco illata videntur, ut obelis notanda putarem, nisi Dionysium me tractare recordarer".

p. 826₁₇ss *Καινὴν δέ τινα καὶ ἀτριβῆ τοῖς ἄλλοις πορευθῆναι βουληθεὶς ὁδὸν θερείαις καὶ χειμερίοις* lac. 3 litt. | 13—15 litt. *ἐμέρισε τὴν ἱστορίαν* M. Ambrosiani lacunam ita fere explendam esse *χειμερίοις* ⟨*ὥραις ἀκολουθῶν*⟩ probabilis est R. Schoellii coniectura per colloquii familiaris occasionem mecum communicata, cl. p. 826₉ss *οὔτε γὰρ τοῖς τόποις . . . ἀκολουθῶν ἐμέρισε τὰς διηγήσεις . . . οὔτε τοῖς χρόνοις κτλ.* Ad femininum *χειμέριος* conferas A. R. VI 62 p. 286₁ *ὥρᾳ ἔτους χειμερίῳ.* I 32 p. 39₅ *μετὰ τὰς χειμερίους τροπάς.*

p. 837₁₀ss *Ἔτη γὰρ ἑπτὰ καὶ εἴκοσι περιειληφότος τοῦ πολέμου πάντα τὸν χρόνον τοῦτον ἕως τῆς καταλύσεως αὐτοῦ βιώσας μέχρι τοῦ δευτέρου καὶ εἰκοστοῦ κατεβίβασεν ἔτους τὴν ἱστορίαν . . . καὶ ταῦτα προειρηκὼς ἐν τῷ προοιμίῳ πάντα περιλήψεσθαι τὰ πραχθέντα κατὰ τόνδε τὸν πόλεμον· καὶ ἐν τῇ πέμπτῃ βίβλῳ πάλιν συνεκεφαλαίου τε τοὺς χρόνους ἀφ' οὗ τ' ἤρξατο καὶ μέχρι οὗ προελθὼν κατελύθη ταῦτα κατὰ λέξιν γεγραφὼς* M. Imperfectum *συνεκεφαλαίου* nullo modo in enuntiati structuram quadrare is, qui volgatae lectionem *συνανακεφαλαιῶν* introduxit, recte perspexit, quamquam ne ita quidem locus sanatur. Nam *συν-*

ανακεφαλαιοῦν nec Dionysius dixit neque unquam quisquam Graecus homo. Graeca verba sunt *ἀνακεφαλαιοῦσθαι*, ut p. 470₁₀ *ἀνακεφαλαιουμένῳ* (cf. 496₅ *τὸ ἀνακεφαλαιωτικὸν τῶν ῥηθέντων μέρος*) et *συγκεφαλαιοῦσθαι*, cf. p. 481₁₅ *συγκεφαλαιώσομαι*. 841₃ *συγκεφαλαιούμενος*. Verba *συνεκεφαλαίου τε* nisi egregie fallor ex *συγκεφαλαιούμενος* corrupta sunt. Tollas igitur verbum *συνανακεφαλαιοῦν* sola volgata huius loci lectione nisum e Stephani Thesauro.

p. 848₁ss *Ἤδη δ' ἔγωγε καὶ ἐν αὐταῖς ἔδοξα ταῖς ῥητορείαις τοῦτο συμβεβηκέναι τῷ ἀνδρὶ τὸ πάθος, ὥστε περὶ τὴν αὐτὴν ὑπόθεσιν καὶ ἐν τῷ αὐτῷ καιρῷ τιθέναι μὲν ἃς οὐκ ἔδει, παραλιπεῖν δὲ ἃς ἔδει λέγεσθαι.* Propter *τιθέναι* lego *παραλείπειν*.

p. 857₃ *Εἰ δ' ἐστὶν ὅσιόν μοι καὶ θεμιτὸν εἰπεῖν, ἃ φρονῶ, δοκεῖ μοι κράτιστον ἂν γενέσθαι προοίμιον, εἰ τὸ τελευταῖον αὐτοῦ μέρος τῇ προθέσει προσήρμοσε κτλ.* Propter *αὐτοῦ* scribas ⟨*τὸ*⟩ *προοίμιον*. Thucydidis historiae prooemium est, deque eo Dionysius proximo capite fusius dixit.

p. 890₁ss *Μίαν δὲ τούτοις ἐπιθεὶς περίοδον ἀγκύλως εἰρημένην καὶ δυνατῶς μετὰ τοῦ σαφῶς . . . ποιητικῇ πάλιν χρήσασθαι μεταλήψει* M: *ἐχρήσατο* R. Corrupta Ambrosiani lectio *χρήσασθαι* ut aoristum *ἐχρήσατο* ex falsa nescio cuius coniectura volgo exhiberi ostendit, ita Parisinum A genuinam formam servasse evincit, quocum legas: *Μίαν δὲ τούτοις ἐπιθεὶς περίοδον . . . ποιητικῇ πάλιν χρήσεται μεταλήψει*; cf. p. 218₅ *ἐπιθεὶς γὰρ — περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ — πάλιν ἐποίσει*. 563₁₂ *ἔπειθ' ὥσπερ οὐδὲν εἰρηκὼς τοιοῦτον ἀθρόαις ἐπικλύσει ταῖς παρισώσεσιν*.

p. 890₁₀ss *Αἰτίαν γὰρ ἀποδιδούς, δι' ἣν τοὺς συγγενεῖς ἀλλοτριωτέρους ἔκρινον τῶν φίλων, ἐπιτίθησιν, ὅτι τόλμαν ἀπροφάσιστον παρείχοντο.* Postquam causam protulit, cetera addit: corrigas *ἀποδούς*.

p. 892₄ss *Σκολιώτερα δὲ τούτων ἐστὶ καὶ ἃ μετὰ ταῦτα τίθησιν· „Ἐν δὲ τῷ παρατυχόντι ὁ φθάσας θαρρῆσαι, εἰ ἴδοι ἄφρακτον, ἥδιον διὰ τὴν πίστιν ἐτιμωρεῖτο ἢ ἀπὸ τοῦ προφανοῦς· καὶ τό τε ἀσφαλὲς ἐλογίζετο καὶ ὅτι ἀπάτῃ*

περιγενόμενος, ξυνέσεως ἀγώνισμα προσελάμβανε." Τὸ δὲ „παρατυχόν" ἀντὶ τοῦ „παραχρῆμα" κεῖται κτλ. Verbis τὸ δὲ . . . κεῖται iisque quae sequuntur causam contineri, qua commotus obscuriora etiam prioribus Thucydidis verbis ea quae modo laudavit Dionysius dixerit, manifestum est. Quare pro δέ, quod sano sensu caret, scribas γάρ. Idem error particularum δέ et γάρ confusarum occurrit p. 1007_{14} οὐδὲ δὴ τοῦ πρέποντος ἐν ἅπασιν ἐπιτυγχάνει· ἀνθηρὰν γὰρ [δὲ MR] καὶ θεατρικὴν ἐκ παντὸς ἀξιῶν εἶναι τὴν διάλεκτον . . . ἀπολείπεταί ποτε τοῦ πρέποντος; cf. p. 1006_{10} ἔστιν ὧν ἄν τις αὐτὴν ὡς ἐλλιπόντων μέμψαιτο . . . πρῶτον μὲν τῆς συντομίας· στοχαζομένη γὰρ . . . 1006_{14} μετὰ τοῦτο τῆς συστροφῆς· ὑπτία γάρ ἐστιν. De alio eiusdem erroris exemplo vide quae infra pag. 223 dicam ad p. 980_4 vers. 7.

p. 899_{4ss} Διδοὺς δὴ τὸ πρῶτον, ὥσπερ καὶ κατ' ἀρχὰς ἔφην, τὸ περὶ τὴν εὕρεσιν τοῦ συγγραφέως εὔστοχον . . . θάτερον οὐκέτι δίδωμι, τὸ περὶ τὰς οἰκονομίας αὐτῷ τεχνικὸν πλὴν ἐπ' ὀλίγων πάνυ δημηγοριῶν. Reiskius suo iure in dativo αὐτῷ offendit, neque minus recte, quae ille proposuit αὐτῶν „scil. εὑρεθέντων, quod vocabulum tametsi non praecessit, facile tamen e voc. εὕρεσιν subaudiatur" vel verbis transpositis θάτερον οὐκέτι δίδωμι αὐτῷ, τὸ περὶ τὰς οἰκονομίας τεχνικόν, ea Kruegerus reiecit. Dativus, ni fallor, ex verbo δίδωμι originem duxit; genitivum αὐτοῦ fuisse verba respondentia τοῦ συγγραφέως probant. Latissime hoc vitiorum genus patet; in quo nonnunquam cavendum est, ne falsa lectione coniecturae fulciantur. Quare facere non possum, quin A. Kiesslingio obloquar, qui p. 1027_{6ss} Ambrosiano duce ita scribi vult (l. l. p. 249): ὁ Μενέξενος, ἐν ᾧ τὸν ἐπιτάφιον διεξέρχεται λόγον, ὡς μὲν ἐμοὶ δοκεῖ, Θουκυδίδην παραμιμούμενος, ὡς δ' αὐτός φησιν, Ἀρχίνῳ καὶ Δίωνι ⟨ἀγωνιζόμενος vel διαμιλλώμενος⟩. Dativi mea quidem sententia scribae debentur, qui ex verbo φησίν ea pendere putarit; volgata lectio Ἀρχῖνον καὶ Δίωνα vera nescio cuius coniectura est.

p. 915_{5ss} Dionysius Atheniensium et Meliorum dialogum examinans verba l. V c. 105 § 1 ita interpretatur: ὅτι τὸ μὲν θεῖον δόξῃ γινώσκουσιν ἅπαντες, τὰ δὲ πρὸς ἀλλήλους

δίκαια τῷ κοινῷ τῆς φύσεως κρίνουσι νόμῳ· οὗτος δ' ἐστὶν, ἄρχειν ὧν μὴ [add. M] δύνηταί τις κρατεῖν. Latet in negatione μή sensu destituta quod efflagitatur ἄν (ἄρχειν ὧν ἂν δύνηταί τις κρατεῖν); cf. Thucydidis verba vers. 5 . . . οὗ ἂν κρατῇ ἄρχειν.

p. 918_{3}ss Λείπεται δὴ σκοπεῖν, εἰ τοῖς τε πράγμασι προσήκοντα καὶ τοῖς συνεληλυθόσιν εἰς τὸν σύλλογον προσώποις ἁρμόττοντα πέπλακε ⟨τὸν⟩ διάλογον. Articulus, cum per complura capita de Atheniensium et Meliorum dialogo Dionysius egerit, male volgo omittitur.

p. 929_{9}ss Βούλεται γὰρ λέγειν, ὅτι δεῖ τῇ γνώμῃ πιστεύειν μᾶλλον, ἣν ἐκ τῶν παρόντων λαμβάνομεν, ἢ ταῖς ἐλπίσιν, ὧν ἐν τῷ μέλλειν ἐστὶν ἡ ἰσχύς. Non in cunctando,' sed in futuro tempore exspectationum vis posita est. Scribo . . . ταῖς ἐλπίσιν, ὧν ἐν τῷ μέλλοντί ἐστιν ἡ ἰσχύς: cf. p. 925_{8} ἡ περὶ τοῦ μέλλοντος ἐλπίς. 930_{6} . . . ὧν ἡ πίστις οὐχ ἡ παροῦσα ἦν, ἀλλ' ἡ μέλλουσα.

p. 938_{16}ss Ὅτι μὲν οὖν οὔτ' εἰς τοὺς πολιτικοὺς ἀγῶνας ἐπιτήδειός ἐστιν οὔτ' εἰς τὰς ὁμιλίας τὰς βιωτικὰς οὗτος ὁ χαρακτὴρ, ἅπαντες ὁμολογήσουσιν. Publicarum causarum dictioni consuetudo privata opponitur; quare pro verbis τὰς ὁμιλίας τὰς βιωτικὰς scripserim τὰς ὁμιλίας τὰς ἰδιωτικάς, cl. vers. 4 ἐν ταῖς ἰδιωτικαῖς ὁμιλίαις. Neque enim Dionysio tribuendum puto qui Novi Testamenti proprius est adiectivi βιωτικός usum; cf. I Cor. 6_{3-4}.

p. 942_{5}ss Εἷς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος περὶ τῶν μιμησαμένων τὸν ἄνδρα ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων. Prioribus capitibus verba de Thucydidis imitatoribus facta sunt nulla. Postquam Dionysius cetera absolvit, una pars restat. qua de Thucydidiis quos Cicero vocat (or. 9 § 30) acturum se profitetur. Hanc sententiam secutus scribo: Εἷς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος ⟨ὁ⟩ περὶ τῶν μιμησαμένων τὸν ἄνδρα ῥητόρων τε καὶ συγγραφέων; cf. p. 135_{1} Εἷς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος ὁ περὶ τοῦ πρέποντος. 1117_{1} Εἷς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος ὁ περὶ τῆς ὑποκρίσεως. A. R. VIII 49 p. 163_{3} Kiessl. εἷς ἔτι μοι καταλείπεται λόγος . . . ὁ περὶ τῆς οὐ δικαίως μισουμένης ὑπὸ σοῦ πατρίδος.

p. 948_{15}ss *Ἐν δὲ . . . τῷ περὶ τοῦ στεφάνου γραφέντι λόγῳ . . . οὕτω τὴν διάνοιαν ἐσχημάτικε . . .* p. 949_{9} *καὶ ἐν οἷς τοὺς προδιδόντας τῷ Φιλίππῳ τὰ πράγματα πάντων αἰτίους ἀποφαίνει τῶν συμβεβηκότων τοῖς Ἕλλησι κακῶν, κατὰ λέξιν οὕτως γράφων.* Pro *γράφων*, quod nullo modo ferri potest, verbum finitum legas *γράφει.*

X.

In librum de Demosthenis dictione.

P. 959_{9}ss *Ἡ* [*ἣ* M] *μὲν οὖν Θρασυμάχου λέξις, ἣ λοιπή τις ἦν ὄντως τῆς μεσότητος, αὐτὴν τὴν προαίρεσιν ἔοικεν ἔχειν σπουδῆς ἀξίαν* M. Verbum *λοιπή* corruptum esse apparet. Num forte Dionysius scripsit *ἣ πηγή τις ἦν ὄντως τῆς μεσότητος?* Cf. p. 590_{6} *ἡ Ἰσαίου λέξις πηγή τις ὄντως ἐστὶ τῆς Δημοσθένους δυνάμεως.*

p. 962_{6}ss Locus lacunosus in Ambrosiano ita exhibetur:

lacuna 10—11 litt. *κράτους λέξις ὃς μέγιστον ὄνομα ἐν τοῖς ἕλλη*
11—12 litt. *ἀγῶνα μὲν οὔτ' ἴδιον οὔτε δημόσιον οὐδένα*
16—18 litt. *σαμένου γραφὰς δὲ συνταξαμένου*
πολλὰς καὶ καλὰς εἰς ἅπασαν εἰδέαν λόγων ὅντινα χαρακτῆρα | fol. 100r *ἔχειν ἐφαίνετό μοι διαπλειόνων μὲν ἐδήλωσα πρότερον.*

In lacunis Sylburgio plerumque praeeunte explendis id nullo modo efficere potui, ut verba suppleta iustum litterarum numerum adsequerentur, neque tamen ideo a conatu recedendum putavi; nimirum scriba vel exemplaris vel ipsius Ambrosiani etsi plurimas lacunas accurate significavit, nonnunquam tamen neglegentius egisse videtur. In primo certe versu hiatus amplior est, quia in vetustiore codice, ut fere fit, propter novi capitis initium in ipso versu spatium aliquod vacuum relictum erat; cf. pag. 57. Locum Sylburgio fere duce ita restituerim:

⟨Ἡ δ' Ἰσο⟩κράτους λέξις τοῦ μέγιστον ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλη⟨σιν ἐπὶ σοφίᾳ ἐσχηκότος καὶ⟩ ἀγῶνα μὲν οὔτ' ἰδιωτικὸν οὔτε δημόσιον οὐδένα ⟨πώποτ' ἀγωνι⟩σαμένου, γραφὰς δὲ συνταξαμένου πολλὰς καὶ καλὰς εἰς ἅπασαν ἰδέαν λόγων κτλ.

vers. 2 pro *ἐπὶ λόγοις* Sylburgii coniectura malui *ἐπὶ σοφίᾳ* scribere, cl. p. 535_{1}ss *γενόμενος δ' ἀκουστὴς* (sc. *Ἰσο-*

κράτης) Προδίκου τε τοῦ Κείου καὶ Γοργίου τοῦ Λεοντίνου καὶ Τισίου τοῦ Συρακουσίου τῶν τότε μέγιστον ὄνομα ἐν τοῖς Ἕλλησιν ἐχόντων ἐπὶ σοφίᾳ. 535₁₀ss de eodem Isocrate Dionysius ita: ἐπιθυμῶν δὲ δόξης καὶ τοῦ πρωτεῦσαι παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐπὶ σοφίᾳ. 1112₁₀ τοὺς θαυμαζομένους ἐπὶ σοφίᾳ καὶ κρατίστων λόγων ποιητὰς νομιζομένους Ἰσοκράτην καὶ Πλάτωνα. Pro ἰδίων in eodem versu scripsi ἰδιωτικῶν, cf. quae pag. 202 dixi ad p. 639₁₀ss.

p. 963₁₂ss Τὰ γὰρ ἀντίθετά τε καὶ πάρισα καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις οὔτε μετριάζοντα οὔτε καιρῷ γινόμενα καταισχύνει τὴν μεγαλοπρέπειαν αὐτῆς. Dionysius scripsit οὔτε μετριάζοντα οὔτ' ἐν καιρῷ γινόμενα: cf. p. 561₁₃ Τὸ γὰρ μὴ ἐν καιρῷ γίνεσθαι μηδ' ἐν ὥρᾳ προσίστασθαί φημι ταῖς ἀκοαῖς. 787₅ οὔτε γὰρ ἀναγκαῖαί τινες αὐτῶν οὔτ' ἐν καιρῷ γινόμεναι.

p. 964₇ss Ταῦτα μέντοι πολλαχῇ μακροτέραν τε αὐτὴν (sc. τὴν Ἰσοκράτους λέξιν) ποιεῖ καὶ ἀναληθεστέραν ἀπαθῆ τε καὶ lacuna 11—12 litt. πανηχυρικὴν μᾶλλον ἢ ἐναγώνιον M. Hiatum ita expleverim: ἀπαθῆ τε καὶ ⟨ἄψυχον, καὶ⟩ πανηγυρικὴν μᾶλλον ἢ ἐναγώνιον, cl. p. 1012₁₂ ἀλλὰ μὴν ὅτι γ' ἄψυχός ἐστιν ἡ διάλεκτος αὐτοῦ (sc. Ἰσοκράτους) καὶ οὐ παθητικὴ . . . οἴομαι . . . ἅπασιν εἶναι φανερόν. 643₁₅ τὸ τῶν παθῶν ἔμψυχον.

p. 966₁₃ss Ἀλληγορίας τε περιβάλλεται πολλὰς lacuna 10—13 litt. οὔτε μέτρον ἐχούσας οὔτε καιρόν M. In epist. ad Cn. Pomp. p. 760₈ περιβάλλεται μακρὰς καὶ πολλὰς MR, de qua verborum collocatione Herwerdenus suo iure dubitat haec adnotans (p. 27₃): „Usitatior ordo verborum est πολλὰς καὶ μακράς.“ Hoc de quo agitur loco cum certo scribendum sit πολλὰς ⟨καὶ μακρὰς⟩, non dubito, quin altero, cum praesertim ex illo repetitus sit, verborum ordo μακρὰς καὶ πολλάς scribarum incuriae, non Dionysio tribuendus sit.

p. 970₉ss Τοσαύτην ἐκμηκύνας περίφρασιν ὀλίγοις τοῖς ὀνόμασι δυναμένου περιληφθῆναι πράγματος ἐπιλαμβάνεται τῆς ἀκαιρίας τῆς αὐτὸς αὑτοῦ M: ἀκαιρίας αὐτὸς αὑτοῦ R. Ex Ambrosiani lectione sensu illa quidem destituta facili negotio elici posse puto ἐπιλαμβάνεται τῆς ἀκαιρίας τῆς αὐ-

τοῦ; cf. p. 770₅ τῇ πόλει τῇ ἑαυτοῦ τὰς φανερὰς αἰτίας τοῦ πολέμου περιάπτειν. Αὐτός falso exaratum scriba delere oblitus est.

p. 971₁₄ss Ἃ δ' ἐν τῇ παλινῳδίᾳ τὸν ἔρωτα ἀφοσιούμενος αὖθις ὁ Σωκράτης εἴρηκεν ἐνθένδε ἀρξάμενος· Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεύς — p. 972₂ ἵσταται. — est praeclara illa de plumigero animo in Phaedro (p. 246ᵉs) allegoria — p. 972₂ ταῦτα καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, ἃ πολλά ἐστιν, εἰ λάβοι μέλη καὶ ῥυθμοὺς ὥσπερ οἱ διθύραμβοι καὶ τὰ ὑπορχήματα, τοῖς Πινδάρου ποιήμασιν ἐοικέναι δόξειεν ἂν τοῖς εἰς τὸν ἥλιον εἰρημένοις, ὥς γ' ἐμοὶ φαίνεται· Ἀκτὶς Ἀελίου κτλ.; est Pindari fragmentum CVII Bergk., cuius ultimos versus G. Hermannus ita restituit: ὀλοφ⟨ύρομαι οὔ⟩δὲν ὅτι πάντων μέτα πείσομαι; cf. pag. 111. Sequentia ita Ambrosianus exhibet: κἀνταῦθα οὐ lac. 7—10 litt. ληγορία ὡς παρὰ Πλάτωνι. In litteris ληγορία latere vocem ἀλληγορία facile apparet. Nimirum id ipsum Dionysius Platoni opprobrat p. 966₁₃s ἀλληγορίας τε περιβάλλεται πολλὰς καὶ μακρὰς οὔτε μέτρον ἐχούσας οὔτε καιρόν. Platoni in pangenda elatiore dictione allegoria opus fuisse dicit, at Pindarum talibus artificiis repudiatis ipsam quam videmus naturam celebrare. Reliquam lacunam ita fere explere possis: κἀνταῦθα οὐ ⟨κενή τις ἐστὶν ἀλ⟩ληγορία, ὡς παρὰ Πλάτωνι.

p. 974₃ss Ἀλλὰ γὰρ ἵνα μὴ lacuna 15—16 litt. ὁ λόγος μοι προβῇ, Πλάτωνα μὲν ἐάσω, πορεύσομαι δ' ἐπὶ τὸν Δημοσθένην. Sylburgius verba πέρα τοῦ μετρίου intercidisse suspicatur. Sed alia Dionysii consuetudo est, ex qua scribo ἵνα μὴ ⟨πέρα τοῦ δέοντος⟩ ὁ λόγος μοι προβῇ; cf. p. 555₈ δεδοικὼς μὴ πέρα τοῦ δέοντος ὁ λόγος ἐκμηκυνθῇ μοι, ταῦτα μὲν ἐάσω . . . 840₈ μηκυνόμενα πέρα τοῦ δέοντος. 896₅ ἵνα μὴ περαιτέρω τοῦ δέοντος ἡ γραφή μοι προβῇ. — 746₁₃ ἵνα μὴ μακρότερος τοῦ δέοντος ὁ λόγος γένηταί μοι (cf. p. 950₁₂). 779₇ μακρότερος γὰρ γίνεται τοῦ δέοντος ἐν πολλοῖς. 897₅ ἐνδεεστέρα τοῦ δέοντος.

p. 975₁₅ss Dionysius postquam Demosthenis dicendi genus quam varium esset exposuit, haec subiungit: Ἐγὼ μὲν τοιαύτην τινὰ δόξαν ὑπὲρ τῆς Δημοσθένους λέξεως ἔχω καὶ τὸν

χαρακτῆρα τοῦτον ἀποδίδωμι αὐτῷ τὸν ἐξ ἁπάσης μικτὸν ἰδέας. Verba *ἐγὼ μέν* si mendo carent, contrarium postulant veluti *οἱ δ' ἄλλοι*: cum autem Dionysius pergat *Εἰ δὲ τὰ προσήκοντα ἔγνωκα*, non recte ea legi efficitur. Atqui enuntiatum quod adscripsi conclusionem continet; lego igitur *Ἐγὼ μὲν ⟨δὴ⟩ τοιαύτην κτλ.*, idem Dionysii consuetudine probante; cf. e. g. p. 919_{12} *ἐγὼ μὲν δὴ διὰ ταύτας τὰς αἰτίας οὐκ ἐπαινῶ τὸν λόγον τοῦτον.* 496_{10} *Τοιοῦτος μὲν δή ἐστιν ὁ Λυσίου χαρακτήρ, ὡς ἐγὼ δόξης ἔχω περὶ αὐτοῦ.* 786_1 *τοιοῦτος μὲν δή τις ὁ πραγματικὸς Θεοπόμπου χαρακτήρ.* 822_5 *πρῶτον μὲν δὴ κατὰ τοῦτο διήλλαξε τῶν πρὸ αὐτοῦ συγγραφέων.*

p. 976_{1ss} *Εἰ δὲ τὰ προσήκοντα ἔγνωκα, πάρεστι τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν ἐπ' αὐτῶν ποιουμένων τῶν* lacuna 11—12 litt. *μάτων τὴν ἐξέτασιν* M. *Λόγων* quod volgo post *τῶν* legitur, vilis nescio cuius coniectura est. Codicis hiatum hunc in modum expleverim: *πάρεστι τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν ἐπ' αὐτῶν ποιουμένῳ* (corr. R) *τῶν ⟨παραδειγ⟩μάτων τὴν ἐξέτασιν.* Similis est structura p. 1008_{11} *εἰ δ' ὀρθῶς ἐπιλογίζομαι ταῦτ' ἐγὼ . . . πάρεστι τῷ βουλομένῳ σκοπεῖν ἐπὶ τῆς ἀρτίως παρατεθείσης λέξεως ποιουμένῳ τὴν ἐξέτασιν.*

p. 976_{3ss} *Ἃ μὲν οὖν παρὰ τὸν Θουκυδίδου χαρακτῆρα κατεσκεύασται τῷ ῥήτορι* (sc. *Δημοσθένει*) lacuna 19—20 litt. *Πολλῶν ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι* M. Reiskius lacunae spatii nescius haec fere periisse suspicatur: *τούτων παραθήσω παραδείγματα ὧν ἐστι τάδε· Πολλῶν κτλ.* Ego quidem verba *τοιαῦτά τινά ἐστιν* intercidisse crediderim maxime eis verbis ductus, quae Dionysius quaestionem de Demosthene Thucydidis imitatore finiens dicit p. 983_{1ss} *τοιαῦτα μὲν δή τινά ἐστιν ἃ παρὰ τὸν ὑψηλὸν καὶ ἐγκατάσκευον . . . χαρακτῆρα* [1]) . . . *Θουκυδίδην τὸν ἐν αὐτῷ πρωτεύσαντα μιμούμενος ὁ Δημοσθένης κατεσκεύακεν.* Cf. praeterea p. 983_6 *Ἃ δὲ παρὰ τὸν ἰσχνόν τε καὶ ἀκριβῆ . . . χαρακτῆρα* (sc. *κατεσκεύακεν*) . . . *τοιαῦτα.* 1006_1 *Ἡ μὲν οὖν Ἰσοκράτους λέξις ἡ κάλλιστα τῶν ἄλλων δοκοῦσα ἔχειν τοιαύτη τις*

---

[1]) *χαρακτῆρα* Sylb.: *χαρακτῆρος* MR.

ἐστι. 1012_{15} διαδέχεται δὴ τὴν ὀλίγῳ πρότερον ἐξετασθεῖσαν ἀντίθεσιν ἑτέρα τοιαύτη τις[1]. 1075_4 ἡ μὲν δὴ πρώτη τῶν ἁρμονιῶν . . . τοιάδε τίς ἐστι κατὰ τὸν χαρακτῆρα. Ἡ δὲ μετὰ ταύτην . . . τοιαύτη.

p. 977_{2ss} Κατὰ τί δὴ ταύτην ἡγοῦμαι τὴν λέξιν ἐοικέναι τῇ Θουκυδίδου; καθ᾿ ὃ κἀκείνην πείθομαι μάλιστα διαφέρειν τῶν ἄλλων. τουτὶ δ᾿ ἐστὶ τὸ μὴ κατ᾿ εὐθεῖαν ἑρμηνείαν ἐξενηνέχθαι τὰ νοήματα μηδ᾿ ὡς ἔστι τοῖς ἄλλοις σύνηθες, λέγειν ἁπλῶς καὶ ἀφελῶς, ἀλλὰ ἐξηλλάχθαι καὶ ἀπεστράφθαι τὴν διάλεκτον ἐκ τῶν ἐν ἔθει καὶ κατὰ φύσιν εἰς τὰ μὴ συνήθη τοῖς πολλοῖς μηδ᾿ ὡς ἡ φύσις ἀπαιτεῖ. Colorum structura formaque docet verbis μηδ᾿ ὡς ἡ φύσις ἀπαιτεῖ respondere illa μηδ᾿ ὡς ἔστι τοῖς ἄλλοις σύνηθες λέγειν ἁπλῶς καὶ ἀφελῶς. Simul verba λέγειν ἁπλῶς καὶ ἀφελῶς enuntiatorum accuratissima responsione damnantur: ineptum interpretamentum sunt coli ὡς ἔστι τοῖς ἄλλοις σύνηθες.

p. 980_{4ss} Inter Thucydidiae apud Demosthenem dictionis exempla Dionysius p. 979_{12ss} ex Midiana paragraphum 69 affert. Deinde pergit τί δὴ πάλιν ἐστὶν ἐν τούτοις τὸ συνταράττον τὴν κατὰ φύσιν ἀπαγγελίαν; Sequentia Sylburgio partim et Ambrosiano auctoribus ita constituo: Πρῶτον μὲν τὸ πρὶν ἀπαρτίσαι τὸ ἡγούμενον εἴτε νόημα χρὴ λέγειν εἴτε κῶλον, ἕτερον παρεμβαλεῖν, καὶ μηδὲ τοῦ δευτέρου τέλος ἔχοντος τὸ τρίτον ἐπιζεῦξαι, εἶτα τὴν τοῦ δευτέρου νοήματος ἀκολουθίαν ἐπὶ τῷ τρίτῳ τέλος εἰληφότι θεῖναι, κἄπειτα ἐπὶ πᾶσιν, ὃ τοῦ πρώτου μέρος ἦν, διὰ μακροῦ καὶ οὐκέτι τῆς διανοίας αὐτὸ προσδεχομένης ἀποδοῦναι· Ἐμοὶ δὲ ὅς — οὔπω τοῦτο τέλος ἔχει — εἴτε τις ὦ Ἀθηναῖοι βούλεται νομίσαι μανίαν — ἕτερον τοῦτο κεχωρισμένον τοῦ προτέρου, ἀτελὲς καὶ αὐτὸ — μανία γὰρ ἴσως ἐστὶν ὑπὲρ δύναμίν τι ποιεῖν — οὐδετέρου τοῦτο πάλιν τῶν προειρημένων μέρος, ἀλλ᾿ αὐτὸ καθ᾿ αὐτό, κεφαλαιώδης γάρ τις ἐστὶν ἀπόφασις — εἴτε καὶ φιλοτιμίαν — τοῦτο δὲ τοῦ δευτέρου μέρος ἦν τοῦ „εἴτε τις βούλεται νομίσαι μανίαν“ κτλ.

---

[1]) Vlietius p. 83: τις ἀντίθεσις MR.

vers. 6 *οὐκέτι* Sylb., *οὐκὲ* lac. 2 litt. *τῆς* M: *οὐκ* R.

vers. 7 *αὐτὸ* M: *αὐτῷ* R || *προσδεχομένης* M: *προσεχομένης* R || *προσδεχομένης* rasura 5—6 litt. *οὔπω* M in textu, in mg. *ἀποδοῦναι* lac. 4—5 litt. *γὰρ ὃς* || *δὲ ὃς* p. 979₁₄ *δ' ὃς* Sylb.: *γὰρ ὃς* MR.

vers. 11 *δύναμίν τι* M p. 979₁₅: *δύναμιν τι* M *δύναμιν τὶ* R.

vers. 13 *εἴτε καὶ φιλοτιμίαν* p. 980₁ *εἴτε φιλοτιμία* R ex Reiskii coniectura: *ἡ φιλοτιμία* Me.

Inde a versu septimo verba alio modo perscripsi quam in editionibus leguntur.

p. 993₂ss *Τοιοῦτός ἐστιν . . . ὁ κατ' Ὀλυμπιοδώρου τῆς βλάβης*. Articulum *τῆς* perperam interpolatum deleas. Cf. de re certissima e. g. p. 661₁₂ *Κατὰ Προξένου βλάβης*. vers. 13 *κατὰ Κηφισοκλέους καὶ τῶν οἰκείων βλάβης*.

p. 995₁₃ss Demosthenes nullum dicendi genus neglexit; nam et sublimem dictionem, qua Thucydides maxime gaudebat, in orationibus adhibuit et tenue genus Lysia etiam praestantius exercuit et, qui in medio clarissimi habiti sunt Thrasymachus Isocrates Plato, superavit omnes. Tribus his generibus totidem libri de Demosthenis dictione particulae respondent, quarum in secundae et tertiae confinio p. 995₁₃ss Ambrosianus haec exhibet: *καὶ ταῦτ' ἤδη γνώριμα οἷς λέγω καὶ οὐθὲν δεόμεθα παραδειγμάτων. ὥστε περὶ μὲν τοῦ χαρακτῆρος* lac. 8 litt. *τοῦ δὲ ῥητορικοῦ γένους τοῦ μεταξὺ τῶν ἄκρων ἑκατέρου ὃν ἀτελῆ παραλαβὼν ὁ Δημοσθένης παρ' Ἰσοκράτους τε καὶ ἔτι πρότερον Θρασυμάχου καὶ τελευταίου Πλάτωνος ἐτελείωσεν, ὅσον ἦν ἀνθρωπίνῃ φύσει δυνατὸν, πολλὰ μὲν ἄν τις ἐκ τῶν κατὰ Φιλίππου δημηγοριῶν, πολλὰ δ' ἐκ τῶν δημοσίων λόγων παραδείγματα λάβοι*. Duas res codicis lectio diversa illa quidem ab editionum nos docet, secundam particulam finiri verbis *ὥστε περὶ μὲν τοῦ χαρακτῆρος* iisque quae perierunt, tertiam incipere ab illis *τοῦ δὲ ῥητορικοῦ γένους κτλ*. In fine secundae partis utique adiectivum desideratur, quo non aliter atque in primae fine significetur, qui sit character, de quo modo verba

facta sint; cf. p. 983₁₅₈ τοιαῦτα μὲν δή τινά ἐστιν, ἃ παρὰ τὸν ὑψηλὸν καὶ ἐγκατάσκευον καὶ ἐξηλλαγμένον τοῦ συνήθους χαρακτῆρα . . . ὁ Δημοσθένης κατεσκεύακεν. Iam vero quoniam altera parte de tenui (ἰσχνῷ) genere actum est, ante vocem χαρακτῆρος genitivum ἰσχνοῦ librarii culpa intercidisse suspicor. Lacunam porro e Dionysii more ita expleverim: ὥστε περὶ μὲν τοῦ ⟨ἰσχνοῦ⟩ χαρακτῆρος ⟨ταῦτα ἱκανά⟩, cl. p. 187₁₅₈ καὶ περὶ μὲν τῶν χαρακτήρων ταῦτα ἱκανά. Sed totam hanc coniecturam verba quae sequuntur τοῦ δὲ ῥητορικοῦ γένους τοῦ μεταξὺ τῶν ἄκρων ἑκατέρου irritam videntur reddere. Duo nempe significantur characteres, cum unum tantum coniectura elicuerimus. Accuratius igitur de verbis τοῦ δὲ — ἑκατέρου videndum. Τὸ ῥητορικὸν γένος τὸ μεταξὺ τῶν ἄκρων clare perspicueque medium dicendi genus est. Τὸ ῥητορικὸν γένος τὸ μεταξὺ τῶν ἄκρων ἑκατέρου quid sit, ego quidem nescio. Genitivus ἑκατέρου duobus omnino modis construi potest; aut enim ad sublimem et tenuem characterem redit pendetque e voce ἄκρων aut pendet ex praepositione μεταξύ regitque genitivum τῶν ἄκρων. Priorem constructionem si veram esse sumimus, prorsus absurda statuitur sententia: rhetoricum genus inter extrema positum utriusque, i. e. et sublimis et tenuis. Alteram structuram quominus amplectamur, cum verborum collocatio impedit tum ratio; neque enim μεταξὺ ἑκατέρου τῶν ἄκρων recte dici potest. Itaque cum vox ἑκατέρου in neutram constructionem quadret, extra totius enuntiati structuram posita ultro e Dionysii verbis excidit. Simul probatur coniecturam quam protulimus falsam non esse; num probabilis sit, alii diiudicabunt. Utique vero pro verbis ὃν ἀτελῆ legas oportet neutra ὃ ἀτελὲς, ut ad vocem γένος redeant.

p. 998₁₁₈₈ Οὔτε τὰ Θουκυδίδεια ἐκεῖνα τὰ[1]) περιττὰ καὶ ἐξηλλαγμένα τοῦ συνήθους κράτιστα ἡγοῦμαι οὔτ' ἐπὶ τοῖς Λυσιακοῖς τοῖς ἰσχνοῖς καὶ συνεσπασμένοις τὴν τελείαν τῆς λέξεως ἀρετὴν τίθεμαι. Ex Graeci sermonis more scribas ἐν τοῖς Λυσιακοῖς . . . τὴν . . . ἀρετὴν τίθεμαι; cf. p. 541₂

---

[1]) τὰ add. Reisk.

τὸ κάλλος . . . ἐν τῷ περιττῷ τιθεμένου. 550₄ *τὸ ἐλεύθερον οὐκ ἐν τῷ καταφρονεῖν τῶν ἀρχόντων, ἀλλ' ἐν τῷ τὰ κελευόμενα ποιεῖν τίθεσθαι.* A. R. I 36 p. 43₁₂ Kiessl. *τὸν ἐκ γῆς πλοῦτον οὐκ ἐν μιᾷ τίθεμαι καρπῶν ἰδέᾳ.*

p. 1008₂ss Dionysius Isocratis dictionem vituperans cum alia ponit tum hoc: *Τὸ δ' ἐκ παντὸς ἡδύνειν τὰς ἀκοὰς εὐφώνων τε καὶ ἐκλεκτῶν ὀνομάτων ἐκλογῇ καὶ πάντα ἀξιοῦν εἰς εὐρύθμους κατακλείειν περιόδων ἁρμονίας καὶ διὰ τῶν θεατρικῶν σχημάτων καλλωπίζειν τὸν λόγον οὐκ ἦν πανταχῇ χρήσιμον* M. Pro adiectivo *ἐκλεκτῶν* a Sylburgio in suspicionem vocato Reiskius *εὐλέκτων* scribi vult; sed fallitur vir doctus verbum minime Graecum exhibens. Verbum genuinum, quidquid fuit, a librario ad proximam vocem *ἐκλογῇ* aberrante in *ἐκλεκτῶν* corruptum est. Dionysius scripsit, ni fallor, *εὐφώνων τε καὶ μ α λ α κ ῶ ν ὀνομάτων ἐκλογῇ*; sim. p. 1076₁₂ *ἐξ ε ὐ φ ώ ν ω ν συγκεῖσθαι γραμμάτων καὶ μ α λ α κ ῶ ν*, cf. pag. 101 ad p. 1076₁₁ss. p. 66₁₁ *τραχέσι λεῖα μίσγοντα καὶ σκληροῖς μ α λ α κ ὰ καὶ κακοφώνοις ε ὔ φ ω ν α.* Hinc locum de c. v. libri p. 167₁₂ss corrigendum puto: *τὸ προηγούμενον κῶλον . . . μετρίως ἁρμόσας ὁ ἀνὴρ ὡς ἂν εὔφωνόν τε καὶ μάλιστα φαίνοιτο καὶ μαλακόν.* Goellerus *καί* ante *μάλιστα*, quia e codice Victoriano R non enotatur, uncis inclusit, in adnotatione idem ita: „Quidsi *καὶ μάλιστα* ex his: *καὶ μαλακὸν* orta dicamus". Verum sensit. *Καὶ μάλιστα* olim librarius, *καὶ μαλακὸν* corrector aut supra versum aut in margine adscripsit. Legas igitur *ὡς ἂν εὔφωνόν τε καὶ μαλακὸν φαίνοιτο.* Eadem est verborum coniunctio quae supra *ε ὐ φ ώ ν ω ν τ ε κ α ὶ μ α λ α κ ῶ ν ὀνομάτων ἐκλογῇ.*

p. 1008₁₆ss *Ἐνῆν μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ κώλῳ τῷ „Τίς γὰρ ἂν ἄλλοθεν ἐπελθὼν" τὸ „Καὶ μὴ συνδιεφθαρμένος ἡμῖν, ἀλλ' ἐξαίφνης ἐπιστὰς τοῖς γινομένοις"· δυνάμει γὰρ ἄμφω ταὐτά. καὶ ἐν τῷ „Οἱ φιλοτιμούμεθα μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν προγόνων ἔργοις" τὸ „Καὶ τὴν πόλιν ἐκ τῶν τότε πραχθέντων ἐγκωμιάζειν ἀξιοῦμεν"· τὸ γὰρ αὐτὸ φιλοτιμεῖσθαί τε* [add. M[1] *καὶ ἐπαινεῖν. καὶ ἐν τῷ „Οὐδὲν δὲ*

των αὐτῶν ἐκείνοις πράττομεν" τὸ *„Ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον"*· *ἤρκει γὰρ αὐτῶν εἰρῆσθαι θάτερον. ἐξῆν τε γὰρ μίαν ἐκ τῶν δυεῖν ποιῆσαι περίοδον, καὶ συντομωτέραν καὶ χαριεστέραν· „Τίς γὰρ ἂν ἄλλοθεν ἐπελθὼν οὐκ ἂν μαίνεσθαι νομίσειεν ἡμᾶς· οἳ φιλοτιμούμεθα μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν προγόνων ἔργοις, οὐδὲν δὲ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις πράττομεν;"* Dionysius postquam c. 17 Isocrateae dictionis exemplum ex oratione de pace (§ 41—50) protulit, proximo capite cum virtutes eius tum vitia enumerat. Haec ut illustret, in prima statim sententia (§ 41) bis terve idem dictum esse ostendit (c. 19). Ratio autem probandi haec est, ut in prioribus colis posteriora inesse demonstret; quod cum dicit, eo ipso sententiam tantum in illis eandem esse significat, non verbum verbo respondere. Priora tria cola enuntiatis causalibus finiuntur: *δυνάμει γὰρ ἄμφω ταὐτά; τὸ γὰρ αὐτὸ φιλοτιμεῖσθαί τε καὶ ἐπαινεῖν, ἤρκει γὰρ αὐτῶν εἰρῆσθαι θάτερον,*· quorum condicio prorsus diversa est. Nam cum priora ad singula exempla proxime praecedentia respiciant, tertium *ἤρκει γὰρ αὐτῶν εἰρῆσθαι θάτερον* ad omnia tria exempla pertinet; nimirum ex ter binis colis ter singula ponere sat erat. Haec re vera Dionysium intellegi voluisse probat periodus, qualem Isocrates ex eius sententia formare debebat: *Τίς γὰρ ἂν ἄλλοθεν ἐπελθὼν οὐκ ἂν μαίνεσθαι νομίσειεν ἡμᾶς, οἳ φιλοτιμούμεθα μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν προγόνων ἔργοις, οὐδὲν δὲ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις πράττομεν;* Tertium igitur enuntiatum *ἤρκει γὰρ κτλ.* quia causam affert, cur in tribus illis Isocratis colis tautologia reprehensa sit, alias causales sententias prioribus exemplis addi omnino non patitur, quo priora duo eiusdem generis enuntiata in gravissimam suspicionem vocantur. Atque de his iam dispiciamus, et prius de secundo *τὸ γὰρ αὐτὸ φιλοτιμεῖσθαί τε καὶ ἐπαινεῖν.* Haec certe Dionysii non sunt. *Φιλοτιμεῖσθαι* enim nemo unquam idem esse voluit atque *ἐπαινεῖν.* Veteres audias si tanti est interpretes, quorum Hesychius ita: *Φιλοτιμεῖται· μεγάλα φρονεῖ, ἐπαίρεται, πλουτεῖ,* Photius cum Suida ita: *Φιλοτιμεῖται· ἐπιδαψιλεύεται, μεγαλοφρονεῖ, σπουδάζει, ἀγαπᾷ.* Iam vide, quaeso, quam temere haec interpolata sint. Grammaticus nescio quis verborum respon-

sionem a Dionysio statui ratus, cum in secundo exemplo verba minime idem significare videret, proprio Marte *φιλοτιμεῖσθαι* et *ἐγκωμιάζειν* ita aliquo modo iunxit, ut glossema adderet non *τὸ γὰρ αὐτὸ φιλοτιμεῖσθαί τε καὶ ἐγκωμιάζειν*, sed *τὸ γὰρ αὐτὸ φιλοτιμεῖσθαί τε καὶ ἐπαινεῖν*. Expulso hoc interpretamento etiam verba *δυνάμει γὰρ ἄμφω ταὐτά* labant et in suspicionem vocantur. Nam praeterquam quod tertium enuntiatum *ἤρκει γὰρ κτλ.* suspecta ea reddit, etiam sententia damnantur, quam cum Dionysius dixerit *δὶς ἢ τρὶς τὰ αὐτὰ λέγων* (p. 1008$_{16}$) et *ἐνῆν . . . ἐν τῷ πρώτῳ κώλῳ τῷ . . . τὸ . . .* prorsus ineptam esse non est quod pluribus persequar. Iam cum tot damnandi causae in uno enuntiato concurrant, hominis scioli doctrinam e Dionysii verbis removere non dubito. Unum mendum restat. Verba *ἐξῆν τε γὰρ μίαν ἐκ τῶν δυεῖν ποιῆσαι περίοδον* propter particulam *τε* utique membrum respondens requirunt. Quod cum non adsit, vocabula *τε γάρ* corrupta esse censeo, cum praesertim vis particulae *γάρ* nulla sit. Scribo *ἐξῆν δέ γε μίαν ἐκ τῶν δυεῖν ποιῆσαι περίοδον*, cl. p. 1010$_{16}$ (cf. pag. 97 ad h. l.) *ἐξῆν δέ γε αὐτῆς συστρέψαι*[1] *τὸ πλάτος*. Totum igitur hunc locum inde a p. 1008$_{14}$ ita constituo: *Εὐθέως γοῦν τὴν πρώτην διάνοιαν ὀλίγοις ⟨τοῖς⟩ ὀνόμασιν ἐξενεχθῆναι δυναμένην μακρὰν ποιεῖ κυκλογραφῶν καὶ δὶς ἢ τρὶς τὰ αὐτὰ λέγων. ἐνῆν μὲν οὖν ἐν τῷ πρώτῳ κώλῳ τῷ „Τίς γὰρ ἂν ἄλλοθεν ἐπελθὼν" τὸ „Καὶ μὴ συνδιεφθαρμένος ἡμῖν, ἀλλ' ἐξαίφνης ἐπιστὰς τοῖς γινομένοις", καὶ ἐν τῷ „Οἳ φιλοτιμούμεθα μὲν ἐπὶ τοῖς τῶν προγόνων ἔργοις" τὸ „Καὶ τὴν πόλιν ἐκ τῶν τότε πραχθέντων ἐγκωμιάζειν ἀξιοῦμεν", καὶ ἐν τῷ „Οὐδὲν δὲ τῶν αὐτῶν ἐκείνοις πράττομεν" τὸ „Ἀλλὰ πᾶν τοὐναντίον". ἤρκει γὰρ αὐτῶν εἰρῆσθαι θάτερον· ἐξῆν δέ γε μίαν ἐκ τῶν δυεῖν ποιῆσαι περίοδον καὶ συντομωτέραν καὶ χαριεστέραν· „Τίς . . . πράττομεν";*

p. 1009$_{17s}$ *Μακρὰ μὲν οὖν ἡ λέξις οὕτως ἐστὶν αὐτῷ* ac. 12—15 litt. *τεῖα δὲ καὶ ἀσυγκρότητος πῶς* M. Lacu-

---

[1]) *συστρέψαι* Sylb.: *ἐπιστρέψαι* MR.

nam volgata lectio πλατεῖα explet; neque enim video, quidnam praeterea intercidere potuerit, cf. p. 1010₁₀ καὶ ἡ μετὰ ταῦτα διάνοια πλατέως τ' εἴρηται καὶ ἀσυγκρότητός ἐστιν. 1011₁ συστρέψαι τὸ πλάτος, vers. 7 τἄλλα ἐν πλάτει λέγεται. Idem suadet scholion ad hunc locum adscriptum (cf. pag. 52) μακροτέρα ἡ λέξις γίνεται ταῖς ἀναδιπλώσεσι τῶν κώλων, πλατεῖα δὲ ταῖς περιττολογίαις τῶν λέξεων κτλ. Nimirum in vetustiore codice, quia novum caput incipere videbatur, spatium aliquod vacuum relictum erat; cf. pag. 67. Ante πως adverbium demonstrativum desiderari Reiskius intellexit. At Dionysius, ni fallor, non οὕτω πως scripsit, ut ille vult, sed ὧδέ πως; cf. e. g. p. 1010₆ στρογγυλώτερα ὧδέ πως ποιῆσαι.

p. 1011₉ss Ἄτονος δὲ δὴ . . . ἐστὶν ἡ λέξις τῷ ἐπιφέρειν τινὰ τοῖς εἰρημένοις διάνοιαν ταύτην. Aut τινά superfluum est, quod Sylburgio placuit, aut ταύτην non recte legitur. E Dionysii usu rescribo τῷ ἐπιφέρειν τινὰ τοῖς εἰρημένοις διάνοιαν τοιαύτην. Cf. p. 1012₁₈ διαδέχεται δὴ τὴν ὀλίγῳ πρότερον ἐξετασθεῖσαν ἀντίθεσιν ἑτέρα τοιαύτη τις. Sequuntur ipsa verba. p. 1006₁ Ἡ μὲν οὖν Ἰσοκράτους λέξις . . . τοιαύτη τίς ἐστι. Verba praecesserunt.

p. 1012₂₈ scr. Φέρε δὴ [δὲ R] πῶς ἐνῆν αὐτὴν εἰπεῖν στρογγυλώτερον[1];

p. 1014₈ss Ὃ δὲ λέγω, τοιοῦτόν ἐστι. πάσης διανοίας καὶ περιόδου καὶ λήμματος (sc. ἐν αὐτῇ ταύτῃ τῇ λέξει περὶ ἧς ὁ λόγος vers. 5) αἵ τ' ἀρχαὶ καὶ αἱ ἐπιφοραὶ τοιαῦταί εἰσιν· ἐκεῖνος μὲν γάρ· ἡμεῖς δὲ. κἀκεῖνοι· καὶ τότε μὲν. νῦν δὲ. καὶ ὅσον οἱ μὲν, ἡμεῖς δὲ καὶ τοῦτο μὲν, τοῦτο δέ M. Antithetorum catalogus in Ambrosiano turbatus ex Isocratis verbis a Dionysio laudatis (or. de pace § 41—50, 5 Bekk. = p. 1001₁₆—1005₁₆) aliquo modo restitui potest, inter quae quod ultimum antithetorum par τοῦτο μὲν, τοῦτο δέ non legitur, nihil hoc offensionis habet; exemplum notissimum ad cetera insuper additum est. Τότε μὲν — νῦν δὲ exstat

[1] στρογγυλώτερον Sylb.: στρογγυλωτέραν MR.

p. 1004₁₃, ₁₅; ὅσον οἱ μὲν — ἡμεῖς δὲ legitur p. 1002₁₅. 1003₂. Praeterea quae huc facere possint, habes haec: p. 1002₆ οἱ μὲν γάρ, vers. ₇ ἡμεῖς δέ; vers. ₉ κἀκεῖνοι μέν, vers. ₁₁ ἡμεῖς δέ. Iam de Ambrosiani lectione videndum. Verba ἐκεῖνος μὲν γὰρ sana non sunt; neque enim inter Isocratis verba occurrunt et plurali saltem numero prolata esse debebant. Ex diverso Ambrosiani lectionem κἀκεῖνοι integram duco. Pro ἐκεῖνος μὲν γὰρ propter particulas μὲν γὰρ scribere malim οἱ μὲν γὰρ p. 1002₆, post κἀκεῖνοι (= p. 1002₉) verba ἡμεῖς δὲ (p. 1002₁₁) intercidisse suspicor, ut tota exemplorum series ita fere constituatur: αἵ τ' ἀρχαὶ καὶ αἱ ἐπιφοραὶ τοιαῦταί εἰσιν· οἱ μὲν γάρ, ἡμεῖς δέ, ⟨καὶ·⟩ κἀκεῖνοι ⟨μέν, ἡμεῖς δέ⟩, καὶ· τότε μέν, νῦν δέ, καὶ· ὅσον οἱ μέν, ἡμεῖς δέ, καὶ· τοῦτο μέν, τοῦτο δέ.

p. 1022₅ss Διαφέρειν οὐδὲν ἐμαυτῷ δοκῶ τῶν τὰ μητρῷα καὶ τὰ κορυβαντικὰ . . . τελουμένων, εἴτ' ὀσμαῖς ἐκεῖνοί γε εἴτ' ἤχοις εἴτε τῶν δαιμόνων πνεύματι αὐτῷ κινούμενοι τὰς πολλὰς . . . λαμβάνουσι φαντασίας. Pro τῶν δαιμόνων πνεύματι αὐτῷ flagitante grammatica scribas τῷ δαιμόνων πνεύματι αὐτῷ.

p. 1027₃ss Ἐγκώμια δ' ἐν τῷ συμποσίῳ πολλὰ μὲν ἔρωτος, ὧν ἔνια οὐκ ἄξια σπουδῆς οὐδὲ Σωκράτους, ὁποῖον δή ποτε. οὐθὲν γὰρ δέομαι. νῦν δὲ περὶ τούτου λέγειν M. Verba corrupta sunt. Intercidit (post σπουδῆς) membrum a verbis πολλὰ δὲ incipiens, quo laudationes in Socratem commemorabantur. Ut in loco mendoso de verbis ὁποῖον δή ποτε certi quicquam statui nequit. Proxima ita videntur legenda esse: οὐθὲν γὰρ δέομαι νῦν γε περὶ τούτου λέγειν.

p. 1028₁₆ss Ἐν γὰρ τῷ πάντα τὰ προσήκοντα σφίσιν αὐτοῖς ἔχειν τοὺς θαπτομένους ἐνῆν καὶ τὸ προπεμφθῆναι τὰ σώματ' αὐτῶν ἐπὶ τὰς ταφὰς δημοσίᾳ τε καὶ ἰδίᾳ, ὥστε ἀ lac. 6—7 litt. τῶν περὶ τὰς ταφὰς νομίμων τοῦτο ὑπελάμβανεν ὁ ἀνὴρ εἶναι, λέγω δὴ τὸ παρεῖναι πολλοὺς ταῖς ἐκκομιδαῖς M. Quae volgo post ὥστε leguntur ἀναγκαῖον ἦν πάλιν ταὐτὸ λέγειν· εἰ μὴ κράτιστον . . . sero demum suppleta esse Ambrosianus monstrat. Lego ὥστε ἄ⟨ριστον⟩ τῶν περὶ

τὰς ταφὰς νομίμων τοῦτο ὑπελάμβανεν ὁ ἀνὴρ εἶναι. Deinde e Graeci sermonis more corrigas λέγω δὲ τὸ παρεῖναι κτλ. Eandem medelam adhibeas p. 1065 15 λέγω δὲ τὸ περιττὸν εἶναι συνθέτην ὀνομάτων τὸν Δημοσθένην. 1107 14 λέγω δὲ τῶν κρατίστων τε καὶ κυριωτάτων. Cf. Kruegerum p. 89 adn.

p. 1029 12s Οὐκοῦν οὐκ ἀναγκαία Πλάτων ἥδε ἡ προσθήκη M. Nominativum Πλάτων sensu destitutum esse nescio quis bene sensit, cum Πλάτωνι (R) exhiberet. At nihil hac mutatione proficimus; neque enim aptius hic ulla persona nominatur. Vox Πλάτων me iudice e margine irrepsit, idque eo certius fit, quod idem manifestius etiam p. 1050 6 deprehenditur. Praecesserunt verba e Menexeno (p. 246c—248e) desumpta; tum haec Dionysius: αὕτη δοκεῖ κάλλιστα ἔχειν Πλάτων ἡ λέξις ἐν τούτῳ τῷ λόγῳ, ubi neque nominativus ferri potest et dativum a Sylburgio introductum plane absurdum esse quivis facile concedet. Utroque loco vocem Πλάτων expungendam esse censeo.

p. 1030 9ss Εἰ δὲ χωρίσαντες τοῦτο τὸ κῶλον ἀπὸ τῶν προηγουμένων αὐτὸ καθ' αὑτὸ ἐξοίσομεν, οὐ περίοδος ἡμῖν γενήσεται καθ' ἑαυτὸ γενόμενον οὔτ' ἦθος ἢ πάθος ἕξει μὰ Δία οὔτ' ἄλλην πειθὼ καὶ χάριν οὐδεμίαν. Pro οὐ περίοδος ratio docet scribendum esse οὔτε περίοδος. Verba quae mox sequuntur καθ' ἑαυτὸ γενόμενον Dionysio abiudico. Nam condicionis in enuntiato primario non ferenda est repetitio, atque structura γενήσεται καθ' ἑαυτὸ γενόμενον non a rhetoris solum, sed a cuiusvis scriptoris elegantioris dictione abhorret.

p. 1031 2ss Τούτοις ἐκεῖνα ἐπιτίθησιν ὁ ἀνήρ· „Λόγῳ δὲ δὴ τὸν λειπόμενον κόσμον ὅ τε νόμος προστάττει τούτοις[1]) ἀποδοῦναι τοῖς ἀνδράσι καὶ χρή“. τὸ „καὶ χρή“ πάλιν lac. 11—12 litt. κείμενον ἐπὶ τελευτῆς τίνος ἕνεκα παρείληπται καὶ διὰ τί; πότερα σαφεστέραν ποιῆσαι τὴν λέξιν; Lacunam praeeunte Sylburgio, qui ἐνταῦθα proposuit, ita expleo:

---

[1] (τούτοις) R: in Ambr. lacuna 4—5 litt.

τὸ „καὶ χρή" πάλιν ⟨κἀνταῦθα⟩ κείμενον ἐπὶ τελευτῆς; cf. p. 562_{12} *ἀντίκειται γὰρ δὴ πάλιν κἀνταῦθα κτλ.* 585_{11}, 1065_{4} *καὶ γὰρ ἐνταῦθα πάλιν*. Mox vocabula *καὶ διὰ τί* non recte leguntur. Inepte enim de iisdem verbis *καὶ χρή* uno tenore quaeritur, quem ad finem (*τίνος ἕνεκα*) arcessita sint et qua de causa (*διὰ τί*). Atqui verba *διὰ τί* vel loco quo exstant suspecta fiunt, contra praepositionem *ἕνεκα* unice vere legi cum structura probat tum Dionysii consuetudo; cf. p. 1029_{13} *ἀλλ' ἄρα γ' εἰ μὴ τοῦ ἀναγκαίου, κάλλους γε ἢ τῶν ἄλλων τινὸς τῶν ἐπιθέτων ἕνεκα κόσμων παρείληπται τὸ κῶλον αὐτῷ τουτί*; 1033_{17} *τοῦ δ' ἀσφαλῶς βῆναι τὴν περίοδον ἕνεκα καὶ οὐθενὸς ἀναγκαίου . . . προσείληπται τὸ „Παρὰ τῶν ἀκουσάντων"*. 628_{10} *Ἰσαῖον εἴ τις ἔροιτό με τίνος ἕνεκα προσεθέμην*. Idem suadet medela ultimo colo adhibenda *πότερα ⟨τοῦ⟩ σαφεστέραν ποιῆσαι τὴν περίοδον*; cf. p. 1033_{17} *τοῦ δ' ἀσφαλῶς βῆναι τὴν περίοδον ἕνεκα*. Inde efficitur verba *διὰ τί* scioli glossema fuisse ad *τίνος ἕνεκα* temere adscriptum; quod cum in textum male reciperetur, particula *καί* addita est. Simili modo, ni fallor, *καὶ τοῦτο* ad glossema accessit p. 234_{13} *προκεχείρισται γὰρ ἐν τοῖς μάλιστα* [*καὶ τοῦτο πρὸ πάντων*] *τοῖς νεωτέροις εἰς γραφήν*. Schaeferus melet. critic. p. 15 ita: Notetur abundantia dictionis.

p. 1033_{3ss} *Συνιδὼν οὐθὲν οὔτε σοφὸν οὔτε περιττὸν τὴν γνώμην ἔχουσαν, ὅπερ οἶμαι λοιπὸν ἦν*, lac. 6 litt. *τῆς ἑρμηνείας αὐτὴν ἡδύνειν βούλεται* (sc. *Πλάτων*). Duce Sylburgio, qui *τῷ καλλωπισμῷ τῆς ἑρμηνείας* scribendum coniecit, lego ⟨*τῷ κάλλει*⟩ *τῆς ἑρμηνείας αὐτὴν ἡδύνειν βούλεται*, cl. p. 15_{9} *τί οὖν λείπεται μὴ οὐχὶ τὴν σύνθεσιν τοῦ κάλλους τῆς ἑρμηνείας αἰτιᾶσθαι*; 32_{10} *εἰς γοῦν ἡδονὴν ἢ κάλλος ἑρμηνείας*. 117_{15} *κάλλους ἑρμηνείας εἵνεκεν*. 541_{2} *τὸ κάλλος τῆς ἀπαγγελίας*. 1065_{4} *τὸ κάλλος . . . τῶν ὀνομάτων*. — Sequuntur haec:

p. 1033_{5ss} *Ἐπειθ' ὥσπερ τὰ μειράκια καταβὰς ἀπὸ τῶν γενναίων καὶ μεγαλοπρεπῶν ὀνομάτων τε καὶ σχημάτων ἐπὶ τὰ θεατρικὰ τὰ Γοργίεια ταυτὶ παραγίνεται· τὰς ἀντι-*

θέσεις καὶ τὰς *παρισώσεις* λέγω· καὶ διὰ τῶν λήρων τούτων κοσμεῖ τὴν φράσιν. Ad ea probanda duo exempla adduntur, quorum posterius hoc: p. 1035₁₈₈ ἐν τῇ μετὰ ταύτην περιόδῳ *τὰ αὐτὰ* ποιῶν φανήσεται. φησὶ γὰρ „Δεῖ δὴ τοιούτου τινὸς λόγου, ὅστις τοὺς μὲν τετελευτηκότας ἱκανῶς ἐπαινέσει, τοῖς δὲ ζῶσιν εὐμενῶς παραινέσει.“ οὐκοῦν ἐπίρρημα ἐπιρρήματι παράκειται καὶ ῥήματι ῥῆμα· τὸ μὲν „Ἱκανῶς“ τῷ „Εὐμενῶς“, τῷ δ' „Ἐπαινέσει“ τὸ „Παραινέσει“ καὶ ταῦτα πάρισα; Παρακεῖσθαι si quidem genuinum est, nihil aliud significare potest quam iuxta positum esse; de parallelismo quodam colorum vel verborum apud Dionysium nusquam usurpatur. Cf. e. g. p. 152₁₈ Δεῦτ' ἐν χορὸν Ὀλύμπιοι ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε χάριν: p. 156₁₁ τὸ δὲ τούτῳ (sc. τῷ πρώτῳ κώλῳ) *παρακείμενον* κῶλον τὸ „Ἐπί τε κλυτὰν πέμπετε χάριν“ . . . vers. 14 ἄρχει μὲν γὰρ αὐτοῦ στοιχεῖον ἓν τῶν φωνηέντων τὸ ε̄ καὶ *παράκειται* ἑτέρῳ φωνήεντι τῷ ῑ· εἰς τοῦτο γὰρ ἔληξε τὸ πρὸ αὐτοῦ (i. e. Ὀλύμπιοι). p. 153₁ χάριν, θεοί: p. 159₇ τῷ τε χάριν τὸ θεοί *παρακείμενον*. vers. 13 ὀμφαλὸν θυόεντα: vers. 14 ἐνταῦθα τῷ τ' ὀμφαλὸν εἰς τὸ ν̄ λήγοντι τὸ θυόεντα *παρακείμενον* ἀπὸ τοῦ θ ἀρχόμενον. Cf. praeterea p. 161₂, ₁₅, 166₁₄, 168₃, 179₁₀, 213₅. Atqui adverbia ἱκανῶς et εὐμενῶς itemque verba ἐπαινέσει et παραινέσει non iuxta posita sunt, sed separata atque quodammodo opposita. Nimirum Dionysius etiam τὰς *ἀντιθέσεις* in Platonis verbis detegere se velle plane dixit, atque in priore exemplo examinando haec ille p. 1033₁₄: ἐνταῦθα τοῖς μὲν ἔργοις ὁ λόγος *ἀντίκειται*, τῷ δὲ πραχθῆναι τὸ ῥηθῆναι. In posteriore idem recurrit (*τὰ αὐτὰ* ποιῶν φανήσεται). Inde sequitur pro παράκειται scribendum esse *ἀντίκειται*; praecedens παραινέσει, ni fallor, causa fuit corruptelae. Porro in editionibus e Reiskii coniectura male legitur καὶ ταῦτα *τὰ* πάρισα. Sententia haec est: Adverbium adverbio oppositum est et verbo verbum, idque ita, ut etiam parisa sint. Codicum lectio sana est. Ceterum quae his respondent prioris exempli verba p. 1033₁₆₈ ita legas: *παρισοῦται* [παρισοῦνται R] δὲ τὰ τρία μόρια τοῦ λόγου τοῖς τρισί.

p. 1037_{12}ss **ita Ambrosianus exhibet:**

πράττεται μὲν γὰρ τὰ πράγματα ἐργάζεται δὲ τὰ ἔργα ἀποφάσεως 3 litt. *ἀξιοῦται τὰ ἄληπτα τουτὶ μὲν δὴ παχὺ εἴρηται τὸν* 7 litt. *τοῦ τούτω λεγόμενον ἐνθύμημα ἀσθενέστερον. διὰ* 2—3 litt. *μακροῦ τὲ γὰρ καὶ ἀκατάλληλον καὶ οὔτε δεινότητα ἔχον οὔτε* 7 litt. *τῆς δ' εὐγενείας πρῶτον ὑπῆρξε τοῖσδε ἡ* 10—12 litt. *γένεσις οὐκ ἔπηλυς οὖσα.*

vers. 2 Lacuna expletur ex volgata *ἀποφάσεως δ' ἀξιοῦται*: *ἀξιοῦνται* R, cf. pag. 99 ad p. 1037_{13}s. *Τὰ λεκτὰ* pro *τὰ ἄληπτα* scribendum esse Sylburgius intellexit, cl. p. 1039_3 *ἀποφαινόμεθα μὲν ἡμεῖς τὰ λεκτά.*

vers. 3 Verba corrupta sunt. Ego quidem Sylburgium sequor *τὸ δ' ἐπὶ τούτῳ λεγόμενον* scribentem. Cf. p. 886_7 *τὸ δ' ἐπὶ τούτῳ λεγόμενον.*

vers. 4 Inter *διὰ* et *μακροῦ* quid intercidere potuerit nescio.

vers. 5 Vox *σύνταξιν*, quae volgo post alterum *οὔτε* legitur, inepta nescio cuius coniectura est. Fortasse Dionysius scripsit *οὔτε δεινότητα ἔχον οὔτε* ⟨*κάλλος*⟩; hoc enim vel simile verbum periisse verba indicant p. 1038_{14} *τίς δ' ἂν ἀξιώσειε τῶν εὖ διαλέγεσθαι σπουδαζόντων εἰπεῖν.* Cf. p. 933_{13}ss.

vers. 6 *ἡ* ⟨*τῶν προγόνων*⟩ *γένεσις* suppeditant Platonis libri (Menex. p. 237[b]).

p. 1038_9ss *Ποῖον ἔθνος ἀνθρώπων καθαρᾷ διαλέκτῳ χρώμενον ἐρεῖ γένεσιν τὴν μὲν αὐτόχθονα, τὴν δ' ἐπήλυδα: ἡμῖν γάρ δή τι συμβεβηκός ἐστι τὸ εἶναι αὐτοχθόσιν ἢ μὴ [ἐπιχωρίοις][1], οὐχὶ τῇ γενέσει.* Cum *συμβεβηκός ἐστι* vix aliud significet quam *συμβέβηκε*, ex Dionysii consuetudine rescribo *ἡμῖν γὰρ δή που συμβεβηκός ἐστι κτλ.* Cf. e. g. p. 1107_3 *ἅπασι δή που συμβέβηκε μέγεθός τε καὶ χρῶμα.* 37_4 *πρότερον γὰρ δή που.* vers. 8 *πρῶτον γὰρ δή που.* 208_{13} *πᾶσι γὰρ δή που τοῖς φιλολόγοις γνώριμα.* 500_5 *ἅπαντες γὰρ δή που παραγγέλλουσιν οἱ συνταξάμενοι τὰς τέχνας.* 135_{13} *οὕτω δή που.*

---

[1]) *ἐπιχωρίοις* del. Vlietius p. 84.

p. 1039$_{9ss}$ Ἦν γὰρ δή που κατάλληλος ὁ λόγος, εἰ πρὸς τὴν γένεσιν ἀναφέρων, ὑπὲρ ἧς ὁ λόγος ἦν, ἐπέθηκεν· „Ἄλλοθεν αὐτῆς ἡκούσης“, ἐπὶ δὲ τῶν ἀνδρῶν μέλλων ποιεῖσθαι τὸν λόγον, ἐξ ἀρχῆς οὕτως ἂν κατεστήσατο τὴν φράσιν· „Τῆς δ' εὐγενείας πρῶτον ὑπῆρξαν τοῖσδε οἱ πρόγονοι, οὐχὶ ἐπήλυδες ὄντες οὐδὲ τοὺς ἐκγόνους τούτους ἀποφήναντες μετοικοῦντας ἐν τῇ χώρᾳ, ἄλλοθεν σφῶν ἡκόντων, ἀλλ' αὐτόχθονας“. Constructio, qualis in codicibus legitur, nisi ὀρθῶς vel simile aliquid ante κατεστήσατο suppleveris, ferri nequit. Quodsi structura olim fuit condicionalis, cuius protasis bipertita erat εἰ ἐπέθηκεν et οὕτως ἂν κατεστήσατο. sequitur vocem ἂν in posteriore colo temere interpolatam esse. Iam de apodosi dispiciamus ἦν γὰρ δή που κατάλληλος ὁ λόγος; utique desideratur ἄν, quod fieri potest, ut in margine adscriptum male ad posteriorem protasin delatum sit. Scribo ἦν γὰρ ⟨ἂν⟩ δή που κατάλληλος ὁ λόγος. De particulis ἂν δή που coniunctis conferas p. 88$_6$ μείζων ἂν δή που λέγοιτο εἶναι τῆς προτέρας. 978$_{5s}$ εἰ μὲν ἁπλῶς καὶ ἀπεριέργως ἔδει ῥηθῆναι, τοῦτον ἂν δή που τὸν τρόπον ἀπήγγελτο. A. R. VIII 79 p. 205$_9$ οὐκ ἂν δή που τὴν οὐσίαν . . . δημεύειν ἡ πόλις ἠξίου.

p. 1041$_{5ss}$ Οὐκ οἶδα, εἰ ἐπὶ λαμπρότατον ἄλλο πρᾶγμα τούτου εὐτελέστερον εἴρηται Πλάτωνι καὶ ἰδιωτικώτερον M. Propter praepositionem nominativus λαμπρότατον in deterioribus codicibus leviter in λαμπροτάτου (R) correctum est. At mendum in ipsa praepositione latet. Sententia haec est: Haud scio an alia qua res praeclarissima deterius a Platone viliusque descripta sit. Inde lego οὐκ οἶδα εἴ τι λαμπρότατον ἄλλο πρᾶγμα τούτου εὐτελέστερον εἴρηται κτλ. *EI* quondam male repetitum erat *EIEITI*.

p. 1042$_{1s}$ Ἐῶμεν καὶ τοῦτο· πῶς δὲ τῆς δωρεᾶς αὐτῆς εἶπε τὸ μέγεθος, ἐξετάσωμεν. Verba τῆς δωρεᾶς αὐτῆς inepta sunt. Respicit enim Dionysius ad Platonis verba (Menex. p. 237^e) modo (p. 1041$_{9ss}$) laudata μόνη γὰρ ἐν τῷ τότε καὶ πρώτη τροφὴν ἀνθρωπείαν ἤνεγκεν, τὸν τῶν πυρῶν καὶ κριθῶν καρπόν. Deinde examinat, quomodo magnitudinem

huius doni philosophus praedicaverit. Scribo πῶς δὲ τῆς δωρεᾶς *ταύτης* εἶπε τὸ μέγεθος, ἐξετάσωμεν.

p. 1042₇ss Εἴ τις βουλήσεται παράδειγμα *λαβεῖν* lac. 15 litt. *μένης λέξεως*, ἡ τοῦ καρποῦ μὴ φθονήσασα γῆ οὐχὶ [1]) πρώτη παρακείσεται; ἐμοὶ μὲν γὰρ δοκεῖ M: λαβεῖν μένην λέξεως R. Neque Reiskii coniecturae placent μέσης vel ἀνειμένης vel λιτῆς neque Sylburgii εὖ κειμένης. Num forte fuit παράδειγμα λαβεῖν ⟨*μειρακιωδῶς εἰρη*⟩μένης λέξεως? Paullo enim infra p. 1043₇ss singula vitia breviter colligens ita Dionysius: καὶ τί δεῖ τὰ πλείω λέγειν; δι' ὅλου γὰρ ἄν τις εὕροι τοῦ λόγου πορευόμενος τὰ μὲν οὐκ ἀκριβῶς οὐδὲ λεπτῶς εἰρημένα, τὰ δὲ *μειρακιωδῶς* καὶ ψυχρῶς κτλ.

p. 1060₆s Ὀλίγα τούτοις ἔτι προσθεὶς περὶ τῆς λέξεως, ἐπὶ τὸ καταλειπόμενον τῆς 4 litt. | 8—10 litt. θεωρίας μέρος μεταβήσομαι. Lego ἐπὶ τὸ καταλειπόμενον τῆς ⟨*τοῦ λεκτικοῦ τόπου*⟩ θεωρίας μέρος μεταβήσομαι, cl. p. 1058₁ss βούλομαι δὲ δὴ καὶ συλλογίσασθαι τὰ εἰρημένα ἐξ ἀρχῆς καὶ δεῖξαι πάνθ' ὅσα ὑπεσχόμην ἀρχόμενος *τῆς θεωρίας τοῦ λεκτικοῦ τόπου* πεποιηκότα ἐμαυτόν.

p. 1060₁₃ss Δοκεῖ δή μοι τῶν μὲν ὑψηλῇ καὶ περιττῇ καὶ ἐξηλλαγμένῃ ⟨τῇ⟩ λέξει κεχρημένων κατὰ τὸ σαφέστερον καὶ κοινότερον τῇ ἑρμηνείᾳ κεχρῆσθαι προὔχειν ὁ Δημοσθένης. τούτων γὰρ ἐν πάσῃ κατασκευῇ στοχάζεται μέγεθος ἐχούσῃ καὶ ταύταις κέχρηται χαρακτηριστικωτάταις ἀρεταῖς ἐπὶ τῆς ὑψηλῆς καὶ ξενοπρεποῦς ὀνομασίας ὥς γε μάλιστα. Verba τῇ ἑρμηνείᾳ κεχρῆσθαι Dionysii non sunt. Primum enim offendit, quod praegresso participio κεχρημένων eiusdem verbi infinitivus κεχρῆσθαι sequitur. Maxime autem genitivo τούτων spuria ea esse probatur. Τούτων enim est τοῦ σαφεστέρου καὶ κοινοτέρου; at si verba κατὰ τὸ σαφέστερον καὶ κοινότερον τῇ ἑρμηνείᾳ κεχρῆσθαι recte legerentur, τούτου, sc. τοῦ . . . κεχρῆσθαι esse debebat. Genitivum τούτων vero quominus depravatum putemus, prohibent verba ταύταις . . . ἀρεταῖς. Inde efficitur verba τῇ ἑρμηνείᾳ κεχρῆσθαι lectoris nescio cuius interpretamentum esse.

[1]) οὐχὶ mg. cod. Bodl.: οὐχ ἡ MR.

p. 1061 14ss *Ταῦτα μὲν οὖν χωρὶς ἑκάστῳ τῶν τριῶν πλασμάτων παρακολουθεῖν ἔφην καὶ ἐκ τούτων ἠξίουν τὴν Δημοσθένους δύναμιν πεφυκότα μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις παρακολουθεῖν πλάσμασι, κρατίστην δ' ὄψιν ἔχοντα καὶ ἐκπρεπεστάτην ἐν τούτοις τοῖς χωρίοις.* Verbum *ἠξίουν* infinitivum additum postulare Sylburgius et Reiskius intellexerunt, quorum ille *ἐξετάσαι δύναμιν* proposuit, hic *ἐξετάζειν* vel *βασανίζειν* vel *δοκιμάζειν δύναμιν*. Paullo verius Reiskio duce ita scribere mihi videor *ἐκ τούτων ⟨ἐξετάζειν⟩ ἠξίουν τὴν Δημοσθένους δύναμιν*, cl. p. 755 11 *παρὰ τὸν ἄριστον τῶν τότε ῥητόρων τοὺς ἰδίους ἐξετάζειν ἠξίου λόγους*. Mox participia *πεφυκότα* et *ἔχοντα* sana non sunt, neque quae Reiskius scribi voluit *πεφυκότος* et *ἔχοντος* veram sententiam adsecuntur. *Δημοσθένη κρατίστην ὄψιν ἔχειν . . . ἐν τούτοις τοῖς χωρίοις* dici nequit, cum eadem de *δυνάμει* optime praedicentur; cf. p. 1062 5 *καθ' ὃ μάλιστα χωρίον ἑκάστη τῶν ἀρετῶν ὄψιν ἡδίστην ἔχει*. Legas igitur: *ἐκ τούτων ⟨ἐξετάζειν⟩ ἠξίουν τὴν Δημοσθένους δύναμιν πεφυκυῖαν μὲν καὶ τοῖς ἄλλοις παρακολουθεῖν πλάσμασι, κρατίστην δ' ὄψιν ἔχουσαν καὶ ἐκπρεπεστάτην ἐν τούτοις τοῖς χωρίοις*.

p. 1063 4ss *Οἱ κατὰ τὴν αὐτὴν ἡλικίαν ἀκμάσαντες ἐκείνῳ θαυμάζοντες δὲ δῆλοί εἰσιν αὐτὸν καλοῦντες ταύτης [ταύτην e] μάλιστα τῆς εὐτεχνίας* Me. Verissime Reiskius pro *δὲ* scripsit *τε* et ex voce *καλοῦντες* elicuit *καὶ ζηλοῦντες*. Cetera verba quod mutat Sylburgii exemplaris accusativo *ταύτην* ni fallor commotus: *θαυμάζοντές τε δῆλοί εἰσιν αὐτοῦ καὶ ζηλοῦντες ταύτην μάλιστα τὴν εὐτεχνίαν*, non probo. Ambrosiani lectio in his certe nihil habet, quo offendat. Cf. p. 1025 6 *τῆς δ' ἀπειροκαλίας αὐτὸν οὐδεπώποτ' ἐζήλωσα*.

p. 1064 6ss *Καὶ*[1]) *οὐχὶ τοῦτό πω θαυμάζειν ἄξιον*[2]), *ἀλλ' ὅτι καὶ μαρτυρῶν πολλαχῇ τὴν ἀρετὴν τῷ ῥήτορι κατάδηλός ἐστι καὶ ζηλῶν* (sc. *Αἰσχίνης*). Cum de sola in componendis

---

1) *καὶ* Reisk.: *ἢ* MR ‖ 2) *ἄξιον* add. mg. cod. Bodl.

verbis Demosthenis virtute agatur, verba *τὴν ἀρετήν* latius patentia restrictionem requirunt. E Dionysii more scripserim *μαρτυρῶν πολλαχῇ* ⟨*ταύτην*⟩ *τὴν ἀρετὴν τῷ ῥήτορι κατάδηλός ἐστι καὶ ζηλῶν*. Cf. p. 1065 11 *ἀγάμενος* (sc. *Αἰσχίνης*) *οὐ τῆς ἐκλογῆς τῶν ὀνομάτων αὐτὸν, ἀλλὰ τῆς συνθέσεως ἀναμφιλόγως αὐτῷ ταύτην παρακεχώρηκε τὴν ἀρετήν*. 1063 1 *ἅπαντες γὰρ εὖ οἶδ' ὅτι ταύτην αὐτῷ τὴν ἀρετὴν ἂν μαρτυρήσειαν*. 1062 9 *δέον ἐξετάζεσθαι τὰς ἀρετὰς ταύτας*.

p. 1066 11ss *Τούτου δ' αἰτίας οἴομαι γενέσθαι πολλάς. πρῶτον μὲν τὴν ἑκάστου φύσιν . . . δευτέραν δὲ τὴν ἐκ λόγου καὶ προαιρέσεως ἐμφυομένην δόξαν . . . τρίτην δὲ τὴν ἐκ συνηθείας χρονίου κατασκευαζομένην ὑπόληψιν ὡς σπουδῆς ἀξίων ὧν ἂν τοὺς ἐθισμοὺς λάβωμεν. τετάρτην ἐπὶ τὴν πρὸς οὓς ἂν φιλοτιμούμενοι τυγχάνομεν, ὁποῖ' ἄττα ἂν ἐκεῖνοι ζηλῶσιν, ἀναφοράν τε καὶ μίμησιν*. Primum scribas *πρώτην μὲν*, ut in sequentibus *δευτέραν τρίτην τετάρτην*. Verbum, quod mox legitur, *ἀξίων* nihil habet, unde pendeat. Apud Dionysium exemplum, quo hunc locum integrum esse probarem, non inveni; addo igitur, quod omni modo flagitatur participium: *τὴν . . . ὑπόληψιν ὡς σπουδῆς ἀξίων* ⟨*ὄντων*⟩ *ὧν ἂν τοὺς ἐθισμοὺς λάβωμεν*. Cf. Kruegerum gr. Gr. § 47, 4, 6. Pro verbis mendosis *τετάρτην ἐπὶ* Sylburgius *τετάρτην ἔτι* scribendum coniecit; vir doctus nescio quis in Bodleiani margine hoc proposuit: *τετάρτην ἔτι τῶν πρὸς οὓς ἂν κτλ*. Medela, ni fallor, alia est. Cum quattuor habeamus membra vers. 12 *πρώτην μὲν τὴν*, vers. 13 *δευτέραν δὲ τὴν*, vers. 15 *τρίτην δὲ τὴν*, vers. 17 *τετάρτην ἐπὶ τὴν*, in quarto certissime *τετάρτην δὲ τὴν* scribendum. Denique legas *τυγχάνωμεν*.

p. 1087 10ss *Συγγνώσεταί δή μοι καὶ Πλάτων ὁ θαυμάσιος, εἰ μὴ παραθήσομαι κἀκείνου λέξεις. ἡ γὰρ ὑπόμνησις ὡς ἐν εἰδόσι. καὶ ταῦτα δὲ δὴ βουλόμενος τὰς διαφορὰς τῶν ἁρμονιῶν . . . διῆλθον*. Enuntiato causali verbum aliquod desiderari Reiskius vidit, cum scriberet *ἡ γὰρ ὑπόμνησις ἀρκέσει ὡς ἐν εἰδόσι . . . καὶ ταῦτα τί βουλόμενος . . . διῆλθον*: At verba *δὲ δή* certo sana sunt; cf. p. 1096 5

τοῦτο δὲ δή μοι πρῶτον ἐνθυμηθεὶς δοκεῖ συμμεθαρμόζεσθαι. 559₃ συμβούλῳ δὲ δὴ περὶ πολέμου καὶ εἰρήνης λέγοντι . . . 628₉ τὸν δὲ δὴ τρίτον Ἰσαῖον εἴ τις ἔροιτό με, τίνος ἕνεκα προσεθέμην. 866₉ Τούτῳ δὲ δὴ τῷ ἀνδρὶ Θουκυδίδης ἐπιβαλών. Contra non intellego, quid particula καί sibi velit. Scribo: ἡ γὰρ ὑπόμνησις ὡς ἐν εἰδόσιν ἱ κ α ν ή. ταῦτα δὲ δὴ βουλόμενος . . . διῆλθον.

p. 1088₁ₛₛ Αἱ γὰρ ἄκραι τίνες εἰσὶν ἁρμονίαι; καὶ τίς αὐτῶν ἑκατέρας φύσις; καὶ τίς ἡ μῖξις ἢ ἡ κρᾶσις αὐτῶν; οὐδὲν γὰρ δὴ τῶν lac. 9 litt. ἄκρων M. Ad ceterorum colorum similitudinem corrigas τίς αὐτῶν ἑκατέρας ⟨ἡ⟩ φύσις; Quod sequitur enuntiatum causale in editionibus ex Sylburgii coniectura male legitur οὐδὲν γὰρ δεῖ τῶν ἄκρων, quorum verborum vis nulla est. Sententiam verissime Reiskius adsecutus est, cum scribendum suspicaretur „οὐδὲν γὰρ δὴ *procul dubio*, vel *utique*) ἐνδέχεται περὶ μέσου σαφὲς εἰπεῖν, μήπω δεδηλωμένων τῶν ἄκρων. *nihil enim utique dicere licet de re inter duas media, nisi prius de extremitatibus ambabus exposueris.*" Ambrosiani lacuna facit, ut vocem οὐδέν pro subiecto habeam; post ἄκρων unus versus propter homoeoteleuton intercidit. Verba duce Reiskio ita fere constituerim: οὐδὲν γὰρ δὴ τῶν ⟨μ ε τ α ξ ὺ τ ῶ ν⟩ ἄκρων ⟨φ ύ σ ι ν ἔ χ ε ι ῥ η θ ῆ ν α ι μ ή π ω δ ε δ η λ ω μ έ ν ω ν α ὐ τ ῶ ν τ ῶ ν ἄ κ ρ ω ν⟩. Cf. p. 995₁₆ τοῦ δὲ ῥητορικοῦ γένους τοῦ μ ε τ α ξ ὺ τ ῶ ν ἄ κ ρ ω ν. Φύσιν ἔχει legitur exempli gratia p. 604₁₇ τὸ μετὰ τοῦτο ὡς φ ύ σ ι ν εἶ χ ε γενέσθαι τε καὶ ῥ η θ ῆ ν α ι. 615₂ ὡς φύσιν εἶχε πραχθῆναι. 68₅ οὐκ ἔχει φύσιν τὸ πρᾶγμα εἰς καθολικὴν καὶ ἔντεχνόν τινα περίληψιν πεσεῖν.

p. 1091₅ₛₛ Τῶν δὲ συμφωνουμένων δυσὶν ἢ τρισὶ χωρίοις τὴν λειότητα μὴ φυλλάττουσαι συντυ π̄ lac. 6—8 litt. μόνοις εὑρεθήσονται ἔν ⟨τε⟩ τῷ „Αἵρεσίν μοι δοίη" καὶ ἐν τῷ „Τῆς ἡμετέρας πόλεως" M. In volgata est συντυπαιμένοις. Reiskius proposuit σὺν τοῖς ἑπομένοις aut σὺν ταῖς ἑπομέναις: neutra coniectura Ambrosiano commendatur. Num forte Dionysius scripsit σὺν τοῖς π⟨αρακει⟩μένοις? Inter

consonas duobus tribusve locis inveniuntur, quae concinnitatem cum vicinis non observent.

p. 1093₁ss *Τῶν δὲ περιόδων αἱ μέν εἰσιν εὐκόρυφοι . . . αἱ δὲ ὕπτιαι . . . μήκει τε αἱ μὲν θάττους, ὥστε συμμετρηθῆναι πρὸς ἀνδρὸς πνεῦμα, αἱ δὲ πολλῷ μείζους, οἷαι καὶ μέχρι τῆς τετάρτης ἀναπαύσεως προελθοῦσαι τότε λήγειν εἰς πέρας.* Verba *αἱ μὲν θάττους* illis *αἱ δὲ πολλῷ μείζους* opposita esse ipsa structura indicat. Sed adiectiva non eiusdem generis, ergo ne contraria quidem sunt. Tu vetus vitium tollas: *ΘΑΤΤΟΥϹ* ex *ЄΛΑΤΤΟΥϹ* corruptum est: *μήκει τε αἱ μὲν ἐλάττους . . . αἱ δὲ πολλῷ μείζους.*

p. 1095₁₁ss *Ὁρῶ γὰρ αὐτὸν, εἴ ποτε λάβοι πράγματα χαριεστέρας δεόμενα κατασκευῆς, πανηγυρικὴν αὐτοῖς ἀποδιδόντα τῆς λέξεως ἁρμονίαν, ὡς ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοκράτους πεποίηκε λόγῳ, πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, μάλιστα δ' ἐν οἷς τὸν περὶ τῶν νόμων ἀποδίδωσι λόγον . . . κἂν τῷ κατὰ Λεπτίνου περὶ τῆς ἀτελείας κατὰ πολλὰ μέρη, μάλιστα δ' ἐν τοῖς ἐγκωμίοις τῶν εὐεργετῶν τῆς πόλεως.* Ex analogia verborum *πολλαχῇ μὲν καὶ ἄλλῃ, μάλιστα δ' κτλ.* lego *κατὰ πολλὰ ⟨μὲν καὶ ἄλλα⟩ μέρη, μάλιστα δ' ἐν τοῖς ἐγκωμίοις κτλ.*

p. 1096₁₃s *Τὰς διηγήσεις ποιεῖ τὸ πλεῖον ἐχούσας τοῦ σεμνοῦ τὸ ἡδύ.* Articulum *τὸ* ante *πλεῖον* perperam illum quidem interpolatum tollas; cf. p. 896₁₆ *ἡ πλέον ἔχουσα τοῦ τεχνικοῦ τὸ φυσικόν.*

p. 1100₁ss *Δεύτερον δὴ κεφάλαιον ἦν ἐπιδεῖξαι τίσι θεωρήμασι χρώμενος καὶ διὰ ποίας ἀσκήσεως προελθὼν* (sc. *Δημοσθένης*) *τὸ κράτιστον μέρος ἔλαβε τῆς* lac. 10—12 litt. *ἁρμονίας.* Lego *τὸ κράτιστον μέρος ἔλαβε τῆς ⟨μικτῆς καὶ μέσης⟩ ἁρμονίας,* cl. p. 1067₉ *οἱ δὲ συνθέντες ἀφ' ἑκατέρας τὰ χρησιμώτατα τὴν μικτὴν καὶ μέσην ἐζήλωσαν ἀγωγήν,* 1087₁₅ *τὴν μέσην τε καὶ μικτὴν ἁρμονίαν ἐπετήδευσεν ὁ Δημοσθένης.*

p. 1102₇ss *Φέρε γὰρ, εἴ τις ᾠδαῖς ἢ κρούμασιν ὀργάνων τὸ κάλλιστον ἐντείνας μέλος ῥυθμοῦ μηδένα ποιῆται λόγον,*

ἔσθ' ὅπως ἂν τις ἀνάσχοιτο τῆς τοιαύτης μουσικῆς; τί δὲ, εἰ τούτων μὲν ἀμφοτέρων προνοηθείη μετρίως, μένοι δ' ἐπὶ τῆς αὐτῆς μελῳδίας καὶ τῶν αὐτῶν ῥυθμῶν οὐδὲν ἂν ἐξαλλάττων οὐδὲ ποικίλλων; ἆρ' οὐχ ὅλον διαφθείροι τὸ ἀγαθόν; Pro ποιῆται lego ποιήσαιτο. Particula ἂν ut perperam cum participiis ἐξαλλάττων et ποικίλλων coniungitur, ita omni modo in apodosi condicionali desideratur. Praeterea interrogationis signum male additur post ποικίλλων, omittitur post τί δέ. Alteram igitur periodum ita exhibuerim: Τί δέ; εἰ τούτων μὲν ἀμφοτέρων προνοηθείη μετρίως, μένοι δ' ἐπὶ τῆς αὐτῆς μελῳδίας καὶ τῶν αὐτῶν ῥυθμῶν οὐδὲν ἐξαλλάττων οὐδὲ ποικίλλων, ἆρ' οὐχ ὅλον ⟨ἂν⟩ διαφθείροι τὸ ἀγαθόν;

p. 1107₁₀ Ταχεῖάν τε πάνυ τὴν γνῶσιν λήψεται καὶ οὐκ ἐπι lac. 3 litt. σεται ταῖς ὁμοιότησι M: ἐπίσεται R. Sylburgius et Reiskius cum pro corruptis οὐκ ἐπίσεται scribendum proponerent hic οὐκέτι παισθήσεται vel οὐκ ἐπιπείσεται, ille οὐκ ἐποίσεται vel οὐκ ἀπατηθήσεται, sententiam quidem genuinam adsecuti sunt, ipsa vocabula displicent; neque verbum quod et sententiae et Ambrosiani lacunae aptum esset, invenire mihi contigit. Impediendi autem notionem desiderari praecedens vocabulum ταχεῖαν aliquo modo indicare videtur: qui non unam tantum formae notam respicit, quae in multis similis esse potest, verum omnia aut pleraque ea quae formae alicui propria sunt, is celeriter impedimentisque nullis retentus quasi viam emetietur atque formae naturam cognoscet.

p. 1110₁₆₈ Τοιαύτην δέ φημι πᾶσαν εἶναι λέξιν πολιτικήν, ἐν ᾗ τὸ ποιητικὸν ἐμφαίνεται κάλλος. Genuinam lectionem τοιαύτην δή φημι locus libri de c. v. p. 197₁₀, unde haec repetita sunt, servavit.

p. 1113₁₀₅₈ Οὐκ ἂν θαυμάσειεν, εἰ φροντὶς ἐγίνετο (ι corr. s. ε) Δημοσθένει ἔτι μελῶν καὶ ῥυθμῶν καὶ σχημάτων καὶ τῶν ἄλλων πάντων, οἷς ἡδεῖα καὶ καλὴ γίνεται σύνθεσις M. Particulam ἔτι Reiskius suo iure delevit. Praeterea pro ἐγίνετο scribere malim ἐγένετο, cum priore Ambrosiani lectione ductus tum loco libri de c. v. p. 209₆₈, ex

quo haec fluxerunt: *τί οὖν ἦν ἄτοπον. εἰ καὶ Δημοσθένει φροντὶς εὐφωνίας τε καὶ εὐμελείας ἐγένετο;*

p. 1114₁₃ss *Οὐχ ἄλογον ἦν καὶ ταῦτα καὶ τἄλλα πάντα διὰ πολλῆς ἐπιμελείας . . . ἔχειν· ἐπειδὴ δ' ἡ χρόνιος ἄσκησις ἕξιν αὐτῷ ἐνεποίησε πολλὴν . . ., τότ' ἀπὸ τοῦ ῥάστου τε καὶ τῆς ἕξεως αὐτὸ ποιεῖν.* Legas *αὐτὰ ποιεῖν*, cl. de c. v. p. 210₅.

p. 1115₁₂ss *Τὰ συμβεβηκότα τούτοις* (sc. *τοῖς ὀνόμασι καὶ ῥήμασι καὶ συνδέσμοις*) *συστολὰς ἐκτάσεις ὀξύτητας βαρύτητας γένη πτώσεις ἀριθμοὺς ἐγκλίσεις τὰ ἄλλα παραπλήσια τούτοις μυρία ὀνόματα. Ὀνόματα* nullo modo *ὀνόμασιν* obtingere dici possunt, quare tollas ineptum additamentum; cf. de c. v. p. 211₉ *τὰ συμβεβηκότα αὐταῖς* (sc. *ταῖς λέξεσιν*) *ἐκτάσεις τε λέγω καὶ συστολὰς καὶ προσῳδίας καὶ τὰ παραπλήσια τούτοις.*

p. 1115₁₅ss *Ὅταν δὲ τὴν τούτων ἁπάντων ἐπιστήμην περιλάβωμεν, τότ' ἀρχόμεθα γράφειν τε καὶ ἀναγινώσκειν, κατὰ συλλαβὰς*[1]) *μὲν καὶ βραδέως τὸ πρῶτον . . . προβαίνοντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τὸν νοῦν ἰσχυρὸν τῇ ψυχῇ περιτιθέντος ἐκ τῆς συνεχοῦς μελέτης, τότ' ἀπταίστως τε καὶ κατὰ πολλὴν εὐπέτειαν* M. Quod in editionibus pro verbis corruptis *τὸν νοῦν* legitur *τόνον*, Reiskii est coniectura. Dionysius certo dedit *προβαίνοντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τύπους ἰσχυροὺς τῇ ψυχῇ περιτιθέντος*; cf. de c. v. p. 211₁₃ *ἐπειδὰν δὲ ὁ χρόνος ἀξιόλογος προσελθὼν τύπους ἰσχυροὺς αὐτῶν ἐν ταῖς ψυχαῖς ἡμῶν ποιήσῃ, τότ' ἀπὸ τοῦ ῥάστου δρῶμεν αὐτά.* 1114₁₄ *ἡ χρόνιος ἄσκησις ἕξιν αὐτῷ ἐνεποίησε πολλὴν καὶ τύπους ἰσχυροὺς ἐνειργάσατο τῶν ἀεὶ μελετωμένων*, cf. p. 210₆.

p. 1118₁₅s *Ὃ δὴ ἐγὼ σαφὲς ἐπὶ τῶν πραγμάτων ποιήσω.* Sequuntur exempla. Dionysii ni fallor manus est *ὃ δὴ ἐγὼ σαφὲς ἐπὶ τῶν παραδειγμάτων ποιήσω.* Cf. p. 861 *ἔσται δὲ τοῦτο φανερὸν ἐπὶ τῶν παραδειγμάτων.* 895₁₅ *ἐκ πολλῶν ἔτι δυνάμενος παραδειγμάτων ποιῆσαι φανερόν.*

---

[1]) *συλλαβὰς* Reisk.: *συλλαβὴν* MR.

p. 1128₄ss Ἐοίκασιν οἱ τοῦτο συκοφαντοῦντες τὴν βραχυλογίαν ἐκ παντὸς ἀπαιτεῖν, ἥν, ὅπερ εἶπον, παντὸς μᾶλλον καὶ εὐκαιρότερον παρέχεται (sc. Δημοσθένης). Dixit de ea re Dionysius p. 1127₁₆ss κέχρηται γὰρ αὐτῷ χρησίμως ὁ ἀνήρ, ὥσπερ καὶ τῇ τμητικῇ καὶ τῇ βραχυλογίᾳ, πάντων γε μᾶλλον καὶ εὐκαιρότερον. Inde altero loco corrigas πάντων μᾶλλον καὶ εὐκαιρότερον.

p. 1128₁₂ss Τούτων δὲ τῶν ἀρετῶν ἑκάστην οὐχ ἡ βραχυλογία κράτιστα δύναται ποιεῖν, ἀλλὰ καὶ ὁ πλεονασμὸς ἐνίων ὀνομάτων, ᾧ καὶ ὁ Δημοσθένης κέχρηται. Verba ὁ πλεονασμὸς ἐνίων ὀνομάτων non recte leguntur, quasi vero certa electaque nomina sint quibus pleonasmus efficiatur, quo Demosthenem usum esse Dionysius dicit. Scripsit ille ni fallor ὁ πλεονασμὸς ἐνίοτε τῶν ὀνομάτων; cf. p. 1127₉ λέγω δὲ τὸ πολλοῖς ὀνόμασι τὸ αὐτὸ πρᾶγμα δηλοῦν ἐνίοτε.

INDEX LOCORUM.

Asterisco * ei loci insignes sunt, quos coniectando emendare temptavi.

de Isocrate indicium

de Isaeo iudicium

epistula ad Ammaeum II.

de Thucydide iudicium.

de Demosthenis dictione liber.

Corrigenda.

pag. 11_{1} pro 762:5 l. 762:
12_{1} pro *μένει* l. *μένη*
19 not. vers. 2 pro *Τίμαιος* l. *Τίμαιος*·
53 not. vers. 13 pro *καλοῖς* l. *καλοῖς*
57_{21} pro eum *e.* l. eum *e* .
70 not. vers. 9 pro significavi l. significavi
77_{31} pro R¹ l. R¹
89_{21} pro *κατ' ἐνθύμημα* l. *κ α τ' ἐ ν θ ύ μ η μ α*
101_{25} pro l a c. 5—7 l i t t. l. lac. 5—7 litt.
103_{10} pro *μέρος.* l. *μέρος* .
104_{7} pro *ἠν* l. *ἦν*
139_{3} pro *καλεῖται.* l. *καλεῖται,*
$_{6}$ pro 11; l. 11,
220_{18} pro *πανηχυρικὴν* l. *πανηγυρικὴν*
228_{35} pro ac. l. lac.

DE SERMONIS PROPRIETATIBUS QUAE LEGUNTUR APUD CORNIFICIUM ET IN PRIMIS CICERONIS LIBRIS

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE

ACADEMIAE WILHELMAE ARGENTINENSIS

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

PHILIPPUS THIELMANN

CAESAREA-LUTRENSIS

ARGENTORATI

APUD CAROLUM I. TRUEBNER.

MDCCCLXXIX.

Ex quo viri docti priscorum scriptorum latinorum sermoni accuratius cognoscendo operam dederunt, quomodo per singulas aetates lingua latina progressa sit et exculta, diligentius quaerere coeperunt. Solent igitur nunc singulos scriptores non ipsos neglectis aliis contemplari, sed simul investigare, qua ratione singuli inter se cohaereant quibusve de causis hoc vel illud in lingua mutaverint. Itaque his demum temporibus historica quam vocant grammatica coepta est condi.

Ac formae quidem vocabulorum ne prisca quidem aetate multum distant ab iis, quae postea in usu erant: quae cum Sullae fere temporibus accuratius constitutae essent, per multa saecula usque ad exitum imperii Romani fere eaedem manserunt; contra et syntaxi et verborum thesauro et vocabulorum formatione singulae aetates plurimum inter se distant. Atque cum syntaxis quidem parum exculta apud priscos scriptores, nimiis artificiis saepe exsanguis et languida in argentea latinitate fuisse videatur, ex aureae aetatis scriptoribus praeter ceteros Ciceronem linguam latinam elegantissimam et ad complura scribendi genera expeditissimam effecisse constat. Nec tamen omnia Ciceronis scripta eadem insignia sunt sermonis perfectione. Primum enim cum inter singula scriptorum genera magna intercedat differentia, tum epistulae, quarum sermo saepissime ad vulgarem dicendi usum descendit, proprium et singularem obtinent locum. Deinde cum Cicero sermonem per singulas vitae partes paulatim et gradatim ad eam quam vulgo admiramur elegantiam provexerit, in iis libris, quos primos scripsit, permulta admisit, quae in posterioribus frustra quaeras. Quos cum admodum iuvenis

composuerit, putandus est et in rebus et in sermone multis modis pendere ex aliis scriptoribus. Inter omnes autem, qui illo tempore de arte rhetorica scripserunt, nemo tantam adeptus est auctoritatem quantam Cornificius, cuius *rhetorica ad Herennium* quam arta cognatione cohaereant cum Ciceronianae artis rhetoricae *de inventione* libris neminem fugit.

Itaque quae ratio intercedat inter Cornificii et Ciceronis sermonem, accuratius disquiramus. Diligentius autem eos tantum perquisivimus libros, quos primos publici iuris fecit Cicero: dico libros de inventione non multo post a. u. 669 ut videtur compositos, orationem pro P. Quinctio anno 673 habitam, orationem pro Sex. Roscio Amerino anno 674 habitam; nam cum post orationem Roscianam Cicero per aliquantum temporis in Graecia et in Asia minore (annis 675—677) arti rhetoricae accuratius cognoscendae operam navarit, inde ab hoc tempore sermonem Ciceronianum multo esse elegantiorem multoque puriorem consentaneum est. Attamen Cicero in primis quoque quos post reditum ex Asia conscripsit libris non pauca ex iis admisit, quae postea ipse improbavit; sensim enim et pedetemptim ad eam provectus est perfectionem, quae paulo ante orationes Philippicas in orationibus praecipue apparet.

Praeterea cum stili, quem scriptor aliquis adhibet, proprietas non tam iis efficiatur, quae admiserit, quam iis, quae consulto evitaverit, in hac quaestione non solum ea afferemus, quae communia habet Cicero cum Cornificio; immo ex iis, quae improbavit ille, quanto elegantior et purior in ipsis primis libris Ciceronianus sit sermo, praecipue cognoscitur.

Ex libris, qui in hoc opusculo conficiendo summo mihi fuerunt adiumento, primo loco commemoranda est Eduardi Woelfflini commentatio, quae inscribitur *Zum Vulgaerlatein* (in Philol. Gotting. vol. XXXIV pag. 137 sqq.). In hac scriptione vir doctissimus sermonis vulgaris illustrandi causa cum ex aliis aliorum scriptorum libris permulta affert exempla tum ipsarum pro Quinctio et pro Roscio orationum rationem habet inde a pag. 142 sqq. Item ex nova *Antibarbari*

Krebsiani editione, quam Allgayerus curavit, haud pauca addere licuit.

Cum autem iam perscripsissem hunc libellum, oblatum mihi est volumen prius *actorum seminarii philologici Erlangensis* ab I. Muellero et E. Woelfflino editorum. Ex iis quae in hoc volumine continentur scriptionibus ad similem atque ego tractavi materiam pertinet diligens H. Hellmuthii commentatio *de sermonis proprietatibus, quae in prioribus Ciceronis orationibus inveniuntur* (l. l. pag. 101 — 174) et accuratus A. Koehleri libellus *de auctorum belli Africani et belli Hispaniensis latinitate* (pag. 367 — 471). Post Hellmuthium eandem materiam retractavit G. Landgraf, *de Ciceronis elocutione in orationibus pro P. Quinctio et pro Sex. Roscio Amerino conspicua*, ita tamen, ut intra artiores sese contineret fines. Reliquos quibus usus sum libros suo quemque loco nominabo.

Restat, ut summas gratias agam Guilelmo Studemund praeceptori meo, qui et in scholis Argentorati habitis multa ad quaestiones a me tractatas pertinentia tetigit et in toto hoc libello perficiendo et consilio et re me adiuvit, et Carolo Eduardo Georges lexicographorum principi, qui praecipue ex posteriorum aetatum scriptoribus largam exemplorum segetem ad capita I et IV pertinentem benignissime mihi suppeditavit, nec non Eduardo Woelfflin, qui complura exempla a se collecta mecum communicare voluit. Novam Ciceronis librorum de inventione editionem, quam nuperrime Andream Weidner curasse audio, nondum vidi.

Caput I.

A. De verborum copia.

§ 1.

Composita adhibentur pro simplicibus.

Colligentibus ex Cornificio et ex primis Ciceronis scriptis vocabula ea, quibus postea Cicero et qui eum secuti sunt

scriptores optimi abstinuerunt, simul in animo nobis est investigare, quibus causis ductus Cicero hoc vel illud vocabulum aut omnino reiecerit aut raro adhibuerit. Praeterea quae ex aureae aetatis scriptoribus apud Caesarem, Nepotem, Sallustium inveniuntur exempla omnia afferemus; item si qua vox in prisca latinitate vel apud posterioris aetatis scriptores legitur, diligenter commemorabimus.

Qui Ciceronis aetate id sibi habebant propositum, ut ad certas regulas certaque praecepta linguam latinam, qualis tunc erat, excolerent et perpolirent, ab initio nihil aliud faciebant, nisi ut quaecumque minus apta viderentur ex sermone suo reicerent. Et Cicero adulescentulus cum libros de inventione scribere inciperet, multa deprehendit vocabula, quae nullo significationis discrimine inter se differre viderentur. Huc pertinent inprimis multa *vocabula composita*, in quibus iam tunc praepositionis vis adeo erat debilitata, ut qua ratione eorum significatio distaret a verbo simplici, non iam perspiceretur. Itaque cum in sermone plebeio, qui nimia quadam dicendi copia delectatur, eiusmodi multa in usu essent vocabula composita, mirum non videtur, quod Cicero vulgaris sermonis illa propria esse ratus in suos libros verbum simplex solum recepit. Veluti ex aurea sermonis aetate exclusa sunt *addecet condecet*, receptum est unum *decet*; item *consimilis* adiectivum, cum praeter *similis* non necessarium esse videretur, in aureae aetatis prosa oratione raro adhibebatur. Nec tamen omnia verba composita, quae eandem quam verbum simplex haberent significationem, potuisse excludi ex sermone elegantiore consentaneum est, cum praesertim quo maior fieret varietas et perspicuitas orationis, saepe in hoc opus esset pluribus vocibus idem significantibus. Itaque cum Cicero vocabula synonyma coacervare soleret, remanserunt *approbo comprobo* similia. Praeterea unius rhetoricae quam vocant concinnitatis causa Ciceronem verbis quibusdam compositis, quae aliis locis non adhibuit, interdum usum esse demonstrabimus. Deinde quod complura verba composita, velut *adiuvo consolor*, multo saepius leguntur apud probatissimos prosae orationis scriptores quam simplicia *iuvo solor*, iure concludere licebit

eo ipso tempore, quo Cicero aliique linguam perpolire inceperint, verborum illorum compositorum usum adeo fuisse pervulgatum, ut non sine maximo impedimento verba simplicia eorum munus susceptura fuerint.

Quid egerit Cicero in lingua constituenda, planius cognoscetur, si quae diximus exemplo illustraverimus. Cum enim libros de inventione incoharet, praeter verbum simplex *augere* duo ei praesto erant composita, quorum alterum *adaugere* significat *augendo aliquid addere ad aliquid quod exstat*, alterum *exaugere* significat quasi *funditus augere.* Itaque cum quam vim haberet praepositio, planius ac facilius perspiceretur in priore verbo composito quam in altero, Cicero ubi primum libros scribere coepit, *exaugendi* verbum omnino abiecit et ne in posterioribus quidem scriptis umquam restituit, alterum autem *adaugere* in primis quos composuit libris nonnumquam, contra in posterioribus admodum raro adhibuit. De tribus igitur illis verbis ad extremum nullum ei superfuit nisi verbum simplex *augere.* Apud Cornificium verba duo composita inveniuntur ita, ut apud ipsum quoque *adaugere* saepius legatur quam *exaugere: adaugere* Corn. II, 25, 39. 30, 47. III, 2, 2. 11, 20. 14, 25. IV, 33, 45; *exaugere* II, 29, 46. IV, 13, 19. 24, 34; apud Ciceronem *adaugere* inv. I, 3, 4. II, 18, 55. 25, 75. 33, 101. Rosc. Am. 11, 30; in reliquis omnibus orationibus auctore Merguetio (in lexico orat. Ciceron.) omnino semel legitur: post red. in sen. 36; praeterea acad. post. I, 5, 21.

Duo illa verba composita iam apud priscos poetas leguntur: *adaugere* Plaut. Stich. 2, 2, 62. Ter. Heaut. 3, 1, 26; *exaugere* Pl. Stich. 2, 1, 32. Enn. ann. 290 V. Ter. Heaut. 2, 2, 3. Apud aureae autem aetatis scriptores idem fere illis accidit quod apud Ciceronem; *exaugere* enim, quod ex huius aetatis scriptoribus unus Lucretius 5, 611 admisit, apud posterioris demum temporis scriptores, velut apud Symmachum ep. 1, 27 et apud Eucherium ep. paraen., denuo reperitur. *Adaugendi* autem verbo nonnulli aureae aetatis scriptores interdum utuntur, velut Caesar b. civ. 3, 58; item auct. b. Alex. 12; auct. b. Afr. 1, 5, quem utrumque a sermone vulgari non nimium

abesse constat; ex poetis Lucretius 2, 564. 6, 508; postea Livius 10, 23, 6; Vitruvius (sexies: cf. indicem Nohlii); Plin. paneg. 22 (pag. 335, 20 ed. Keil); Gai. dig. XL, 4, 57; Callistrat. dig. XXVII, 1, 17 § 2; cf. etiam inscriptio Tergestina a De Vitio in lexico commemorata et Vulg. 2 reg. 24, 3, Luc. 17, 5 et gloss. Labb. *adaugeo* *αὐξάνω*. Contra quaecumque sive verba sive nomina derivata sunt a verbo primitivo *adaugere* omnino non inveniuntur in aureae aetatis oratione prosa, velut *adauctare* Acc. praet. vers. 14 pag. 283 R; cf. gl. Labb. *adauctagit* *ηὐξήθη* (*adauctavit* corr. Ribbeck trag. fragm. coroll. pag. LXXII); *adaugesco* Cic. div. I, 7, 13 in loco ex Arati prognosticis verso (cf. Cic. ed. Baiter-Kayser vol. XI pag. 123); Lucr. 2, 296; *adauctor oris* Tertull. de testim. an. 2; *adauctu* Lucr. 2, 1122[1]); *adaugmen* Lucr. 6, 614.

Restat ut nominatim proferamus ex Cornificio et ex primis Ciceronis scriptis ea verba composita, quae cum a verbi simplicis significatione nihil differre viderentur, a Cicerone postea et ab iis qui Ciceronem secuti sunt scriptoribus ex sermone urbano exclusa sunt. Composita sunt verba illa ad unum omnia cum praepositionibus *ad cum de*. (Cf. Stinner, *de eo quo Cicero in epistulis usus est sermone*, Oppeln. 1879, pag. 18 sq.; Woelfflin l. l. pag. 160; Hellmuth act. Erl. I pag. 125 sqq.).

a) *Ad.*

1) *Adcuro*, cuius verbi formae finitae magis comicorum poetarum sermonis et humilioris prosae orationis propriae videntur esse; leguntur enim apud Plautum saepe (cf. indicem Naudeti); Ter. And. 3, 2, 14. Hec. 5, 1, 12; Afran. 183 pag. 187 R (ex coni. Ribb.; libri praebent *occurro*); apud Ciceronem bis inveni inv. I, 34, 58 *melius adcurantur quae consilio geruntur*, et in loco quem ex Ciceronis Oeconomico laudat Colum. praef. l. XII, 2 *cum victus — sub tecto adcurandus erat* (Baiter-Kayser XI pag. 51, 6 sq.); cf. tamen quae Baiterus adnotavit ad fragmenta Ciceronis apud Columellam servata ib. pag. 56: *Columella . . . passim et ordinem sen-*

[1]) Apud Solinum 23, 22 pag. 121, 3 M, ubi vulgo ferebatur *adauctus eius*, nunc Mommsenus *ad auctus eius* edidit.

tentiarum immutat et Tullianis verbis sua substituit. Cum vero Xenophontis Oeconomicus a Cicerone adulescente viginti fere annorum translatus sit neque alibi apud Columellam *adcurandi* verbum invenerim, in loco supra laudato *adcurare* ad ipsius Ciceronis sermonem pertinere verisimile est. *Adcurandi* verbum postea legitur apud Apul. apol. 87 (ex coni. Hildebr.; libri *accusari*); Lamprid. Heliog. 31[1]); Iuliani epitom. nov. 79 § 301; gl. Labb. *accuro ἐπιμελοῦμαι*. Cf. Krebs-Allgayer, Antibarb. pag. 64 sq.

2) *Adsolere* adhibetur, ut ait de Vit, plerumque impersonaliter vel in tertia persona singulari et plurali praesentis temporis. Ac personalem structuram habes locis his: Pl. Epid. 1, 1, 5. Pers. 5, 1, 7; Ter. And. 3, 2, 1; Cic. inv. II, 42, 122 *deinde quae adsolent*; Liv. 5, 52, 16. 40, 54, 8; Ennod. paneg. Theod. 7; Arnob. 7, 24 pag. 258, 1 R; Veget. r. mil. 3, 1 pag. 65, 8 Lang. 3, 22 pag. 112, 13. 4, 37 pag. 153, 3. 4, 40 pag. 158, 13. Saepius usurpatur constructio impersonalis eaque certa una prolata formula *ut adsolet*, quae in sacerdotum sermone sollemnis fuisse videtur: cf. Cic. leg. II, 9, 21. Lael. 2, 7. Phil. 2, 33, 82; Liv. 1, 28, 2. 5, 16, 11. 23, 31, 15. 32, 1, 9. 33, 26, 6. 37, 14, 5; Tac. hist. 2, 6. ann. 1, 24. 3, 1. 6, 12 (cf. etiam 13, 44 *ut adsolet in amore et ira*); Suet. Ner. 7. 34. Vesp. 7: auct. tract. *de singular. cler.* 26 (Hartel Cyprian. III pag. 202, 18); cf. praeterea Liv. 34, 44, 2; Augustin. conf. 8, 5. Ceterum cf. Woelfflin *Liv. Kritik* p. 28; Madvig ad Cic. fin. 5, 1, 1; Anton *Studien* 2, 104; Maur. Mueller ad Liv. 1, 28, 2.

Adicimus 3) *adpromitto*, quo in verbo praepositio suam retinet vim, qua significat *ipsum aliquid praeter alios promittere*; omnino semel legitur apud Cic. Rosc. Am. 9, 26 *cumque id ita futurum T. Roscius Capito — adpromitteret*; substantivum *adpromissor* iurisconsultorum sermonis est: Pompon. dig. XLV, 1, 5 § 2; Ulp. ib. XXIV, 3, 64 § 4 et XLVI, 3, 43; cf. Paul. ex Festo pag. 15 M *adpromissor est, qui quod ⟨quis⟩ suo nomine promisit, idem pro altero quoque pro-*

[1]) Apud Apic. 1, 24, ubi vulgo ferebatur *ante accuratas*, nuper Schuchius restituit *antea curatas*.

mittit; saepius leguntur apud Ciceronem *compromitto* et *repromitto* (Woelfflin pag. 143. 161).

b) *Cum*.

1) *Cohonesto* Acc. 445 pag. 193 R *conestat* (ex coni. Luciani Mueller de re metr. 253); Cic. Quinct. 15, 50 *ad exsequias cohonestandas*. Verr. II, 2, 69, 168 (quo loco *cohonestare* respondet sequenti *comprobare*). de domo 31, 81. fam. 13, 11, 3; auct. orat. »pridie quam in exilium iret« § 30 (quo loco *cohonestastis* respondet sequenti *conservetis*): Liv. 25, 16, 17. 38, 47, 3; Plin. n. h. 22, 13 (15), 34; Tac. ann. 3, 76, 7; Apul. de dogm. Plat. 2, 23 p. 99, 11 Goldb.: Arnob. 5, 23 pag. 194, 10 R. 5, 39 pag. 209, 6. 5, 43 pag. 211, 27; Pacat. paneg. 20, 2 p. 288, 23 Baehr.: cf. etiam Dirkseni Manuale s. v. et Orelli inscr. 5037.

2) *Conlocupleto* his tantum locis legi: Ter. Heaut. 2, 3, 17; Corn. II, 18, 28 *rei honestandae et conlocupletandae causa*, II, 29, 46 *ad exaugendam et conlocupletandam argumentationem*.

3) *Commetior* Pl. Most. 3, 3, 8; Cic. inv. I, 26, 39 *nam saepe oportet commetiri cum tempore negotium*, id. Tim. 9, 29; Colum. 5, 1, 2.

4) *Commiseror* Corn. IV, 55, 69 *in amplificanda et commiseranda re*; Cic. Arat. 191. divin. Caecil. 14, 46; auct. orat. »pridie quam etc.« 21; Nep. Ages. 5, 2; Quintil. 11, 3, 58; Gell. 5, 14, 19; activum *commisero* est apud Acc. 355 pag. 182 R; substantivum *commiseratio* rhetoricae artis proprium apud Corn. Cic. Quintil.

5) *Concelebro* Pl. As. 2, 2, 45. Cas. 4, 3, 2. Pseud. 1, 2, 32; Afran. 103 pag. 178 R. id. 262 pag. 197; Lucil. XXX, 7 pag. 118 M; Cic. inv. I, 3, 4. II, 23, 70. leg. Man. 21, 61; Q. Cic. pet. cons. 11, 44. 13, 50; Caes. bell. civ. 3, 72; Lucr. 1, 4. 2, 345. 5, 1379; Tibull. 1, 7, 50; Ovid. fast. 4, 354; Liv. 1, 9, 7. 8, 7, 22; Plin. n. h. 34, 2 (4) § 9 (ubi Detlefsen *celebrante* scribit); Auson. edyll. 1, 9 pag. 151 Bipont.; Dict. Cret. 1, 23 pag. 17, 21 Meister: Claudian. de rapt. Pros. 59.

6) *Concredo* Plaut. (septemdecim loci enumerantur in indice Naudeti); Lucil. 28, 24 pag. 99 M; Cic. Quinct. 20,

62 *cui tu famam tuam commendare — et concredere solebas*, Rosc. Am. 39, 113 *cui — fortunae vivi commendatae sunt atque concreditae*; his igitur duobus locis Ciceronianis *concredo* rhetoricae concinnitatis causa positum est, ut responderet praecedentibus verbi *commendare* formis (de iis verbis, quae postea apud Ciceronem *concredendi* munere funguntur, cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 127). Praeterea vid. Catull. 64, 213: Verg. Aen. 10, 286; Hor. sat. 2, 6, 43; Prop. 1, 10, 11; Hygin. fab. 82 pag. 82, 16 Schm.; Colum. praef. I, § 4. 3, 1, 7; Sil. Ital. 5, 523; Solin. 9, 15 pag. 73, 6 M.

7) *Condisco*, cuius verbi significatio principalis nec debilitata *simul cum aliquo discere* legitur apud Apul. Flor. 4, 18, deminuta vi, ut nihil differat a verbi simplicis notione, invenitur apud Pl. Curc. 1, 3, 4. 4, 3, 2. Poen. 3, 1, 11. Pseud. 4, 1, 35; Cic. Quinct. 3, 12 *nisi ut in tua pecunia condisceret, qui pecuniae fructus esset*, Planc. 5, 13 (quo loco cum praecedat *consequare*, rhetoricae concinnitatis causa positum videtur *condiscas*); praeterea apud Hor. carm. 3, 2, 3. 4, 11, 34; Ovid. Her. 4, 25: Colum. 3, 10, 16. 4, 15, 3. 7, 3, 19; Plin. n. h. 21, 5 (11), 23; Sil. Ital. 7, 462; Quintil. 1, 9, 2; Plin. ep. 7, 21; Suet. Ner. 20; Auct. carm. de fig. 95; Apul. Flor. 2, 15: Novatian. de trin. 3; Vopisc. Aurel. 1, 7; Veg. r. mil. 1, 3 pag. 7, 11 L. 1, 10 pag. 14, 3. 1, 18 pag. 20, 4. 1, 21 pag. 24, 1. 1, 28 pag. 29, 9. 2, 23 pag. 56, 10; cod. Theodos. 1, 12, 2; gl. Labb. *condiscit μελετᾷ*.

8) *Consaucio* Corn. IV, 19, 26 *celeri corpus volnere consauciari videtur*; Suet. Aug. 20. Ner. 26; Veget. r. mil. 1, 17 pag. 19, 14 L; Arnob. 7, 17 pag. 251, 21 R; Hegesipp. 4, 11; Ambros. de off. 1, 2, 6. Cf. etiam *convulnero*, Koehler. act. sem. Erl. I p. 382.

9) *Conservo* Corn. I, 9, 15 *rerum ac temporum ordinem conservabimus*, [contra Cic. inv. 1, 20, 29 *rerum ac temporum ordo servabitur*]; item *conservare ordinem* Cic. ad Attic. 6, 1, 1, sed *ordinem servare* Liv. 26, 51, 5. Caesar solet dicere *servare ordines*, semel (b. civ. 3, 93) *conservare ordines*: Livius dixit *ordines servare* 8, 34, 10. 24, 48, 11. 30, 35, 6. 42, 64, 10. Haec mihi benigne suppeditavit Woelfflinus.

10) *Constupro* Corn. IV, 8, 12 *in eis qui ingenuum — constuprassent.* IV, 39. 51 *liberi — ante pedes constuprantur*: Cic. Att. 1, 18. 3: Q. Cic. pet. cons. 3, 10: Liv. 29, 17. 15: Hygin. fab. 134 pag. 114, 12 Schm.: Curt. 10, 1, 5; Suet. Tib. 41. Vitell. 12; Tertull. de spect. 27. apol. 15 ad nat. 1. 10. idolol. 1; Aur. Vict. Caes. 33, 12; Lamprid. Commod. 5: Hieron. adv. Iovinian. 2, 9: Paulin. Nolan. de Bened. patriarch. 1, 2, 2: Vulg. Ierem. 2. 16; cf. etiam *constuprator* Liv. 39, 15, 9: *constupratio* Arnob. 2, 42 pag. 82, 21 R (ex coni. Reifferscheidii; cod. praebet *comparatione*); Pelag. apud Augustin. c. Pelag. 3, 17, 31; Firm. math. 8, 30 (ex Useneri emendatione): Sulp. Sev. ep. 2 ad Claud. 11.

11) *Contabesco* Pl. Merc. 1, 2, 92; Corn. 4, 15. 22 *o perfidiosae Fregellae, quam facile scelere vestro contabuistis*: Cic. Tusc. 3, 31, 75; Val. Max. 4, 7 in. p. 202, 15 H; Vulg. (quinquies): Augustin. serm. 38, 7; Boeth. cons. phil. 2 pros. 2 extr.; cf. etiam *contabefacio* Pl. Pseud. 1, 1, 19.

Substantiva collegi haec:

12) *Collaudatio*, cuius verbum primitivum *collaudare* saepe legitur apud optimae notae scriptores, non plus quattuor repperi locis: Corn. II, 9, 13. 10. 15; Cic. inv. II, 43, 125, ubi Ciceronem Cornificii locos ante oculos habuisse veri simile est (idem dixit *laudatio* inv. II, 50, 150); Vulg. psalm. 32, 1; cf. etiam *collaudator* Augustin. conf. 4, 14; *collaudabilis* Prudent. Hamartig. 694.

13) *Consuasor*, idem quod *suasor*, semel legitur apud Cic. Quinct. 5, 18; verbum *consuadere* quinquies est apud Plaut. As. 2, 1, 13. Merc. 1, 2, 32. Mil. 4, 8, 9. Trin. 2, 4, 126. 3, 2, 46; cf. Antibarb. p. 281.

Ex adiectivis huc pertinet:

14) *Consimilis* Pl. Amph. 1, 1, 287. Bacch. 3, 3, 50. Capt. 1, 2, 7. 1, 2, 14, Men. 5, 9, 4. Mil. 3, 2, 8. Poen. 4, 2, 2; Ter. Eun. 3, 5, 38. Heaut. 1, 2, 35. 2, 4, 2. 2, 4, 13. 5, 3, 17; Acc. 406 pag. 188 R; Afran. 135 pag. 182 R. 397 pag. 215; Corn. IV, 34, 45; Cic. Arat. 165. inv. I, 17, 24. de or. I, 33, 149. III, 7, 25. Phil. 2, 13, 28; Caes. b. gall. 2, 11. 5, 12. 6, 27; Lucr. saepissime[1]); Varr. Atac. chorogr.

I, 5 pag. 263 Riese; Ovid. Pont. 3, 7, 3. 4, 3, 23; carm. Priap. 37, 12 Buech.; Hygin. fab. 14 pag. 50, 4 Schm., id. fab. 276 pag. 152, 15; Vitruv. 2, 6, 1 pag. 42, 18 Rose; Valer. Max. 1, 8 ext. 10. 2, 7. 15. 2, 9, 2. 7, 3, 6. 7, 3 ext. 7 (et saepius?); Quintil. 9, 3, 102; Tac. ann. 3, 13; Front. de orat. 1 pag. 158, 15 Naber; Gell. 2, 17, 6. 14. 3, 8. 15, 9, 9; Tertull. adv. Marc. 5, 14. adv. Iud. 9, 14; Ulp. dig. XXXIV, 2, 23 § 2: cod. Theodos. 6, 9, 2 § 1; Cyprian. ep. 39, 4 pag. 584, 9 H: Vit. Cypr. 3 pag. XCIII, 21 H; Arnob. 3, 5 pag. 115, 11 R. 4, 15 pag. 153, 1. 5, 27 pag. 198, 24. 6, 22 pag. 233, 14. 7, 2 pag. 238, 18; Symmach. orat. pag. 7 M; Vulg. gen. 41, 39; 3 reg. 7, 37; 2 Macc. 4, 16. Adverbium *consimiliter* habent Gell. 6, 16, 12. 11, 5, 8. 17, 9, 7; Arnob. 1, 37 pag. 24, 28 R; Vigil. ep. 2 n. 6; *consimilare* August. de civ. dei 2, 10; Fulgent. myth. 3, 5 et plures scriptores christiani.

c) *De.*

1) *Deiuro* CIL I n. 198, 19 pag. 59; Gell. 1, 3, 20. 11, 6, 1. 5. Saepius legitur forma correpta *deiero* Pl. Cas. 3, 5, 37. Men. 5, 2, 63. Rud. 5, 2, 49; Ter. Hec. 5, 2, 5. Eun. 2, 3, 40; Lucil. XXIX, 66 pag. 111 M; Corn. IV, 49, 62 *clamat et deierat*; Varr. l. l. 5, 10 § 66; Epist. Corneliae apud Nep. fr. 28 ed. Halm (pag. 123, 8); Mela 1, 8, 8; Suet. Cal. 24. 27; Gell. 4, 20, 9. 7, 18, 10; Apul. met. 1, 5; Tertull. (novem locos enumerat in indice Oehlerus); Ulp. dig. IX, 4, 21 § 2; Lact. inst. 3, 20, 15; Amm. Marc. 24, 3, 9; Vulg. 1 reg. 20, 17; eccl. 9, 2 (de deut. 6, 13 cf. Roensch pag. 188); gl. Placid. pag. 34, 1 Deuerl. *deiero, deos iuro*; gl. Labb. *deiurat ὀμνύει.* Formam deponentialem *deieror* habet Apul. met. 10, 15. — Praeterea cf. *deieratio* inscr. ap. Marini, fratr. arv. p. 70; Tertull. de poen. 4. de idolol. 20; Mart. Capell. 2, 107; Salvian.; *deiurium* Gell. 7, 18, 8; gl. Placid. p. 32, 7 D *deiurium, iusiurandum certum iurare*; gl. Labb. *deiurium εὔορκος.*

1) Loci hi sunt: 1, 842. 885. 917. 1096. 2, 506. 677. 736. 807. 1018. 3, 8. 74. 282. 4, 89. 231. 5, 297. 712. 810. 6, 506. 881. 1129. Praeterea non minus saepe invenitur *similis* velut 1, 605. 886. 2, 272. 299. 336. 341. 372. 377 etc. Corrigenda est igitur aliqua ex parte Woelfflini sententia l. l. pag. 159.

2) Verbum *demorior* et maxime participium *demortuus* praecipue videntur magistratuum et iurisconsultorum Romanorum sermonis propria: cf. inprimis leg. Iul. municip. CIL I n. 206, 87 pag. 121 *in demortuei damnateive locum*; praeterea Corn. I, 11, 20 bis: *augur in demortui locum qui petat*; Cic. Verr. II, 4, 5, 9 *ne quis emeret nisi in demortui locum*, ib. II, 2, 50, 124 *cum esset — senator demortuus*: saepe deprehenditur haec vox apud Livium: 5, 31, 7. 9, 34, 17. 23, 21, 7. 23, 22, 5. 23, 23, 4. 26, 23, 7. 27, 8, 4. 39, 45, 8: item apud Curtium 8, 3, 17. 8, 10, 22; Suet. Caes. 41. Aug. 10. 31; in iurisconsultorum libris Ulp. dig. IV, 4, 11 § 5; id. ib. VI, 1, 15 § 3: id. ib. VII, 1, 70 § 1; id. ib. XIX, 2, 19 § 1; id. ib. XXI, 1, 31 § 11; id. ib. XXXVII, 1, 3 pr.: Paul. dig. VII, 1, 18; inst. Iust. 2, 1, 38. Aliis autem locis *demori* et *demortuus* non sollemni illo sensu usurpata esse videntur; cf. Pl. Stich. 1, 3, 58 *potationes — demortuae*, ib. 1, 3, 64 *fame demortuos* (? sic Ritschl, *emortuus* codd.): Mil. 4, 1, 23 *ea demoritur te*, similiter Mil. 4, 2, 49); Cic. Att. 16, 11, 7 *nostrique familiares — fere demortui*; Liv. 40, 19, 7; de vitibus et arboribus dicitur Col. 3, 16, 2 et ICt.: item de vocabulis Gell. 9, 2, 11. Porphyr. ad Hor. epist. 2, 1, 21 pag. 312 Meyer; *demortua caro* Salvian. gub. dei 7, 1, 3. Praeterea cf. gl. Labb. *demorior* ἀποθνήσκω.

In uno verbo cum praepositione *de* composito praepositio suam retinuit vim:

3) *Despicio* Cic. Rosc. Am. 8, 22 *simulatque ille despexerit*: dictum est enim admodum singulariter pro *simulatque ille oculos averterit*; in ceteris locis Ciceronianis *despicere* idem fere significat quod *contemnere*, velut in eadem oratione pro Roscio Amerino 46, 135.

d) *Sub* et *per*.

Adiectiva aliquot cum praepositionibus *sub* et *per* composita a vocabulis de quibus modo egimus eo differunt, quod in iis praepositio principalem suam conservavit notionem.

Atque *sub* praepositio cum adiectivo vel verbo coniuncta cum vim quandam deminuendi contineat, vocabula in hunc modum composita prope ad nominum deminutivorum acce-

dunt significationem; quorum usus cum late patuerit in sermone vulgari, illa quoque verba copulata in sermone cotidiano non minus saepe usurpata esse probatur. (Cf. L. Stuenkel, *de Varroniana verborum formatione,* Argentorati 1875 pag. 74; Stinner, pag. 13; Woelfflin l. l. pag. 163 sq.).

Exempla haec sint:

1) *Subamarus:* Cic. inv. I, 17, 25 *subamara aliqua re,* fat. 4, 8; Amm. Marc. 27, 11, 5; adverbium legitur apud scholiast. Bob. ad Cic. Sest. III, 3 (cf. Cic. ed. Orell. vol. V part. 2 pag. 293 vers. 31).

2) *Subcrispus:* Corn. IV, 49, 63; Cic. Verr. II, 2, 44, 108; Varr. r. r. 2, 5, 8. 2, 7, 5; Iul. Valer. rer. gest. Alex. 1, 13 pag. 16, 7 ed. Zacher.

Cum praepositione *per* compositum est adiectivum *perliberalis* Ter. Phorm. 5, 3, 32. Hec. 5, 4, 24; adverbium *perliberaliter* habet Cic. Rosc. Am. 37, 108 *ut perliberaliter ageretur*; id. Att. 10, 4, 10.

In extrema hac paragrapho accedant duo verba composita, quae apud unum legi Cornificium:

1) *Opplorare* IV, 52, 65 *quin — vos auribus meis opplorare desinitis*; cf. gloss. Labb. *opploro* *κατοδύρομαι.*

2) *Transnumerare* IV, 50, 63 *si hodie vis transnumerari.*

§ 2.
De vulgaris abundantiae exemplis Cornificianis et Ciceronianis.

Quod breviter supra commemoravimus copiam quandam dicendi et abundantiam in sermone vulgari in usu esse, id multis ac variis ex rebus intellegitur. Vocabulis enim, quae ipsa eam, qua opus sit, notionem satis exprimant, alia vocabula idem vel simile aliquid significantia, quo planior et copiosior sit oratio, adduntur, ut ea quae efficitur locutio abundantiam quandam sive, ut grammatici dicunt, pleonasmum contineat. Eiusmodi formulae sensu abundantes a Cicerone in posterioribus quos scripsit libris etsi non omnino reiectae, attamen multo rarius quam in prioribus usurpatae sunt, cum in illis quod dici opus esset quam paucissimis

plerumque exprimeretur verbis. Luculento exemplo est particula *tametsi*, ex *tame n* et *etsi* composita; post cum duae verbi partes contractae essent et in unum quasi corpus ita coaluissent. ut pro uno acciperentur verbo. haud raro in apodosi additum est alterum *tamen*. quo opposita duarum enuntiationum sententia accuratius exprimeretur; abundat igitur alterum *tamen*. Et grammatici ubi Romae exstiterunt et intellegendae sermonis proprietati operam navare coeperunt, plane supervacaneum esse alterum *tamen* perspexerunt; quo fit, ut *tametsi* — *tamen* in posterioribus Ciceronis libris multo rarius occurrat quam in iis quos primos confecit.

Legi autem *tametsi* — *tamen* apud Corn. I, 7, 11. II, 20, 31. 26, 40. IV, 20, 28. 21, 29. 29, 39. 37, 49. 38, 50. 51, 64; apud Ciceronem in prioribus libris inv. I, 20, 28. II. 16, 51. Quinct. 3, 13. Rosc. Am. 17, 49. 20, 55. 20, 56. 27, 73. 30, 85. 40, 117. 42, 123; item in iis orationibus quae Roscianam excipiunt: Tull. § 5. 6. 39 etc. etc. (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 160); in epistulis, velut fam. 1, 5, 1. 3, 4, 1. 4, 15, 2. 13, 71; at aliquanto rarius in posterioribus scriptis velut Mur. 7, 16. de or. I, 61, 262. II, 52, 210. Saepissime *tametsi* — *tamen* deprehenditur in Caesaris commentariis et inprimis apud Sallustium: Caes. b. gall. 1, 30, 2. 5, 34, 2. 7, 43, 4. 50, 2. b. civ. 1, 26, 2. 3, 67, 4; Sall. Cat. 3, 2. 3, 4. 20, 1. 21, 1. 48, 5. 52, 9. Iug. 6, 2. 11, 1. 13, 3. 16, 3. 20, 5. 25, 11. 26, 2. 29, 2. 31, 21. 32, 2. 34, 1. 38, 9; inde autem a capite undequadragesimo usque ad finem libri Sallustius plane evitavit *tametsi* — *tamen*: cf. Woelfflin l. l. pag. 142. Praeterea cf. Hirt. b. gall. 8, 10, 4. 8, 20, 1; Edictum Claudii CIL vol. V, 5050 *tametsi animaduerto* — *tamen* — *patior*; Ascon. in Pison. pag. 2, 14 Kiessl. et Schoell; Quintil. 9, 3, 2; Iustin. 8, 1, 10 etc. etc. Ex contrario deest omnino *tametsi* — *tamen* apud Nepotem.

Simili modo ad *nihilo minus* saepe additur *tamen*, quo additamento, si accurate spectes, plane non est opus; cf. Hand Turs. IV pag. 201; adde: Varr. l. l. 8, § 28 M *tamen* — *nihilo minus*; Cic. Tull. § 39; Nep. Att. 22, 3; Gai. 2, 170 *tamen nihilo minus*; Lactant. 7, 3, 19; Auson. grat. act.

§ 62 etc. Similiter dicitur *nihilo tamen secius* Caes. b. gall. 5, 4, 3. 5, 7, 3. Nec minus commemorabile videtur, quod legitur apud Ciceronem Rosc. Am. 20, 55 *verumtamen, quamquam abest a culpa, tamen suspicione non caret*, ubi alterum *tamen* additum est, quia praecedit *quamquam*; idem habes apud Lucretium 1, 734—740 (ubi praecedente *tamen* sequitur enuntiatio concessiva a particulà *quamquam* incipiens, post quam *tamen* repetitur), et antecedente particula *quamvis* apud Cic. Phil. 2, 16, 39 *erant quidem illa castra plena curae, verumtamen homines, quamvis in turbidis rebus sint, tamen, si modo homines sunt, interdum animis relaxantur.* Ceterum etsi Cicero, cum orationem Roscianam componeret, sermonem iam ad perfectiorem elegantiae gradum provexit, tamen quanta duritate et quasi dicendi asperitate in hac quoque oratione interdum impeditus fuerit[1]), ex loco supra laudato satis intellegitur. Secuntur enim illic brevibus interpositis intervallis verba haec: *verum — tamen — verumtamen, quamquam — tamen — tametsi — tamen.*

De *tametsi — tamen* exposuit Woelfflinus l. l.; idem ib. pag. 142 vulgaris loquacitatis vestigia inesse perspexit in his locutionibus: *propterea quod* (item *propterea quia*) et *ideo quod* (*ideo quia*).

Propterea quod apud Cornificium legitur vicies sexies: II, 24, 37. III, 8, 15. 15, 27. 19, 31. 22, 35. 22, 36 bis. IV, 1, 1. 4, 7 bis. 7, 10. 17, 24 bis. 17, 25. 22, 30. 22, 32. 23, 32. 24, 34. 25, 35. 37, 50 (quem locum suspectum habet Kayserus). 45, 58. 46, 59. 47, 60. 48, 61. 56, 69 bis; apud Ciceronem in libris a nobis perquisitis vicies octies: inv. I, 18, 25. 31, 53. 36, 65. 42, 78. 50, 95. II, 3, 9. 9, 30. 13, 44. 21, 64. 33, 102. 37, 111. 40, 116. 42, 123. 57, 171. Quinct. 2, 6. 5, 21. 7, 29. 10, 34. 10, 35. 23, 73. Rosc. Am.

[1]) Hoc in libris de inventione saepius fieri cum per se sit manifestum et multis locis comprobetur, unum attulisse satis sit exemplum: I, 23, 33 *ac sunt alia quoque praecepta partitionum, quae — pertineant, quae versantur in ph., ex quibus — transtulimus, quae convenire videbantur, quorum — inveniebamus.* Quinque igitur enuntiationes relativae hoc loco sese excipiunt.

1, 1. 1, 3. 2, 5. 23, 65. 29, 81. 38, 111. 39, 113. 40, 116. Saepe invenitur *propterea quod* etiam in reliquis prioribus Ciceronis libris: Arat. 39. Quint. Rosc. 4, 10. Caecin. 2, 5. 2, 6 etc. (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 157), et in epistulis, velut fam. 5, 18, 1. 9, 18, 1 etc.; aliquanto rarius in posterioribus scriptis, velut Sest. 47, 100. Acad. 2, 11, 33. fin. 3, 6, 22. 3, 11, 39. 3, 15, 50. 3, 22, 73. 5, 13, 38.

Praeterea legi *propterea quod* apud scriptores hos: Plaut. Amph. 1, 1, 141. Asin. 1, 1, 34; Ter. And. 1, 1, 10: Cat. frgm. pag. 44, 1 Iord.; Sisenn. frgm. 23 P; Caes. b. gall. 1, 1, 3. 3, 6. 6, 2. 18, 3. 31, 2. 31, 10 bis. 3, 21, 3. 5, 16, 2. 7, 26, 2. b. civ. 3. 16, 4. 3, 92, 3; Hirt. b. gall. 8. 48, 10: Lucr. 2, 799. 4, 314. 5, 450. 1170. 6, 53. 829: CIL I, n. 201, 6 (in epistula praetoris ad Tiburtes); auct. orat. »pridie quam etc.« § 4; auct. orat. »cum populo gratias egit« 9, 22. 23. *Propterea quia* — ut omittam priscos scriptores — legi apud Cic. fin. 1, 16, 53. div. 2, 22, 49. fam. 10, 33, 5; Lucr. 1, 631. 2, 72. 232. 3, 570. 4, 184. 318. 324. 336. 347. 1212. 5, 558. 917. 6, 97. 462. 1047[1]) (cf. Hand Turs. IV pag. 614 sq.).

Ideo quod[2]) Cornificius quinquies adhibuit: II. 8, 12. IV. 25, 35. 30, 41. 32, 43. 44, 57: Cicero in libris iis, quorum nos in hoc libello praecipue rationem habemus, decies: inv. I, 10, 14. 14, 19. 40, 74. II, 1, 3. 34, 104. 45, 131. 48, 143. 49, 144. Rosc. Am. 13, 36. 30, 85: praeterea repperi *ideo quod* apud Cic. Verr. II, 1, 58, 153. II, 3, 82, 190. Caecin. 2, 6; Varr. l. l. 7 § 11. r. r. 2, 6, 5; Nep. Ham. 3, 3; auct. b. Afr. 24. 73. 87. 97. 98; Lucr. 4, 328; Hygin. fab. 14 pag. 46, 20. fab. 80 pag. 81, 27 Schm.; Quintil. 10, 1, 131: Vitruv. (cf. indicem Nohlii) etc. *Ideo*

1) Memorari attinet apud Lucretium *propterea quia* constanter legi in principio hexametrorum, *propterea quod* fere semper in exitu. Duo huic regulae obstant versus: atque in priore quidem 5, 450 Lucretium ut hiatum evitaret *propterea quod* dixisse apparet; in altero 6, 829, cum reliqua omnia ad hanc regulam quadrent exempla, nescio an scribendum sit *propterea quia*.

2) *Eo quod* et *ideo quia* (e. g. Cic. off. 1, 31, 110) locutionum usum in ceteris Ciceronis aliorumque scriptorum libris non respexi.

quia est apud Plaut. Men. 1, 1, 2. Merc. 3, 1, 46; Ter. Hec. 2, 1, 21; Lucr. 6, 1103 etc.

Rarissime legi in scriptis a me perquisitis *eo quod:* Corn. III, 8, 15. IV, 11, 16 bis, ex quibus locis tertium suspectum habet Kayserus; Cic. inv. I, 30, 48.

Eos tantum enumeravimus locos, quibus praecedentes particulae *propterea, ideo, eo* nullo vocabulo interposito separantur a sequentibus *quod, quia.* Nam sic tantum formulae illae loquacitatis aliquid vulgaris praeferre videntur; contra quotienscumque seiunctae sunt inter se singulae voces, suam quaeque retinet vim ac notionem. Ac *propterea quod* verba fere semper coniuncta leguntur; in iis de quibus agimus libris non plus duobus locis addita ad *propterea* particula *que* verba illa inter se separata sunt: Corn. II, 24, 38 *proptereaque diligentius consideranda sunt quod etc.*; Cic. inv. I, 18, 25 *propterea que id optime faciendum est quod etc.* [1]).

Ideo cum ex *id* et *eo* ita compositum esse videatur, ut duo illa verba paulatim in unum coaluerint [2]) (cf. Plaut. Curc. 1, 1, 61 *id eo fit, hic quia leno aegrotus incubat.* Rud. prol. 24 etc.) [3]), ab initio ad duas pertinuisse enuntiationes verba *ideo quod* consentaneum est; velut Corn. II, 8, 12 *neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus ideo quod etc.* hoc fere modo explicandum videtur: *neque tamen ei rumori nos fidem habere dicemus; id faciemus eo quod etc.* Itaque olim quidem necesse erat duo illa verba *ideo quod* in fine prioris enuntiationis nulla alia voce interposita continuo sese excipere. Et ex duodeviginti exemplis, quibus apud Cornificium et Ciceronem formula illa legitur, in quindecim locis supra a nobis allatis more antiquissimo coniunctum est *ideo quod*; ter haec verba inter se separata sunt, quod tum demum fieri poterat, postquam qualis esset origo huius structurae obliti

1) Eundem usum *propterea — quod* vocabulorum separatorum in ceteris Ciceronis aliorumque scriptorum libris non magis curavi quam *ideo quoniam, eo quia* locutiones.

2) Rarissime *ideo* prisci poetae Romani adhibuerunt, paulo saepius *idcirco*, saepissime *eo*.

3) Cf. etiam e. g. Plaut. Amph. 2, 2, 124 et Ter. Heaut. 3, 1, 96 *eo fit, quia . . .*

sunt Romani; legitur *ideo — quod* Corn. IV, 25, 35 *haec ideo commoda putatur exornatio quod etc.* Cic. inv. I, 8, 11. 11, 15; item *ideo — quia* Corn. II, 26, 41; *ideo — ut* Cic. inv. I, 23, 32. II, 23, 70. Neque tamen praetereundum videtur in compluribus ex his exemplis positum esse *ideo* post formam aliquam pronominis *hic*, ut in his quoque locis, cum in initio enuntiationis pronomina sese excipere soleant, principalis pronominis *id* natura aliquo modo eluceat: cf. Corn. IV, 25, 35 *haec ideo*, II, 26, 41 *hoc ideo*; Cic. inv. I, 23, 32 *haec ideo*; II, 23, 70 *hanc ideo*. — Ex iis auctoribus, qui ante Cornificium scripserunt, *ideo — quod* verba iam Cato videtur separavisse in orig. lib. II frgm. 20 pag. 12 Iord. *ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aërem sustinent*; quamquam recte Iordanus adnotat haec non ipsius Catonis, sed potius Servii esse verba[1]).

Quodsi illam quam supra explicavimus verbi *ideo* originationem exemplis a nobis allatis satis probavimus (cf. Perizonius ad Sanct. Min. 3, 14, 37; Lindemann, de adverbio 2 pag. 19; Ramshorn gramm. pag. 851), minus videtur esse probabilis altera quam Handius proposuit sententia Turs. III pag. 179, cum dicat in *ideo* verbo *id* fere idem esse quod *eo*, »*ut in duplicata notione eiusdem generis maior et distinctior vis exsistat*«.

Contra *idcirco quod*, quod prorsus diversam ab *ideo quod* locutione habet originem (cf. Hand Turs. III pag. 171, qui *idcirco* idem esse ait quod *circum id* vel *circa id*), semel coniunctum est apud Corn. II, 24, 37, itemque *idcirco quia* apud Cic. Rosc. Am. 1, 1; quo loco cum praecedat *propterea quod*, orationis variandae causa dictum esse *idcirco quia* apparet. Contra ceteris locis et Cornificianis et Ciceronianis omnibus verba duo, ut par est, inter se seiuncta sunt: Corn. IV, 31, 42; Cic. inv. I, 22, 32. II, 9, 28. 46, 136. 50, 150.

---

[1]) Inde a Ciceronis aetate *ideo — quod (quia)* saepissime, ut par est, aliis verbis interpositis dirimuntur; exempla huius usus notissimi (velut Lucr. 3, 817 sq.; Hor. epist. 1, 19, 26 sq.; Col. 3, 2, 12; Lucr. 1, 814 sqq.; Cic. Att. 2, 1, 1; Liv. 45, 22, 5; Mela 3, 2, 6; Quintil. 6, 4, 1) colligere nolui.

50, 151. Rosc. Am. 33, 94. 39, 112; item *idcirco — quia*. Hic autem usus fere idem est per omnes Ciceronis libros et priores et posteriores. Quin etiam praeposita coniunctione *quod* legitur *quod — idcirco*: Cic. inv. II, 47, 139 *nunc vero quod intellegeret, — idcirco eum — non adscripsisse*; Rosc. Am. 50, 145, item in posterioribus libris, velut Phil. 2, 15, 38 etc.[1])

Sicuti ad *tametsi* additur *tamen*, eadem ratione ad particulam *nisi* interdum adiungitur *si*, ut fiat *nisi si*, cuius formulae significatio vix quicquam differt a simplicis particulae *nisi* notione. Ac largam exemplorum copiam congessit Hand Turs. IV pag. 239 sqq.; sed cum multis apud Ciceronem locis in editionibus post Handii Tursellinum confectis *nisi* legatur pro eo quod antea ferebatur *nisi si*, eos enumerabimus locos quibus hodie quoque Ciceronis editores *nisi si* exhibent: inv. II, 57, 171 *nisi si malunt fame perire*; Quinct. 19, 60 *nisi si latitant*; Verr. II, 2, 25, 62 *nisi si quid moveri loco non potuerat*; Catil. 2, 4, 6 *nisi vero si quis est*, ubi *si* delet Madvigius, quem sequitur Halmius; Phil. 2, 28, 70 *nisi si tu es solus Antonius*; fam. 14, 2, 1 *nisi si quis ad me plura scripsit*; Att. 2, 3, 2 *nisi si quid erit eiusmodi*; ib. 2, 11, 1 *nisi si quid ex praetereunte viatore exceptum est*; Tusc. 2, 18, 42 *nisi si vellent voces inanis fundere*. Apparet inde *nisi si* dixisse Ciceronem praecipue in prioribus scriptis et in epistulis. Ex aliis scriptoribus ad Handii exempla addimus haec: Pl. Capt. 3, 3, 15 (cf. Brix ad Pl. Trin. 2, 4, 73). Epid. 1, 1, 20. Most. 3, 2, 82; Pacuv. trag. 7 pag. 77 R (ubi cod. Leid. B et Davisius *nisi si*, ceteri *nisi*): inc. inc. fab. trag. 90 pag. 274 R (ubi *nisi si* Ambros. Bamb. suppl., *nisi* ceteri libri); Ter. Eun. 3, 3, 18. 5, 2, 63. Heaut. 2, 4, 11: Lucr. 4, 802 (ubi *si* ab editoribus additum): CIL I n. 198, 37 pag. 60 *nisei sei quae causa erit*, ib. n. 205, 50 pag. 116 *nisei sei Mutinae ea res agetur*, colleg. funer. Lanuv. II, 1 (cf. Mommsen, de collegiis pag. 98—116) *nisi si quis testamento heres nominatus erit*; Publil. Syr. sent. 120 pag. 320 R; Nep. Att. 13, 2; Vitruv. 5, 1, 4 pag. 105, 28 R. 7, 3, 8 pag.

[1]) *Quia — idcirco* legitur e. g. Cic. off. 1, 30, 110, sed huius locutionis usum nolui pluribus verbis persequi.

168, 18. 8, 2, 8 pag. 191, 19; Colum. 2, 18, 4. 3, 9, 3. 4, 29, 11. 4, 33, 5; Labeo dig. III, 5, 42 (43); Ulp. dig. XV, 3, 10 § 2. id. ib. L, 17, 23; Florentin. dig. XLI, 1, 4 etc. etc. Comparare licet ex lingua Italica *se non se,* quae formula idem fere significat quod *nisi si*: »ausser wenn, es sei denn dass«.

Similiter *quasi si* legitur apud Plaut. Amph. 5, 1, 26. Cas. prol. 46 (ubi *quasi si* codd. B J, *quasi* A); inc. inc. fab. com. 68 pag. 123 Ribb. (ubi *si* addidit Ribbeckius); Corn. IV, 3, 4 *quasi si quis Olympiam cum venerit — impudentis dicat esse illos etc.*; Lucr. 4, 1007; CIL vol. I n. 197, 13 pag. 45 (in tabula Bantina) *quasei sei is haace lege etc.*; ib. I n. 198, 41 pag. 60; ib. I n. 198, 73 pag. 62 (in lege repetund.); ib. I n. 202, I, 40 pag. 109; ib. I n. 202, II, 3 pag. 109 (in lege Cornel. de XX quaest.); ib. I n. 571, 8 pag. 161; ib. I n. 603, 14 pag. 176 etc.

Adicimus ex Cornificio et primis Ciceronis scriptis exempla ea, quae ad similem dicendi abundantiam pertinent:

1) Corn. IV, 32, 43 *Mars istud te facere necessario coegit*; Cic. inv. I, 3, 4 *ut necessario — resistere audacibus — cogeretur*; cf. Koehler act. Erl. I pag. 447.

2) Corn. IV, 19, 26 *membrum orationis appellatur res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione, quae denuo alio membro orationis excipitur,* quamquam dubitare possis, num revera pleonasmus in hac locutione agnoscendus sit.

3) Corn. IV, 23, 33 *etiam insuper*; cf. Pl. Casin. 2, 8, 5. Merc. 4, 2, 2. Trin. 4, 3, 18; Ter. Eun. 4, 3, 3. 5, 6, 13. Adelph. 2, 2, 38; Liv. 21, 1, 5.

4) Cic. inv. II, 50, 152 *quibus ante praedictum est,* ita Orell. ex codd. P A R T; cod. E praebet *dictum,* quam lectionem Kayserus nescio an sine iusta causa receperit. Cf. Koehler act. Erl. I pag. 446 sq.

5) Cic. Rosc. Am. 14, 40 *rursus igitur eodem revertamur*; cf. Koehler act. Erl. I pag. 447.

6) Cic. Quinct. 26, 83 *postea futurum*; cf. Sall. or. Lepid. ad pop. Rom. *supplicia in postfuturum composuit*; Plin. n. h. 7, 55 (56), 190 *postfuturi aestimatione*; Gell. 17, 7, 8 *lex in postfuturum loqui videbitur.*

At non videtur pleonasmus inesse in verbis his: Cic. Rosc. Am. 18, 51 *cum ruri assiduus semper vixerit*; vid. Halmium ad h. l. et cf. Cic. de or. 2, 39, 162 *tradam assiduus uno opere eandem incudem diem noctemque tundentibus*; Liv. 34, 9, 5 *cuius assiduus custos semper aliquis ex magistratibus erat* et Weissenborn ad h. l. (comparari potest Homericum illud *ἐμμενὲς αἰεί*).

Apud priscos scriptores latinos, inprimis apud Plautum et Terentium, ad verba ea, quae actionem aliquam animi ut *cogitandi investigandi* exprimunt, aliquotiens additur ipsa vox *animus* eo quo opus est casu prolata, quo dilucidius appareat verborum significationem ad animum translatam esse. Atque ex Plauto et Terentio enotavi exempla haec: *cogitare cum animo suo* Pl. Most. 3, 2, 13; Ter. Adelph. 3, 4, 55; *cogitare in animo* Ter. Adelph. 1, 1, 5. 5, 3, 32; *investigare cum animo* Pl. Aul. 4, 9, 3: *considerare secum in animo* Ter. Heaut. 2, 4, 5. Sed apud Ciceronem quoque locutiones hae et his similes leguntur; exempla quae maxime viderentur memorabilia excerpsi haec: Verr. II, 3, 12, 29 *considerate cum vestris animis vosmet ipsi, ecquem putetis etc.*: Verr. II, 3, 41, 95 *sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum*: Cluent. 25, 70 *haec — facilius credetis, si cum animis vestris longo intervallo recordari C. Staieni vitam et naturam volueritis*; leg. agr. 2, 24, 64 *vos tamen id potestis cum animis vestris cogitare* (cf. Rosc. Am. 24, 67 *suae malae cogitationes conscientiaeque animi terrent*). Huc illud quoque pertinere arbitror, quod bis legitur in priore de inventione libro *animo conligere*: I, 1, 1 *cum et nostrae rei publicae detrimenta considero et maximarum civitatum veteres animo calamitates conligo*: I, 28, 42 *ut commode quid eventurum sit ante animo conligi possit.* Simili modo Cicero bis dixit *animi ratio* pro simplici *ratio*: inv. I, 1, 1 *sanctissimas amicitias intellego cum animi ratione tum facilius eloquentia comparatas*: ib. I, 2, 2 *nec ratione animi quicquam, sed pleraque viribus corporis administrabant.*

Saepe ad pronomen relativum, ut plenior et dilucidior fiat oratio, iterum additur nomen illud substantivum, ad quod

respicit pronomen relativum (cf. Rebling *versuch einer characteristik der roemischen umgangssprache*, Kiliae 1875, pag. XVI). Atque apud aureae aetatis scriptores hunc in modum repetuntur plerumque substantiva communi aliquo sensu praedita, velut *res dies locus*.

1) *Res* additum est ad pronomen relativum apud Cornificium duodecies a) praecedente enuntiatione demonstrativa I, 2, 2. 4, 7. 9, 16. 10, 17. II, 15, 22. 30, 49. III, 3, 4. IV, 9, 13. 48, 61. b) praecedente enuntiatione relativa III, 6, 10. IV, 3, 5. 7, 10; apud Ciceronem inv. I, 4, 5. 5, 7. 6, 8. 21, 29. 32, 53. II, 31, 97. Rosc. Am. 3, 8. 10, 28. Tull. § 27. 33 etc. Nec dissimiliter Cornificius II, 12, 17 dixit *ea ex quibus rebus*, ubi *ea* positum est pro *eae res*, cf. Plaut. Pers. 3, 1, 65 *si hoc adcurassis lepide, quoi rei operam damus* etc.

Vocabulum *res* non solum in sententiis relativis, sed in aliis quoque enuntiationibus brevibus intervallis bis vel ter positum est[1]), velut Corn. II, 12, 18 *utrum eae res similes sint ei rei*; Cic. inv. I, 28, 43 *num quae res ex iis rebus*; Corn. II, 25, 39 *cum ea re, quae pluris res significat, abutimur pro certo unius rei signo*; IV, 9, 13 *rerum imperiti, qui uniuscuiusque rei de rebus ante gestis etc.*; IV, 54, 67 *cum res, quae secuntur aliquam rem, dicuntur, ex quibus tota res relinquitur in suspicione*; quin etiam quater Corn. IV, 47, 60 *non ut in ceteris rebus, res ab re separata est,*

---

[1]) Alia quoque verba inprimis apud Cornificium, qui cultioris stili elegantiam minus curat, hunc in modum leguntur repetita. Proponimus unum exemplum de multis Corn. IV, 4, 7 *contra ea, quae ab iis dicentur, qui dicunt alienis se exemplis uti oportere, satis est dictum: nunc quae separatim dici possunt, consideremus.* 5, 7 *Dicimus ergo eos sqq.; sed de eo, quod postea diximus, antea videamus.* Secuntur ergo hoc loco brevibus intervallis sex verbi *dicere* formae. Quod supra diximus Cornificium stili elegantiam minus curare, inde quoque apparet, quod tamquam anacoluthon vel prisco more aliquam speciem attractionis admisit II, 29, 46 *item vitiosum est id, quod adversarii factum esse confiteantur, de eo argumentari*; nescio autem an in animo habuerit scribere *id — planum facere factum esse*, vel similia.

sed utraque res coniuncte comparata. Apud Caesarem, qui hac substantivi repetitione frequenter usus est, *res* adiectum est ad pronomen relativum b. gall. 4, 19, 4. Cf. Gaius 4, 131.

2) *Dies* apud Cornificium quidem relativo numquam adiungitur, contra apud Ciceronem inv. I, 36, 63. Quinct. 28, 86. 30, 92. Rosc. Am. 45, 130. Catil. 1, 3, 7. Phil. 14, 1, 3. Att. 2, 11, 1; Caes. b. gall. 1, 6, 4. 1, 16, 5. 6, 35, 1; similiter repetita est vox *dies* b. gall. 1, 42, 3 *dies colloquio dictus est ex eo die quintus*. Huc pertinent notae illae formulae *pridie eius diei, postridie eius diei*[1]).

3) *Locus* apud Corn. II, 5, 8; Cic. inv. I, 42, 78. 54, 105. II, 46, 137. 59, 177. p. Sull. 15, 43; Caes. b. gall. 1, 49, 1. 2, 18, 1. 4, 7, 1; Hirt. b. gall. 8, 17, 1; Gromat. 53, 12. 55, 8 L.

Praeter haec substantiva communi et universa aliqua praedita significatione alia quoque eundem in modum repetuntur. Videtur autem hic usus universus originem fere duxisse a certis quibusdam formulis ex legum et iurisconsultorum sermone haustis, in quo, ne qua remaneat obscuritas, multa saepe iterantur verba. Conf. Lex agraria CIL vol. I, n. 200, 13 pag. 80 *extra eum agrum quei ager*, ib. I, n. 200, 22, pag. 80 *[a]grum locum quei ager locus*; cf. ib. I, n. 200, 65 pag. 83; n. 200, 74 pag. 84; n. 200, 83 pag. 85; item CIL vol. I, n. 200, 89 pag. 85 *[qu]ominus ea lege sient pareantque, quam legem Cn. Paperius cos. — [deixit]*; Lex Cornelia de XX quaestoribus CIL vol. I, n. 202, II, 8—9 pag. 109 *ei quaestores eo iure ea lege viatores IIII legunto —, quo iure qua lege quaestores — viatores III legerunt*; cf. n. 202, II, 12—13 pag. 109; Senatusconsultum apud Cic. fam. 8, 8, 7 in epistula Caelii: *qui eorum stipendia emerita aut causas, quibus de causis missi fieri debeant, habeant*; Frontin. aq. d. 2, 119; etc.

---

1) Memorabili loco Legis Repetundarum CIL vol. I n. 198 § 63 (pag. 62) *ubi ea dies venerit, quodie iusei erunt adesse* posse alicui videri *quodie* fere ad exemplum *hodie* vocabuli usurpatum extare monuit nos Studemundus in scholis collato Buecheleri libello *Grundriss der lateinischen Declination* p. 10.

Ex hoc igitur legum sermone sumpta videntur esse exempla haec:

4) *Lex* Corn. II, 10, 15 *quod ea lex sanciat, cui legi obrogatum sit*; Cic. inv. II, 27, 82; Caes. b. civ. 2, 25, 4; Caesar ap. Sall. Cat. 51, 40.

5) *Ius* Corn. II, 13, 19 *natura ius est, — quo iure parentes a liberis coluntur*; Ter. Hec. prol. 3.

6) *Causa* Cic. Flacc. 33, 81 *habetis causam inimicitiarum, qua causa inflammatus sqq.* ep. fam. 13, 58.

7) *Edictum* Cic. Verr. II, 1, 48, 125.

8) *Fundus* Cic. Mil. 20, 53.

9) *Maleficium* Cic. Rosc. Am. 26, 72.

10) *Magistratus* Cic. Tull. § 49.

11) *Senatus* Cic. Brut. 60, 218.

Fortasse etiam haec:

12) *Civitas* Caes. b. gall. 5, 12, 2. 13) *Tabulae* Caes. b. gall. 1, 29, 1; item *tabellae* Cic. de or. I, 38, 174.

14) *Tempus* Cic. div. Caecil. 1, 2.

Praeterea apud Cornificium et Ciceronem et Caesarem iterata inveni haec:

15) *argumenta* Cic. inv. II, 14, 46. 16) *bellum* Cic. Catil. 3, 10, 25 *in hoc bello, quale bellum — quo in bello.* epist. fam. 9, 13, 1; cf. etiam Woelfflin ad Liv. 21, 17, 4. 17) *castra* Caes. b. gall. 2, 7, 4. 18) *clamor* Caes. b. gall. 5, 53, 1. 19) *collis* Caes. b. gall. 7, 69, 2. 20) *funus* Cic. Att. 15. 1[b], 1. 21) *genus* Corn. III, 22, 27. IV, 8, 11; Cic. Verr. II, 2, 74, 183. Sest. 45, 96. 22) *imperium* Corn. IV, 9, 13. 23) *itinera* Caes. b. gall. 1, 6, 1. 24) *liber* Corn. III, 1, 1. 25) *mensis* Cic. Verr. II, 2, 52, 128. 26) *modus* Corn. II, 7, 11; Cic. orator. § 38. 27) *nomen* Cic. Rosc. Am. 43, 124. 28) *ordo* Cic. Verr. II, 3, 79, 184. 29) *pars* Caes. b. gall. 4, 32, 1. 30) *portus* Caes. b. gall. 5, 2, 3. 31) *proelium* Caes. b. gall. 1, 31, 12.

De reliquis apud Ciceronem et alios scriptores exemplis cf. Draeger II pag. 473: locis ab eo congestis adde Ter. Heaut. 20 *exemplum quo exemplo*: Pompei. apud Cic. Attic. 8, 12[c] *litteras — quibus litteris*: Vitruv. p. 204, 7 R *scripta —*

quorum scriptorum. p. 239, 1 R *virgulamque qua virgula*; Hygin. fab. 145 pag. 24 Schm. *mare quod mare*; id. fab. 164 pag. 18, 20 *oppidum quod oppidum*; Petron. 42 *mulier quae mulier*. Alia permulta sciens omitto. Cf. etiam Koehler act. Erl. I pag. 448. Nonnulli scriptores hac iteratione prorsus abstinent, velut Nepos; alii eam non admittunt nisi in notissimis formulis ut *dies* etc., aut in enuntiatione relativa synonymis utuntur (cf. e. g. Verg. Aen. 1, 187 *sagittas — quae tela*: Cic. Phil. 1, 1 *in aedem — in quo templo* etc.). Cf. etiam anonymus in nuntio philol. Gottingensi vol. IX p. 139.

Rarius deprehenditur haec nominum repetitio in iis enuntiationibus relativis, quae ab alio atque simplici pronomine relativo incipiunt; attamen cf. Corn. III, 14, 25 *quantum spatii — tantum spatii*; leg. Iul. municip. CIL vol. I, n. 206, 43 pag. 120: *quamtae pecuniae — tamtam pecuniam* etc.

Sicuti inter nomina substantiva *res*, cum communem et universam contineat notionem, in compluribus linguis adiungitur ad aliud quodlibet nomen propria praeditum significatione (cf. Graecum illud τὸ χρῆμα τῶν νυκτῶν Arist. nub. 1 etc.), ita ex verborum numero illud verbum, quo nuda agendi notio continetur, hoc est *faciendi* vox, quo copiosior fiat oratio, additur interdum ad aliud aliquod verbum[1]). Hunc autem usum sermonis esse vulgaris pluribus verbis exponere non opus est; velut in Germanorum lingua vulgo dicitur *er tut schlafen,* nec minus in Anglorum lingua hic dicendi usus in urbanum quoque receptus est sermonem, ut *do you write? I did not sleep,* similia. Cum his optime congruunt ea, quae explicat Diezius in gramm. ling. Roman. III[3] pag. 416 (in adnotat.) de usu verbi *faire* in prisca Francogallorum lingua: affert exemplum hoc: *me faites entendre = entendez-moi.* — Eadem igitur ratione apud Romanos maxime, ut videtur, in sermone cotidiano saepe actio, quae inest in verbo, exprimitur addito *facere ut.* Complura huius usus exempla cum alii congesserunt tum Zumptius gramm. § 619; ipsi ad-

[1]) Qui usus quam late patuerit in prisca Indogermanorum lingua, nemo ignorat. Velut, ut uno defungar exemplo, in Graecorum lingua illud ϑ in verbis πλή-ϑω πύ-ϑω ἐπαύ-ϑη-ν originem ducit a radice *dha* (cf. e. g. Christ, *griechische lautlehre* pag. 121).

dimus haec: Edictum censorium a. u. 662 (Sueton. de clar. rhetor. 1) *quapropter — videtur faciundum, ut ostenderemus nostram sententiam*; Corn. III, 23, 38 *scio plerosque Graecos fecisse, ut multorum verborum imagines conscriberent*; IV, 1, 1 *faciendum est (nobis) ut rationem demus*; Cic. Att. 11, 23, 2 *eo feci, ut ego celeriter eunti darem*; fam. 10, 17, 3 *Lepidus fecit, ut Apellam ad me mitteret.*

Simili modo pro simplici *mittere aliquid, mitti* interdum dicitur *missum facere aliquid, missum fieri*; quam loquendi formulam inveni apud Pl. Merc. 1, 1, 84. 3, 4, 72. 5, 4, 40. Amph. 5, 3, 2. Trin. 5, 2, 44; Ter. And. 4, 1, 56. 5, 1, 14. Eun. 1, 2, 10. 5, 2, 25. Phorm. 5, 8, 53. Hec. 3, 3, 48. 5, 2, 14. Adelph. 5, 7, 8. 5, 9, 34; Lucil. XXX, 122 pag. 131 M; Corn. II, 17, 25; Cic. Quinct. 14, 46. Rosc. Am. 28, 76. 45, 132 (reliqua exempla, quae quidem in orationibus Ciceronis obviam fiunt, collegit Hellmuth act. Erl. I pag. 141): de or. 1, 10, 44; SC apud Cic. fam. 8, 8, 7 in epistula Caelii; Caes. ad Opp. apud Cic. Att. 9, 7 C; auct. bell. Afr. 54; auct. bell. Hisp. 12. 13; Nep. Eum. 11, 3; Hygin. fab. 38 pag. 68, 15 Schm.; Suet. Caes. 69. Cal. 25 etc. etc. Hanc locutionem in urbanum quoque sermonem receptam esse quamquam ex compluribus exemplis supra allatis satis apparet, tamen in sermone vulgari et militari praecipue fuisse usitatam auctor est Pompeius apud Cic. Att. 8, 12 B *cohortes — ad me missum facias*. Hoc enim exemplo plane demonstratur hanc dicendi formulam adeo pervulgatam fuisse in sermone cotidiano et castrensi, ut duo ex quibus constat verba interdum quasi in unum coalescerent.

Cf. de hoc dicendi usu Draegeri synt. hist. ling. lat. I² pag. 296, qui alia affert exempla haec: Ter. Heaut. 2, 3, 100 *ademptum tibi iam faxo omnem metum*; Phorm. 5, 9, 39 *faxo tali eum mactatum — infortunio*. Simili modo loquitur Plautus Cist. 2, 3, 51 *perfectum ego hoc dabo negotium* etc. (cf. Draeger l. l. pag. 295; Holtze synt. II, pag. 235; Brix ad Pl. Capt. 342; A. Spengel ad Ter. And. 683; Weissenborn ad Liv. 4, 19, 3; Ladewig et Forbiger ad Verg. Aen. 12, 437; Forbiger ad Aen. 9, 323).

§ 3.

Pergimus ad explicandam aliam quam Cicero in constituendo sermone secutus est rationem. Si enim verbum aliquod in lingua antiquiore duas habebat significationes, Cicero saepe ex duabus unam recepit, dummodo alia praesto esset vox, quae alterius notionis munere fungeretur.

Itaque adverbium *nusquam*, quod ab initio ita videtur esse usurpatum, ut tres terminos *unde ubi quo* in se contineret, apud Ciceronem et qui eum secuti sunt scriptores aureae aetatis praecipue unam retinuit significationem *»nirgendwo«*. Legi autem *nusquam »nirgendwohin«* apud Corn. II, 2, 3 *nusquam ventum*; cf. quae praeterea congessit exempla Hand Turs. IV pag. 348: adde Nep. Att. 4, 2 *nusquam — dimitteret*; Sall. hist. I, 48, 6 *nusquam — progressum*; Hor. sat. 2, 7, 29 *nusquam vocatus*. De *nusquam »nirgendwoher«* cf. Hand l. l.

Adsimulandi verbo semel Cicero ita usus est, ut idem fere significaret, quod *comparandi* inv. I, 28, 42 *simile autem ex specie comparabili aut ex conferunda atque adsimulanda natura iudicatur*; hanc notionem postea huic verbo tribuerunt Tacitus (cf. Draeger ad ann. 15, 39) et Suetonius et alii (velut Vulg.). Reliquis omnibus apud Ciceronem locis vox *assimulandi*, cuius una forma *assimulatus* apud illum legitur, idem significat quod *simulare fingere* (exempla vide in Antibarb. pag. 172 sq.).

Orandi verbum ab initio *agendi cum aliquo per colloquium* habuisse significationem constat; cf. Fest. pag. 198 M *orare antiquos dixisse pro agere testimonio est, quod oratores dicti*; vid. etiam Brixium ad Pl. Trin. 1161. Remansit haec principalis verbi notio in certis aliquot formulis iurisconsultorum sermonis propriis, velut *causam orare* Cic. Quinct. 13, 43 *eam* (sc. *causam*) *cum orarit*, Brut. 12, 47 *oravisse capitis causam*; *litem orare* off. 3, 10, 43 *orandae litis tempus* etc. Quae genuina verbi vis perspicitur etiam in formula *re inorata* Cic. Rosc. Am. 9, 26; cf. Enn. trag. v. 4 pag. 15 R *incerta re atque inorata*; Ambros. ep. 6 n. 1 *inoratam — causam*; videtur autem haec locutio *re inorata* quasi sollemnis per longum temporis spatium mansisse. Haec prin-

cipalis verbi notio paulatim ita imminuta et circumscripta est, ut apud aureae aetatis scriptores paene semper *rogandi* haberet significationem (cf. Brix ad Pl. Trin. 1161).

Verbi *video* genus passivum ab initio duas continebat notiones »*scheinen*« et »*gesehen werden*«, cf. Ter. And. 3, 5. 10 *visus sum*[1]), Varr. r. r. 1, 2, 4 *sol non videtur*, atque inprimis lepidum iocum, quem inesse in verbis Plautinis Most. 833 *TH. Non edepol video. TR. At ego videor: nam inter volturios duos cornix astat* perspexit Studemundus in »*Festgruss der philologischen Gesellschaft zu Wuerzburg*« 1868 pag. 74. Contra Cicero et qui eum secuti sunt scriptores aureae aetatis multo saepius eam ei tribuunt notionem qua significat »*scheinen*« altera »*gesehen werden*«; si quando occurrit, plerumque in iis verbi formis deprehenditur, quae compositae sunt cum perfecti participio. Simplices tamen verbi formae hac notione praeditae sunt apud Corn. II, 7, 10. III, 19, 32. IV, 7, 10; Cic. inv. II, 53, 160: Caes. b. gall. 2, 18. 4, 28. b. civ. 1, 41. Perfecti etc. formas inveni apud Corn. II, 5, 8. 21, 33. IV, 41, 53; Cic. inv. I, 47, 87; Caes. b. gall. 1, 22 etc. etc. Permulta quae ex aliis laudari possunt scriptoribus exempla omitto.

Conflagrandi verbum apud Ciceronem ubique intransitivo sensu usurpatur, velut Verr. II, 1, 15. 41 etc. Transitivus huius verbi sensus exstat apud Hyginum fab. 179 pag. 35, 12 Schm. in codice Frisingensi: *Iovis — Semelem conflagravit* (quamquam Munckerus, quem secutus est M. Schmidtius. abiecta littera *m* mavult *Semele conflagravit*) et Schol. Cruq. Hor. epod. 5, 24 p. 263ª ed. 1597 *vestem conflagrari fecit*. Contra perfecti huius verbi participium passiva prolatum notione est a Cornificio IV, 8, 12 *urbs acerbissimo concidat incendio conflagrata* (et ab Apuleio de mund. 34). Altero apud Cornificium loco IV, 39, 51 (*uno denique atque eodem tempore domus hostili flagrat incendio etc.*) ex iis quae codd. praebent *flagrabat* et *flagrabit* Kayser *flagrata est* s. *flagratur* restituendum suspicatur: simplex autem verbum *flagro* sensu transi-

[1]) Pl. Truc. 2, 2, 2, ubi olim *videor* passivo accipiebatur sensu, A. Spengelius ex incerta coniectura scripsit *Non vides? — Video: em tibi.*

tivo elatum uno inveni loco: Stat. silv. 5, 2, 120 *miseramque patri flagrabat* (ubi *flammabat* Heinsius et Baehrens) *Elissam.*

Adiectivi *ignotus*, sicut Graecarum vocum ἀγνώς ἄγνωστος ἄγνωτος, non passiva solum est notio »*unbekannt, nicht gekannt*«, sed interdum activa quoque deprehenditur significatio »*unbekannt mit, nicht bekannt mit = nicht kennend*«; in aureae aetatis sermone praecipue passiva retenta est significatio, activae notionis munere fungitur *ignarus*. Legi tamen vocabulum activa vi indutum apud Naev. trag. 36 pag. 11 R *ignotae iteris*; Corn. III, 6, 12 bis. IV, 50, 63; Cic. Verr. II, 5, 29, 75. fam. 5, 12, 7; Nep. Ag. 8, 1; Phaedr. 1, 11, 2; Curt. 5, 12, 20; Quintil. decl. 6, 2; Callistr. dig. XLIX, 14, 2 § 7 (cf. Antibarb. pag. 543). Interdum *ignarus* et *ignotus* in codicibus manu scriptis confunduntur, cf. Ovid. trist. 5, 9, 2; Asconius p. 92 (= p. 81, 23 K et S); Drakenborch ad Liv. 36, 43, 7; Hildebrand ad Apul. met. 7, 25 pag. 613 sq.

Adiectivum *eloquens* apud Cornificium significat *lingua praeditus*, ut contrarium sit adiectivo *mutus*: IV, 48, 61 *omnis res — mutas et eloquentis*, IV, 53, 66 *cum res muta — fit eloquens*; attamen substantivum *eloquentia* III, 6, 11 idem fere significat quod *facundia*. *Eloquendi* verbum apud Cornificium legitur locis his: IV, 19, 27. 52, 65. 56, 69.

Woelfflinus l. l. pag. 147 vocem *negotium* in sermone vulgari Romanorum ita usurpatam esse docet, ut latiore quadam notione praedita idem fere significaret quod vocabulum *res*: affert autem ex Sallustio exempla haec: Iug. 56, 1 *quod negotium poscebat*, 58, 7 *infecto negotio* (idem legitur 104, 1), 107, 6 *in tali negotio*: 1, 4 *suam quisque culpam auctores ad negotia transferunt*, 6, 2 *vehementer eo negotio permotus*. Idem usus iam apud Cornificium deprehenditur, qui voce *negotium* ita utitur, ut quasi vices subeat praecedentis vocabuli *res*: II, 30, 49 *ut agi* r e s *et geri* n e g o t i u m *videatur*; III, 22, 36 *docet ergo natura se vulgari et usitata* r e *non exsuscitari, novitate et insigni quodam* n e g o t i o *commoveri* etc.; cf. I, 8, 13 ubi opposita sunt *negotia* et *personae*. III, 20. 33. IV, 9, 16. 47, 60. 55, 68. etc.

Potestas vocabulum Cornificius semel dixit de verbis IV, 54, 67: *ea reperientur facile, si noverimus et animum adverterimus verborum ancipites aut multiplicis potestates*; eadem vocis notio legitur in argentea linguae latinae aetate apud Sen. ben. 2, 34, 4; praeterea e. g. apud Gell. 10, 29, 1. Aureae aetatis auctores cum verbo *potestas* alias tribuerint notiones, de vocabulis dicere malunt *vis notio significatio*: cf. Antibarb. pag. 891.

Hoc loco quae de usu adverbiorum *ante* et *antea* apud Cornificium et in primis Ciceronis libris dicenda videntur, proferam. *Ante* enim, cum olim adverbium fuerit, in praepositionis usum degeneravit; antiquior tamen atque genuinus ille usus non tantum in certis quibusdam ac sollemnibus formulis integer remanebat, sed etiam praeter eas apud nonnullos scriptores magis minusve vigebat. Velut Plautus adverbio *antea* nusquam usus est, Terentius semel And. 1, 1, 25 in extremo senario (cf. Brix ad Pl. Trin. 568); item neque in comicorum neque in tragicorum poetarum neque in Lucilii neque in Varronis saturarum Menippearum neque in Historicorum priscorum fragmentis *antea* usquam deprehendi; contra *antea* legitur in fragmentis orationum Catonianarum p. 52, 14 et 61, 1 (ed. Iordan). Hunc igitur in modum apud Cornificium quoque et in primis Ciceronis scriptis *ante* ita, ut adverbii munere fungatur, multo saepius usurpatur quam *antea*. Paulatim demum *antea* a Cicerone praefertur, donec ad extremum *antea* multo frequentius est quam *ante* adverbium; hoc tamen cum usu iam nimium esset confirmatum, non omnino reici poterat ex sermone urbano, at rarius et plerumque in certis quibusdam formulis, velut *ante quam, multo ante* similibus adhibebatur. Apud Nepotem adverbium *ante* saepius occurrit quam *antea*.

Iam singulos enumerabimus locos. Et apud Cornificium quidem *antea* in primis tribus libris nusquam deprehendi. *ante* adverbium in libro primo quater, in libro secundo octies, in tertio sexies; in libro quarto *ante* decies quinquies, *antea* bis IV, 5, 7. 26, 36. Ac posteriore quidem loco *antea* cum ab ipso Kaysero excogitatum sit pro eis quae codices exhi-

bent *at ea, ast ea* similibus, prorsus nullam habet fidem; restat igitur unus locus, quo *antea* idcirco videtur a Cornificio esse positum, ut accurate responderet praecedenti *postea*: *de eo quod postea diximus antea videamus*. Similiter apud Ciceronem in priore de inventione libro legi *ante* adverbium septies decies, in altero, ni fallor, quadragies, *antea* in neutro libro. In duabus primis orationibus ex locis iis, quibus *ante* adverbium legitur, separandi videntur ii, quibus *ante* certis quibusdam prolatum est formulis, inprimis *ante quam, multo ante, paulo ante* etc.; in his enim, ut supra diximus, posteriore quoque tempore *ante* fere semper retinetur, ut *antea quam* in Ciceronis orationibus auctore Merguetio non plus semel legatur Deiot. 30. In oratione igitur pro Quinctio legitur *ante quam* quinquies 2, 9. 15, 48. 17, 54. 26, 84. 28, 86, *ante* ablativo subiunctum semel 29, 88, praeterea quater 10, 35. 22, 71. 26, 81. 30, 92; *antea* omnino quinquies 9, 33. 10, 34. 20, 63. 24, 77. 28, 87. In oratione pro Roscio Amerino inveni *ante quam* bis 22, 60. 50, 145, *ante* ablativo subiunctum bis 7, 19. 23, 64, praeterea quinquies 9, 25. 32, 91. 34, 96. 40, 116. 49, 143; contra *antea* in hac ipsa oratione decies quater 3, 8. 4, 11. 8, 21. 15, 42. 21, 59. 22, 62. 25, 70. 31, 86. 31, 88. 34, 96. 37, 106. 41, 119 bis. 48, 140. In orationibus Verrinis cunctis, hoc est in divinatione in Caecilium, actione prima in Verrem, actionis secundae libris quinque, legitur *ante* adverbium exceptis iis locis, quibus *ante quam* et *ante* ablativo subiunctum reperitur, tricies novies, *antea* sexagies ter, eademque fere ratio est per ceteras orationes omnes. Attamen in orationibus Philippicis denuo *ante* adverbium saepius apparet quam *antea*: legi enim *ante* exceptis isdem locis, quos modo dixi, vicies, *antea* undecies. Haec res quomodo existimanda sit accuratius exponere non est huius loci; illud iam nunc dicimus, videri nobis Ciceronem in postremis orationibus non pauca denuo recepisse in sermonem suum, quae antea improbasset.

Usus similium adverbiorum *post* et *postea* inde ab initio alius videtur fuisse (cf. Brix ad Plauti Trin. 568); *postea* enim apud Cornificium et in primis Ciceronis scriptis simul

et pari fere numero cum *post* adverbio usurpatur; legitur enim, ut unum afferam exemplum, in priore de inventione libro *post* septies, *postea* sexies; eademque ratio per omnes latinae linguae aetates (veluti apud Nepotem etc.) remansit. Alia autem condicio est verbi

posterius, quod apud priscae latinitatis scriptores non solum de duabus dicitur actionibus inter se respondentibus (velut Plaut. Epid. 2, 2, 76), sed obscurata atque neglecta comparatione communi quodam sensu idem fere significat quod *postea:* Pl. Amph. 2, 2, 156. Asin. 1, 1, 48; Ter. And. 3, 2, 29. Adelph. 2, 1, 8; Titin. com. 154 pag. 155 R; Pompon. com. 89 pag. 239 R; item apud Corn. I, 4, 6. II, 10, 15. 28, 45. IV, 12, 18. 37, 50 (seclusit Kayserus). 39, 51; Cic. inv. I, 23, 33. 24, 35. 51, 97. Quinct. 5, 19. Verr. II, 4, 29, 66. Tull. § 56. Brut. 83, 288; item in Ciceronis epistulis: ad Att. 6, 1, 19 *verum haec posterius*. 9, 10, 5 *cui p. poteris prodesse*. ep. ad fam. 12, 23, 1 et 15, 16, 3 et ad Attic. 4, 4^{b}, 2 *sed haec posterius*; Nep. Paus. 5, 5; Lucr. 2, 182. 5, 155. 993. 1111. 1256. 1284. 6, 827. 1199; Verg. cul. 8; Amm. 26, 5, 8 etc. Cf. Neue II^{2} p. 690. Videtur igitur Cicero in posterioribus (praeter epistulas) scriptis ad exprimendam simplicem notionem praecipue uti *post postea*, tertia voce *posterius* ita tantum, ut duae inter se respondeant actiones aut res, hoc est ut *posterius* referri possit ad certum aliquod prius; cf. inv. II, 49, 145 *utra lex posterius lata sit.*

§ 4.

Ut ex duabus alicuius vocis notionibus una retenta est, ita saepe cum duo aut complura praesto essent verba idem significantia, unum reiectis ceteris a Cicerone in suum receptum est sermonem.

Hac igitur ratione de duabus formis *incepi* et *coepi* sola posterior a Cicerone probata est, *incipio* autem verbi apud probatissimos scriptores eae fere leguntur formae, quae a praesentis stirpe ductae sunt. Contra apud priscos scriptores itemque in aureae aetatis initiis omnia huius verbi tempora formari poterant: legitur enim *incepi etc.* apud Pl. Amph. prol. 7. Asin. 1, 1, 112. Cas. 2, 1, 16. Men. 2, 3,80. Rud.

2, 5, 5. Truc. 2, 5, 12. 14: Ter. And. 5, 1, 13. Eun. 4, 4, 57. Adelph. 2, 2, 19; Cat. r. r. 48, 2; Pompon. com. 69 pag. 236 R; Claud. Quadr. pag. 225, 12 P; Corn. II, 1, 2. III, 10, 17 (idem dixit *coepi etc.* I, 9, 14. 12, 21. IV, 25, 34 bis. 50, 63. 51, 65. 55, 68 bis); Cic. Verr. II, 2, 76, 187 (idem dixit *coepi etc.* inv. II, 31, 96. 51, 154 etc.); Varr. r. r. 1, 30; Verg. Aen. 3, 8; Vitruv. pag. 154, 23 R; etc. etc. (cf. Antibarb. pag. 568 sq.).

De tribus adiectivis *externus extrarius extraneus*, quae apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris simul et pari fere notione leguntur, unum *externi* vocabulum Cicero in posterioribus scriptis plerumque adhibuit. Legitur autem *extrarius* apud Ter. Phorm. 4, 1, 13 (ubi contrarium significat *domestico*; cf. Paul. Festi pag. 78 M *qui extra focum sacramentum iusque sit*); Afrän. com. 324 pag. 206 R; Corn. I, 14, 24. II, 13, 19; Cic. inv. II, 56, 168. 59, 177 bis. 178; Lucr. 4, 276; Quintil. 7, 2, 9. 7, 4, 9; Suet. Vesp. 5; Iavolen. dig. XXXVIII, 2, 36; Apul. apol. 15 p. 23, 4 Krueger. 40 p. 51, 6. 68 p. 79, 10. flor. 18 bis (p. 29, 10. 29, 22 K). metam. 8, 22. de deo Socr. 3 p. 7, 17 Goldb. de dogm. Plat. 2, 12; Papinian. dig. XXVII, 1, 28 § 1. XXXI, 78 § 3. XLVIII, 5, 40 (39) § 1. XLVIII, 18, 17 pr.; Cyprian.; etc.: cf. gloss. Labb. *extrarius* ξένος. *Extraneus* inveni apud Corn. III, 2, 2 ter. 7, 14. IV, 8, 11 (ubi *verba extranea* contraria sunt *propriis*). 31, 42 bis[1]); Cic. inv. I, 22, 32. id. fragm. Oecon. apud Colum. XII praef. 4 *extranea exercitatio* (si modo Ciceronis verba sunt). de orat. 2, 11, 46; auct. orat. »pridie quam etc.« § 9; Publil. Syr. 13 pag. 305 R; Liv. (teste Hildebrandio); Liv. epit. 57; Vitruv. pag. 145, 9 R; Cels. 1 prooem. sub

[1]) Quam hoc loco habemus adnominationem duobus verbis similibus laudandi et laedendi effectam, in qua *laedere* idem fere significat quod *vituperare* (*et in laudando et in laedendo*; cf. Corn. II, 28, 45 *item vitiosum est in rebus comparandis necesse putare alteram rem vituperare, cum alteram laudes, quod genus si — alteros laedat; non enim necesse est, si alteros praeponas, alteros vituperare*), eam ex sermone vulgari profectam esse recte suspicatur Landgraf l. l. pag. 12; exemplis ab eo diligenter collatis adde auct. decl. Sall. in Cic. 4, 7 *Bibulum — laedis, laudas Caesarem.*

finem (p. 12. 31 Dar.); Plin. n. h. 28, 3 (7), 39; Tac. Agr. 43. ann. 4, 11; Plin. paneg. 37 (p. 346, 17. 347, 11 Keil; Suet. Aug. 64. Claud. 4. 9; Gell. 1, 11, 14. 5, 19, 1; Apul. apol. 20 p. 29, 9; Iustin. 1, 10, 14. 5, 9, 12; Tertull. (tres et viginti locos enumerat Oehlerus); Cyprian.; Spartian. Hel. 5, 11; Acron ad Horat. art. poet 212 (vol. II p. 611, 11 Hauthal): Vulg. etc.; denique in Iurisconsultorum sermone hoc vocabulum fuit sollemne, cf. Dirkseni Manuale s. v. et Heumanni *handlexicon zu den quellen des roemischen rechts* s. v., Elversii *promptuarium Gaianum* s. v. Praeterea cf. *extraneasse* apud Apul. apol. 97 (? ita Elmenhorstius, *exterminasse* Colvius). *Externus* dixit Corn. III, 6, 10. 7, 13 bis (*externae res*; paulo infra 7, 14 idem dixit *extraneae res* eadem significatione).

Hac ratione de qua supra exposui ex verborum maxime usitatorum numero a Cicerone postea eiectum est

1) *Auscultare*, cum *audire* sufficere videretur. Legi semel apud Ciceronem Rosc. Am. 36, 104 *mihi ausculta* (cf. Woelfflin l. l. p. 143). Haec autem dicendi formula in comicorum sermone sollemnis erat: cf. Brix ad Plaut. Trin. 662.

2) *Abscondendi* verbum quamquam in posterioribus quoque Ciceronis libris reperitur, tamen omnino raro apud illum deprehendi auctor est Allgayerus Antibarb. pag. 51; cf. Rosc. Am. 41, 121 *est quiddam quod occultatur; quod quo studiosius ab ipsis opprimitur et absconditur, eo magis eminet et apparet*; ceteris autem omnibus apud Ciceronem locis huius verbi aut perfecti participium aut huius participii adverbium inveni: Catil. 3, 1, 3. dom. 54, 138. Phil. 2, 42, 108. nat. deor. 2, 26, 66; inv. II, 23, 69. fin. 3, 1, 2. Item Caesar et Livius hoc verbo prorsus abstinuerunt; malebant enim optimi scriptores dicere *occultare abdere*. Apud Cornificium *abscondendi* vocem bis inveni: IV, 52, 65 *heus, inquit Gorgiae pedisequo puerorum, absconde pueros*, IV, 6, 9 *fontes maximos penitus absconditos*.

3) *Auxiliandi* verbum legitur apud Corn. IV, 27, 37 *nihil Numantinis vires corporis auxiliatae sunt, nihil Carthaginiensibus scientia rei militaris adiumento fuit, nihil Corinthiis*

erudita calliditas praesidii tulit, nihil Fregellanis morum et sermonis societas opitulata est; apparet variandi causa hoc loco positum esse *auxiliari*. Cicero hoc verbo semel usus est fam. 5, 4, 2 *quodsi mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo; sin mihi neque magistratus neque senatum neque populum auxiliari — licuerit etc.*; hoc quoque loco orationis variandae causa *auxiliari* usurpatum est. Ceterum Cicero praetulit *adiuvare, opem ferre, adiumento esse,* similia; cf. Antibarb. p. 187 et e. g. Vitr. 5, 8, 2. Castrense vocabulum fuisse *auxiliari* suspicatur Woelfflinus.

4) *Conspicari* semel deprehenditur apud Corn. I, 11, 18 *Ulixes intervenit, occisum conspicatur*. Cicero, cum *conspiciendi* vox sufficere videretur, verbum illud sermone suo exclusit, contra recepit e. g. Caesar b. gall. 1, 25. 2, 26. 2, 27. 5, 9. 49, 6. 17, 39. 7, 84. b. civ. 1, 24. 2, 6. 22. (idem *conspicere* dixit duodecies).

5) *Depeculari* cum praeter *spoliare privare* alia non necessarium esse videretur, et ipsum in posterioribus libris excepto uno loco a Cicerone reiectum est: Corn. IV, 27, 37. 39, 51. Cic. Verr. act. I, 4, 11 (ubi *depeculatus est* codd. deter., scholiast. Gronov., edit. Orell.). id. ib. I, 5, 14. act. II, 4, 17, 37. 4, 36, 79; fin. 3, 9, 32 *fana depeculari*, quae locutio quasi sollemnis videtur remansisse; forma *depeculari* notione passiva[1]) legitur apud Coel. Antip. pag. 164, 9 P. Cf. *depeculator* Cic. Verr. I, 1, 2. Pis. 40, 96. de or. 3, 27, 106; Ambros. in psalm. 40, 27; *depeculatus -us* Pl. Epid. 3, 4, 83 (in loco interpolato); Paulus Festi pag. 75, 11 M *depeculatus a pecore dicitur; qui enim populum fraudat, peculatus poena tenetur*.

6) *Ditare* ex prosae orationis auctoribus primus adhibuit Cornificius IV, 53, 66 *ego illa plurimis tropaeis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victoriis etc.*, quo loco orationis variandae causa *ditare* positum est. Cicero cum dicere mallet *locupletare, divitem facere,* similia, illud

---

[1]) Apud Lucilium XXVI, 72 M nunc C. Lachmannus et L. Muellerus cum Ludov. Ferd. Schmidtio legunt *despeculassere* pro eo quod antea vulgo ferebatur *depeculassere*, O. Ribbeckius *depopulassere*.

verbum in suum sermonem non recepit; cf. Antibarb. pag. 375 sq. Saepius hoc verbum legitur cum alibi tum apud Iurisconsultos (cf. Dirkseni Manuale) et in Vulg.

7) Cicero secundum ea, quae ipse professus est or. 47, 157 *(non scire quidem barbarum iam videtur, nescire dulcius)*, plane evitavit *non scire*. Quod et apud poetas comicos legi notissimum est et semel deprehenditur apud Corn. IV, 27, 37 *quom dicimus nos praeterire aut non scire aut nolle dicere id sqq.*; plura congessit exempla Allgayerus Antibarb. pag. 1049.

Tum praecipue cum duo praesto erant eiusdem simplicis verba composita idem fere significantia, alterum a Cicerone improbatum, alterum receptum est. Veluti

1) *Absumo* per omnes litterarum latinarum aetates apud multos legitur scriptores; inveni enim, ut brevi utar enumeratione, apud Plaut., Ter., Acc., P. Cornel. Scip. (apud Gell. 6 (7), 11, 9); Varr., Lucr., Sall., auct. b. Alex., Catull., Verg., Hor., Propert., Ovid., Liv., Iust., Vell. Pat., Val. Max., Sen. min., Curt., Colum., Plin. mai., Valer. Flacc., Sil. Ital., Quintil., Tac., Plin. min., Suet., Flor., Capitolin., Ammian., Veget., Iurisconsultos, Vulg., etc. etc. Contra Cicero hoc verbum duobus tantum locis admisit: Quinct. 10, 34 *ne dicendo tempus absumam*, Tusc. II, 8, 20 *corpus clade absumptum* (in loco ex Sophocle translato); nec minus Caesar et Cornelius Nepos hoc verbo prorsus abstinuerunt. Utuntur autem optimae notae scriptores altero verbo composito *consumo*[1]).

2) *Adedo* legi apud Sisenn., Verg., Hor., Prop., Ovid., Liv., Val. Max., Colum., Lucan., Petron., Val. Flacc., Sil. Ital., Quintil., Tac., etc. etc.; apud Ciceronem non plus bis: Quinct. 12, 40 *adesa pecunia*, Tusc. II, 10, 24 *adesum iecur* (in loco ex Aeschylo verso). Aureae aetatis scriptores ut huius verbi notionem exprimant, aliis utuntur verbis, velut

[1]) Ipsum *consumendi* verbum Cornificius ita usurpat, ut dicat et *consumere aliquid in re* (III, 2, 3. 8, 15. 23, 38. IV, 7, 10. 8, 11 bis. 12. 12, 18. 16, 23. 50, 63) et *in rem*. Haec autem structura, quam Cicero evitasse videtur, apud ipsum Cornificium multo rarius legitur quam illa superior: II, 27, 43. III, 14, 25. Memorabilis est locus I, 3, 4 *inventio in sex partis consumitur*, ubi *consumitur* idem fere exprimit quod *dividitur*. Cf. Antibarb. pag. 264 sq.

comedo consumo, quamquam non satis illi respondent; cf. Non. pag. 70, 32 M.

3) *Antistare* [1]) (pro quo verbo probatissimi auctores dicere malebant *praestare*) legi apud Enn. trag. 197 pag. 42 R; Cat. r. r. 156, 1; Metell. Num. apud Gell. 12, 9, 4; Claud. Quadr. pag. 208, 6 P; Cic. inv. II, 1, 2 *multum — omnibus antistiterunt*. rep. 3, 18, 28 (praeter haec duo nulla inveni apud Ciceronem exempla, idem dixit *praestare bestiis* inv. I, 4, 5): Lucr. 5, 22; Nep. Arist. 1, 2; Catull. 9, 2; Mel. 2, 5. 3, 6, 7; Sil. Ital. 9, 538. 11, 65. 14, 142; Tac. ann. 2, 33; Apul. met. 4, 8. 4, 14. 8, 2. 11, 28. id. Ascl. 29; Gell. 6 (7), 5, 1; Tertull. (septem locos enumerat in indice Oehler); Lactant. inst. 7, 2, 5. 7, 15, 13; Auson. perioch. Iliad. 23; Symm. epist. 1, 1. 4, 20; cod. Theodos. I, 15, 7 (= cod. Iustin. 1, 38, 1); Mart. Cap. 9, 208; Fulgent. expos. antiqu. serm. pag. 563 (cf. Cassiodor. de orthogr. pag. 2294 et Neue II² pag. 735); praefat. codicis Salmasiani in Riesii anth. lat. vol. I p. 69, 3; gl. Plac. pag. 5, 1 D *antistant meliores sunt*, gl. Labb. *antesto* προίσταμαι.

4) *Eminiscor* (idem quod *comminiscor* apud probatissimos scriptores) inveni apud Corn. II, 7, 10. 8, 12; Varr. l. l. 6, 6 § 44 M (? vid. K. O. Muellerum ad h. l. et Nipperdeium Spicileg. I p. 33 = opusc. p. 39); Nep. Alc. 2, 1 (ubi *eminisci* restituit Heusingerus, *comminisci* Nipperdeius); Apul. apol. 102 p. 113, 3 Krueger; cf. not. Tiron. 125 *eminiscitur comminiscitur reminiscitur subminiscitur*; gloss. Isid. 615 *ementum excogitatio; eminiscitur in memoriam reducit*.

5) *Exputo* (*computo* apud probatissimos scriptores) apud Pl. Trin. 2, 1, 8; inc. inc. trag. 177 pag. 261 R *exputando evolvere* (quae verba nescio an cum Kaysero ipsi Cornificio sint adscribenda; cf. Ribbeck ad h. l.); Corn. II, 30, 49; Planc. ap. Cic. fam. 10, 24, 6; auct. decl. Cic. in Sall. 5, 14.

6) *Exscribo* nonnumquam idem fere valere quod *perscribo* persuadet praecipue hic locus Cornificianus: II, 10, 14 *legum et stipulationum breviter exscriptarum, in quibus intellegantur scriptorum voluntates, expositione*. Praeterea cf. Pl. Rud.

[1]) Cf. Ritschelius opusc. II pag. 559.

prol. 15. 21; Cic. fragm. Oecon. apud Col. XII (vol. XI pag. 52 K) *adnumerata ipsi exscripsimus*; Liv. 1, 20, 5: quamquam me non fugit posse hos locos ex parte alio quoque modo explicari.

7) *Transfugio* verbo postquam semel usus est Cicero (Quinct. 30, 93 *non ab adflicta amicitia transfugere*), in posterioribus libris praetulit *perfugio*; exemplis a Koehlero act. Erl. I pag. 388 congestis adde Modestin. dig. XLIX, 16, 3 § 11 et locos tredecim Vulgatae, quos enumerat Dutripon in Concordantia.

Simili modo verbum aliquod compositum saepe a Cicerone reiectum est tum, cum eam quam illud continebat notionem exprimere licebat verbo simplici sequente ea, quacum verbum illud compositum erat, praepositione: veluti pro *astituere aliquid ad aliquid* dicebatur *statuere aliquid ad aliquid*. Exempla proponimus haec:

1) *Astituo* apud Pl. Capt. 4, 2, 66. Cas. 5, 2, 48; Acc. trag. 55 pag. 142 R: Corn. III, 20, 33 *reum ad lectum eius astituemus*; Apul. met. 3, 2. 9, 11.

2) *Denomino* Corn. IV, 32, 43 *eo quod continet id quod continetur hoc modo denominabitur* (ubi *denominabitur* falsum esse suspicatur Kayserus; substantivum *denominatio* legitur apud Corn. IV, 32, 43 pr.; cod. Theodos. VI, 4, 13 § 2; Euanth. de comoed.; Boeth.; cf. etiam de Vit in lexico); Hor. carm. 3, 17, 3; Quintil.; Gell.; Iuriscons. (cf. Dirkseni Manuale s. v.). Cicero dixit *nominare aliquid ex re, a re*; cf. Antibarb. pag. 339.

3) *Inseco* apud Corn. III, 14, 24 *inserere atque insecare in animis auditorum*. IV, 49, 62 *aliquid mali — dentibus insecare*; Vitruv., Liv., Colum., Plin. mai., Gell., etc.; deest apud Ciceronem.

4) *Interluceo* apud Corn. III, 19, 31 *ut distincti interlucere possint*; Verg. Aen. 9, 508; Liv. 1, 42, 4. 29, 14, 3; Quintil. decl. 12, 2; Frontin. 2, 3, 16; Tac. Germ. 45, 4; Solin. 20, 3; Veget. r. mil. 1, 26 pag. 26, 16. 3, 14 pag. 96. 20 L: nusquam deprehendi neque apud Ciceronem neque apud Caesarem.

5) *Intersero* apud Corn. IV, 23, 32 *si raro interseremus has exornationes*; Nep. Milt. 4, 1; Ovid. met. 10, 559; hoc verbum et ipsum apud Ciceronem et Caesarem plane evitatur.

Huc adicimus 6) *dedita opera* (rarius *opera dedita*), quae locutio idem fere significat quod *de industria*. Legi autem *dedita opera* apud Naev. com. 8 pag. 6 R; Pl. Cist. 4, 1, 18. Trin. 1, 2, 29. Poen. 3, 1, 5; Ter. Eun. 5, 2, 2; Afran. v. 373 pag. 212 R; Pompon. com. v. 142 pag. 246 R; Corn. II, 30, 47 *facta enim et dedita opera comparata oratio videbitur esse artificii significandi — causa*; Cic. Rosc. Am. 36, 104 *ut ea dedita opera a nobis contra vosmet ipsos facere videamini*. de or. I, 20, 91. III, 5, 17. Att. 8, 14, 1. 10, 3. 11, 8, 2. 15, 4, 4; Anton. apud Cic. Att. 10, 8 A 2; Liv. 2, 29, 2. 2, 51, 5. 3, 30, 2. 3, 63, 6. 26, 17, 9; Colum. 12, 4, 5; itemque *opera dedita* Cic. de or. III, 50, 193; cf. Charis. II pag. 197, 9 K. Hanc autem dicendi formulam magis cotidianae vitae propriam fuisse probare mihi videtur Cicero Att. 15, 4, 4 *itaque misi dedita* (sc. *opera,* quod contra cod. auctoritatem nescio an sine iusta causa a Baitero additum sit); cf. Paul. Festi p. 70, 5 M et gl. Labb. *dedicta* ἐπίτηδες καὶ ἰδότα, corr. Vulcan. *dedita opera* (quod substantivum ne hic quidem recte additum esse videtur) ἐπίτηδες καὶ εἰδότα. De simili vocis *opera* ellipsi vid. Brixium ad Pl. Trin. 578 et Lorenzium ad Most. 249; eandem nunc video sententiam esse Landgrafii l. l. p. 25.

Prorsus eodem modo Cicero, ubi duae praesto erant locutiones ex compluribus verbis constantes, unam recepit in sermonem suum, alteram reiecit:

1) *Prae se gerere aliquid* bis deprehenditur in libris de inventione II, 9, 30 *nam adfectiones quidem perspicuam solent prae se gerere coniecturam*, ib. II, 52, 157 *est porro quoddam ex horum partibus iunctum, quod — prae se gerit quandam utilitatem*; item apud auct. b. Afr. 10, 4; August. de lib. arb. 3, 21, 61, etc. In posterioribus scriptis Cicero constanter ait *prae se ferre aliquid*; cf. Antibarb. pag. 499.

2) Cic. Quinct. 8, 31 *iniuriam facere fortissime perseverat*, Rosc. Am. 50, 146 *facis iniuriam, Chrysogone, si etc.*, fam.

3, 8, 3; cf. Woelfflin l. l. pag. 143. Postea Cicero dicit *facis iniuste* Flacc. 17, 41. *Iniuriam facere* saepe aiunt poetae comici prisci, numquam *iniuste facere*.

3) *Poenam sumere* semel admisit Cicero inv. II, 36, 108 *pro maleficio poenam sumi oportere*; item Vergilius Aen. 2, 585 sq. Postea Cicero ait *supplicium sumere* et similia: cf. Antibarb. pag. 1110.

4) *In ordinem redigere aliquid* scripsit Corn. III, 9. 16 *quoniam dispositio est, per quam illa, quae invenimus, in ordinem redigimus etc.*, quo loco *in ordinem redigere aliquid* idem fere significat quod *ordinare aliquid*; eandem habet notionem apud Quintil. 8, 3, 9. Commemorandum autem est huius locutionis vim plerumque aliam esse, qua exprimat idem fere quod *in ordinem cogere aliquem* vel *aliquid*, velut apud Suet. Vesp. 15; Plin. ep. 2, 6, 5 etc., cf. Antibarb. pag. 812. Cicero, a quo *in ordinem redigere aliquid* nusquam quod sciam adhibetur, ut sensum exprimat huius dicendi formulae, aliis utitur verbis vel locutionibus: *ordinare explicare aliquid, res in ordinem adducere*, similibus.

Eadem ratione, qua in verbis, Cicero usus est in *substantivis* eligendis, ut cum duo deprehenderet nomina substantiva idem significantia, saepe unum reiecto altero in usum suum converteret. Exempla afferimus haec:

1) *Vehementia* Corn. IV, 19, 26 *inter huius generis et illius superioris vehementiam hoc interest etc.*; item apud Plin. mai. Cicero ut exprimeret huius vocabuli notionem aliis usus est verbis, velut *vis ardor impetus acrimonia* similibus; cf. Antibarb. pag. 1184.

2) *Consequentia* Corn. IV, 53, 67 *ea (significatio) fit per exsuperationem, ambiguum, consequentiam, abscisionem, similitudinem*; 54, 67 *per consequentiam significatio est, cum res quae sequuntur aliquam rem dicuntur*; item Cicero semel hac voce usus est div. in Caec. 1, 56 *consequentia eventorum*; sed postea ad exprimendam huius vocis significationem varias adhibuit rationes, vid. Antibarb. pag. 274. *Consequentiae* verbum legi etiam apud Frontinum, Gellium, Arnobium, Iurisconsultos.

3) *Despectus -us*, cuius substantivi, si contemptionem signi-

ficat, praeter dativum singularis numeri nulla exstat forma, semel obviam fit apud Corn. IV, 39, 51 *filii parvi privati patris auxilio ludibrio et despectui paternis inimicis erunt oppositi*; ceteris omnibus quibus haec vox deprehenditur locis una legitur formula *despectui esse alicui* vel *despectui haberi* (ita Aurel. Vict.). Cicero cum abstineret hoc vocabulo, maluit dicere *despicatui, contemptui esse alicui*, aut ubi aliis opus erat casibus, *despicientiae* nomen usurpavit; cf. Antibarb. pag. 347.

4) De vocabulo *captio* idem significante quod *fraus*, quo semel usus est Cicero Quinct. 16, 53, cf. Landgraf l. l. pag. 26 et lexica.

Praecipue illud videtur hac in re esse memorabile, quod Cicero, si duo praesto erant nomina abstracta alterum in *-tas* alterum in *-tudo* desinens, saepe id quod *tudo* suffixo terminabatur postea aut omnino reiecit aut rarius adhibuit, altero magis magisque usus est. Veluti *firmitudo* apud Cornificium septies legi, numquam *firmitas*; contra Cicero postquam in primis quos composuit libris *firmitudo* aliquotiens usurpavit, postea, cum magis placeret *firmitas*, exceptis epistulis illud verbum respuit. Fusius de hac re disputavimus et plura congessimus exempla in capite quarto, quo de verborum formatione agetur.

Adverbia afferimus haec:

1) *Cum primis* apud Cic. inv. II, 1, 1 *Crotoniatae quondam cum — in Italia cum primis beati numerarentur etc.*, Quinct. 6, 24 *L. Albius — vir bonus et cum primis honestus*, ib. 18, 58 *profectus est una L. Albius, homo cum primis honestus*; reliqua exempla, quae ad unum omnia in prioribus inveniuntur orationibus, collegit Hellmuth act. Erl. I pag. 116: in posterioribus scriptis, cum magis placeret *inprimis*, semel ut videtur hoc adverbio usus est Cicero Brut. 62, 224 *cum primis ridiculus*; nam de div. I, 32, 68, ubi vulgo ferebatur *cum primis hominem prudentem atque doctum*, nunc Christius ex codicum auctoritate restituit *cum primo sqq*. Cf. Symm. ep. 2, 7. 72 *cum primis honoratus et fortunatus*; Plac. gloss. p. 27, 2 D; Hand Turs. II pag. 172. Antibarb. pag. 311. Front. p. 74 N sub finem etc. Ceterum *certum cum primis* Pl. Truc. 3, 1, 15 in codicibus *BCD* legi monuit Studemundus in scholis.

2) *Ingratiis ingratis*. quod ipsum sicut *cum primis* ex ablativo nominis casu in adverbii notionem abiit eiusque munere fungitur, raro adhibetur a probatissimis scriptoribus, qui adiectivum *invitus* praeferebant: Cic. Quinct. 14, 47 *extorquendum est invito atque ingratis*; coniuncta igitur sunt hoc loco vocabula duo synonyma; cf. quae alia collegerunt exempla Hand Turs. III pag. 379 sqq., Neue II² pag. 672; Iavolenus dig. XVII, 1, 36 § 2; Tertull. (cf. indicem Oehleri); gl. Plac. pag. 58, 3 D *ingratis sine voluntate*.

3) *Inpraesentiarum* sermonis plebei est (cf. Hand Turs. III pag. 225 sq., Neue II² pag. 681 sq., Woelfflin l. l. pag. 147). Legitur apud Cat. r. r. 144, 4; Fann. pag. 138, 2 P; Corn. II, 11, 16 *inpraesentiarum hoc intercedere non alienum fuit* (idem dixit *in praesentia* III, 12, 22. 16, 28); Nep. Hann. 6, 2; Tac. ann. 4, 59; Front. ad M. Caes. IV, 8 pag. 71, 6 N; Apul. flor. 9. 16 bis. 17. 18. de deo Socr. 11. 14. 19. apol. 48. 53. 65. 91; Ulp. dig. XI, 1, 11 § 8. XXVII, 8, 1 § 15. XLIII, 5, 1 § 1. XLIII, 8, 2 § 31. XLIII, 24, 1 § 9; Minuc. Fel. Octav. 5, 1; Symm. epist. 1, 94. 3, 48; Sidon. epist. 2, 3. 3, 6. 4, 3. 5, 9. 7, 9. 8, 9. 9, 9; Cyprian.; Vulg. genes. 50, 20; exod. 22, 15; Levitic. 8, 34; deuteron. 5, 3; 2 par. 18, 4 al.; cf. gl. Plac. pag. 56, 4 D *impraesentiarum pro in praesenti*. Idem exstat Cic. inv. I, 30, 49 in cod. Greuenb. Grut. et e corr. in Leid. II; sed cum Cicerò dicere soleat *in praesenti* inv. I, 17, 24 vel *in praesentia* inv. I, 26, 39. 33, 56. II, 45, 134. 58, 174 bis, falsam esse illam lectionem tuo iure concludas, cum praesertim ii codices, ex quibus pendet potissimum crisis in libris de inventione exercenda (Herbipolitanus et Parisinus nec non maiore librarii licentia insignis Sangallensis), contradicant.

4) *Interdiu* semel inveni apud Cornificium II, 4, 7 *tempus ita quaeritur: — noctu an interdiu — factum esse dicatur*, nusquam apud Ciceronem, qui ut exprimeret huius adverbii sensum, dicere malebat *die* aut *luce*; vid. Antibarb. pag. 611.

5) *Necessum est*, quod apud priscos scriptores latinos, inprimis apud Plautum haud ita raro deprehenditur, Cornificio recte restituit Bergkius *de Plautinis fabulis emendandis* (in ind. schol. hib. Hal. 1858/59 pag. VII) IV, 9, 13 (in fin.)

ex auctoritate codicis optimae notae Herbipolitani (*h* apud Kayserum); nam ea quoque quam alii complures praebent codices lectio *necessarium* videtur corrupta esse ex *necessum*. Eandem formam (*necessum est*) ex eodem codice Herbipolitano reddidit Cornificio IV, 28, 38 Otto Sievers (in Mus. Rhen. vol. XXVIII p. 580). Contra apud Ciceronem, cui *necesse est* sufficere visum est, plane deest *necessum*; cf. Antibarb. pag. 745.

6) *Nequiquam* adverbio Cicero, cum postea praeferret *frustra*, semel usus est Quinct. 25, 79 *et sero et nequiquam pudet*, quam locutionem Klotzius putat ex vetere aliquo poeta comico sumptam esse (veluti Ter. Heaut. 2, 3, 103 *sero ac nequiquam voles*): cf. Antibarb. pag. 749. Neue II² pag. 642 sq. Hand Turs. IV pag. 168 sqq.

7) De *perperam* adverbio eiusque usu cf. Landgraf l. l. p. 29 (adde Sulp. Vict. rhet. p. 313, 6 H), Hellmuth act. Erl. I p. 113 sq.

8) *Repentino* (probatissimi scriptores dicunt *repente*) legi apud Plaut. Pseud. 1, 1, 37 (idem octies *repente*): Afran. vers. 82 pag. 175. v. 397 pag. 215 R (idem dixit *repente* v. 54 pag. 172 R); Cic. Quinct. 4, 14 (in eadem oratione 11, 39 *repente*); Caes. b. gall. 2, 33 (*repente* b. gall. 1, 52. 5, 17. 6, 12. b. civ. 1, 14. 63); Gran. Licin. pag. 10, 19 ed. Bonn. (*repente* apud eundem 28, 7. 28^b, 9); Apul. flor. 3, 16. de mund. 16; Lactant. inst. 1, 11, 55 (ubi libri partim *repentine*); cf. Charis. 2, 14, 200, Neue II² pag. 645 sq., Hellmuth act. Erl. I p. 114. Cornificius ait *repente* IV, 47, 60.

9) *Satius*, adverbii *satis* comparativus, qui fere semper in una adhibetur formula *satius est*, magis magisque a Cicerone ceterisque optimae notae scriptoribus, qui *melius est* praeferebant, videtur reiectus esse. Hanc autem locutionem maxime vulgaris esse sermonis illud testimonio est, quod saepissime legitur apud poetas comicos, velut ex Plauto septemdecim locos enumerat in indice Naudetus; praeterea cf. Ter. And. 2, 1, 7. Eun. 4, 7, 2. Heaut. 3, 1, 66. 5, 2, 16. Phorm. 5, 8, 63. Hec. 5, 1, 4. Adelph. 1, 1, 4. 1, 1, 33. 2, 2, 26; Nov. com. 16¹ pag. 256 R. Item *satius est* octies legitur apud Cornificium I, 9, 14. 15, 25 bis. II, 14, 21. 26, 40.

28, 45. IV. 26, 36 bis. Contra Cicero postquam in primis quos scripsit libris hoc vocabulo aliquotiens usus est. in reliquis omnibus exceptis epistulis abstinuisse eo videtur: legi enim inv. II, 24. 73 bis. 76. 32. 100. Rosc. Am. 52. 150. Verr. II, 2, 36, 88. Att. 7. 1. 4: item *satius* deest omnino apud Caesarem. Ex ceteris scriptoribus latinis adhibuerunt *satius* e. g. Varr. r. r. 1, 2. 26: auct. b. Afr. 25: Lucr. 5. 1127: Sall. Iug. 42, 3: Nep. Paus. 5, 1. Cim. 3. 3. Ag. 2. 1 et saepius; Verg. ecl. 2. 14: Liv. 3, 70. 4. 26, 29, 4. 34. 33. 7. 37, 26, 13. 42, 23, 10 (cf. Kuehnast, synt. Liv. pag. 210); Plin. n. h. 23, 1 (26): Petron. 61: Mart. 10, 37, 6; Front. Marc. Caes. 4, 3 pag. 62 N: Pompon. dig. XLV. 1, 111 (ex coniectura): Ulp. dig. XI, 7, 14 § 1. XLVIII. 19. 5 pr. L, 10, 5 § 1: app. sent. (Syr. vers. 301 pag. 390 Ribb. etc. etc.

10) *Setius* (vel *secius* vocabulum ex probatissimis scriptoribus alii in usum suum contulerunt, alii aspernati *minus* dicere malebant. Duae inprimis dicendi formulae *quo setius* et *nihilo setius* inveniuntur apud Corn. I, 12, 21. III, 17. 30. IV, 3. 4. 37, 49: Cic. inv. II, 45, 132. 57, 170, praeter quos duos locos nulla ego apud Ciceronem deprehendi exempla. Ex contrario *setius* saepe legitur e. g. apud Caesarem et apud Nepotem; vide b. gall. 1, 49, 4. 4, 17, 4. 5, 4, 3. 5, 7. 3. b. civ. 2, 7, 4. 3, 26, 3; Nep. Milt. 2, 3. Con. 2, 4. 3, 3. Dion 8, 5. Eum. 5, 1. Hann. 7, 1. Att. 2, 2. 22, 3. Praeterea *setius* (vel *sectius* vel *secius* vel *sequius*) exstat in iis scriptorum locis. de quibus egerunt Fleckeisenus Mus. Rhen. VIII p. 221 sqq. et Neue II² p. 691 sq., quibus e. g. addas Suet. Caes. 8. Vesp. 6. Dom. 2. 12; Charis. II pag. 209, 11 K *οὐδὲν ἧττον nihilo setius*: gl. Plac. *nihilo setius*, *nihilo minus vel non aliter*: gl. Labb. *secius ἀλλοιοτέρως ἧττον*. Cf. etiam Weihrauch in Philolog. XXX p. 631 sq., Muther *Sequestration und Arrest* (1856) p. 6 sqq.

11) *Seorsum* Corn. III, 4. 7 *in dicendo seorsum tractandum est hoc ab illo*; Cic. rep. 6, 1, 1 *eaque dissensio civium. quod seorsum eunt alii ad alios*, *seditio dicitur*; num altero quoque loco hoc adverbio usus sit Cicero (fragm. Oecon. ap.

Col. XII, 3 *tum iam seorsum arma ac tela seponebantur*, Bait.-Kays. vol. XI p. 52) nequit dignosci, cum liceat dubitare, utrum haec ipsius Ciceronis an potius Columellae sint verba; certe in posterioribus libris Cicero constanter dicit *separatim*. Cf. Neue II² pag. 637.

Ex *praepositionibus* unam affero:

Pone apud Corn. IV, 10, 14 *pone scaenam et in eiusmodi locis exercitata*; semel usus est hac praepositione Cicero: Tim. 10 *pone quos aut ante labantur*; ceteroqui dixit *post*. Cf. Antibarb. pag. 879; Hand Turs. IV p. 478 sqq.; Draeger synt. hist. I² pag. 599, qui vocem illam esse sermonis plebei recte videtur coniecisse; Ammian. 29, 5, 47. 15, 10, 4. 25, 1, 18 et 3, 2.

Postquam quibus artibus usi sint ii, qui Ciceronis aetate perpoliendae linguae latinae curam impendebant, cognoscere et, quid singulis litterarum latinarum aetatibus in usu fuerit, enodare studuimus, eam quae superest materiam secundum vulgaris grammaticae distributionem ad finem perducemus. Et de formarum quidem doctrina pauca, aliquanto plura de syntaxi videntur memoranda; ad extremum capita quaedam selecta ex vocabulorum formatione proponemus.

Caput II.

De vocabulorum formis.

§ 1. De nominibus.

Cum ea, qua Cornificius rhetorica ad Herennium scribere coepit, aetate aureae quae dicitur latinitatis formae ex priscorum scriptorum formis paulatim excultae fuerint et accuratius constitutae, ac ne ipsius quidem priscae latinitatis formae longe distent a probatissimorum scriptorum usu, tamen et apud Cornificium et apud Ciceronem in libris iis, quos primos publici iuris fecit, paucae quaedam inveniuntur formationes, quae plane abhorreant ab accuratioribus et severioribus iis, quibus in posterioribus scriptis usus est Cicero. Hae fere omnes derivatae sunt ad aliorum vocabulorum simi-

litudinem. quam formandi rationem vulgaris maxime sermonis propriam esse constat. Formae enim illae, quae essent rarae vel cum grammaticorum regula discrepare viderentur, in cotidiano dicendi usu commutatae sunt ad similitudinem earum, quae cum communem sequerentur regulam pervulgatissimae et in omnium ore erant. Contra Cicero cum constituendo sermoni urbano operam impenderet, ex compluribus eiusmodi formis eam plerumque legitimam ac sollemnem esse statuit, quae rarior esset.

Pauca monenda sunt a) de nominum declinatione.

1) *Die* gen. sing. Corn. II, 4, 7 *tempus ita quaeritur: quo anni, [qua hora,] noctu an interdiu, qua die qua noctis hora factum esse dicatur*, cf. Neue I² pag. 375 sqq. et inprimis pag. 379. Koehler act. Erl. I pag. 390.

2) *Pernicii* gen. sing. Cic. Rosc. Am. 45, 131 *quorum nihil pernicii causa divino consilio, sed vi ipsa et magnitudine rerum factum putamus*, ubi *pernicii* exhibent editores nisi maxime auctoritate Gellii (9, 14, 19) et Nonii (pag. 486 M): cf. Neue I² pag. 376 sq. et inprimis Hellmuth act. Erl. I pag. 109.

3) *Res*, quae forma genetivi singularis munere fungatur, in Cornificii editionibus ut nunc feruntur non invenitur: neque adsentiar Sieversio, cum in Mus. Rhen. vol. XXVIII p. 579 sq. ex auctoritate codicis Herbipolitani eam vindicandam statuerit Cornificio locis his: II, 12, 18 *num aliquis eius rei actionem — habeat*, ubi *eius res* cod. *h*; II, 26, 41 *ei rei testimonium esse quod etc.*, ubi *eius rei* codd. *n t*, *ei res* cod. *h*, quod corruptum videretur ex *eius res*. Licet enim tertio quoque loco ex eiusdem codicis *h* fide reponi posse videatur forma *res*: IV, 34, 45 *aliquando rei publicae rationes — virtute optimatium revirescent*, ubi *res publicas* cod. *h*, *res reip.* *ρ*² ³, *resp.* codd. *oRPμ*, tamen cum ne apud Plautum quidem ceterosque prisci sermonis auctores certa huius formae vestigia exstent, non dubito quin haec codicis *h* lectio ex perversa sollemnis notae *r. p.* interpretatione originem duxerit: itemque illis locis errorem potius eius agnoverim qui codicem Herbipolitanum exaravit.

4) *Alio* dativus masc. sg. Corn. II, 13, 19 *ut aliud alio iudici — placitum sit* (ubi *alii* codd. *φ v c*2) et ipse parvam habet fidem, secundum ea quae Luchsius in Studemundi 'Studiis' I p. 331 sqq. exposuit, apud quem tamen, ut apud Neuium II[2] pag. 217, hunc locum Cornificianum desidero; exemplis a Neuio congestis adde Sen. de benef. 4, 32, 3 p. 82, 26 Gertz (lectione maxime dubia) et *de rebaptism.* 4 pag. 74, 17 Cypr. ed. Hartel. III *alio homini*[1]).

5) *Totae* (dat. sg. fem.) Corn. IV, 48, 61 *non enim res tota totae rei necesse est similis sit*; cf. Neue II[2] pag. 253 sqq. Koffmane pag. 195.

Aliis locis Cornificius usitatis utitur formis, velut *alteri* (dat. sg.) II, 19, 29 *ut alteri bestiae noceant* (vix enim hoc loco e codicis *h* lectione *altera* restituendum est *alterae*, quod in maiore solius Cornificii editione duce Halmio dederat Kayserus); III, 5, 8: *alii* (dat. sg.) II, 4, 6. 13, 19. 24. 37. III, 23, 38. IV, 20, 27; *nulli* (dat. sg.) IV, 17, 24.

Cicero, apud quem prioris illius generis formationes in ipsis primis quos scripsit libris prorsus desunt, constanter dixit *alii toti* etc.; velut *alii* inv. I, 8, 11. 9, 12. 22, 32. II, 1, 3. 7, 24. Itaque Ciceronem Quinct. 1, 5 *quod si tu iudex n u l l o p r a e s i d i o fuisse videbere etc.* non dativum, sed ablativum intellexisse censebimus, itemque Cornificium II, 11, 16 *nos vero arbitramur non modo n u l l o a d i u m e n t o esse, sed potius m a x i m o i m p e d i m e n t o,* quamquam contradicit Hellmuth act. Erl. I pag. 111 sq. (cf. Neue II[2] pag. 256).

6) *Celebris* (nom. sg. masc.) Corn. II, 4, 7 *locus quaeritur celebris an desertus — sit*; cf. Neue II[2] pag. 9; Koffmane pag. 29 sq.

7) *Haec* (nom. plur. fem.) Corn. II, 22, 34 *haec* (id est *cupiditates*) *pariunt avaritiam*, III, 23, 38 *quantulum enim haec (verborum imagines) poterunt valere.* IV, 21, 29 *haec sunt adnominationes quae etc.*, IV, 30, 41 *haec (Philoctetae sagittae) nihil aliud autem fecerunt nisi Alexandrum perculerunt*: Cic. inv. I, 28, 43 *res haec quas commemoravimus* (ubi *haec* p v[1],

---

[1]) Loco illo, quem affert Koffmane, *lexicon lateinischer wortformen* pag. 10, Pl. Stich. 1, 2, 13 *alio* adverbium est = *aliam in domum*.

hae s, ceteri *eae*). Cf. Neue II² pag. 207 sq.; Koffmane pag. 86.

b) Ut eos, qui primo a. Chr. n. saeculo constituendo sermoni operam dabant, ex duabus vocibus idem significantibus saepe alteram retinuisse, alteram abiecisse supra demonstravimus, idem illi quidem solebant facere, cum unius nominis duae exstabant nominativi singularis formae. Velut

1) ex duabus formis *gladium* et *gladius* illam improbavit Cicero, hanc in sermonem suum recepit. De forma *gladium* vid. Varr. l. l. 9, 49, 81; reprehendit eam Quintil. 1, 5, 16 his verbis: *gladia qui dixerunt genere exciderunt*. Legi nominativum *gladium* apud Lucil. frgm. inc. v. 85 pag. 143 M; Corn. IV, 19, 26 *gladium ad corpus adferri videtur*, ubi *gladium* cod. *e*, rell. *gladius* (ceteris quibus hoc vocabulo utitur Cornificius locis nominativi forma dignosci nequit: *gladio* I, 11, 18 bis. IV, 52, 65; *gladium* acc. IV, 52, 65); Varr. l. l. 5, 24, 116. 8, 23, 45. r. r. 1, 48, 3; gl. Labb. *gladia* ξίφη. Cf. Neue I² p. 535, Koffmane pag. 83, Stuenkel pag. 8, Mueller de priscis verborum formis Varronianis pag. 40. Cf. *gladiola* Messall. apud Quintil. 1, 6, 42.

2) *Testum* (apud probatissimos scriptores *testa*) est apud Cat. r. r. 76, 2. 76, 4. 84, 2; Corn. IV, 6, 9 *cum testo ambulans*, IV, 53, 67 *testum — non reliquit*; Plin. n. h. 30, 13 (39), 114. 32, 7 (26), 81; Petron. 136; Sulpic. Sev. chron. 2, 2; cf. vocem Italicam recentem *testo*. Praeterea in usu fuit forma *testu*, ablativus nominativi sive *testus* sive *testu*: Cat. r. r. 74. 75; Afran. v. 420 pag. 219 R; Mumm. com. 1 pag. 273 R; Ovid. fast. 2, 645. 5, 510; cf. Neue I² pag. 315 sq. 350; Koffmane pag. 193.

His adiungimus, quae de usu pronominum indefinitorum *quis* et *qui* Cornificiano, ubi coniuncta sunt cum particula *si*, investigavimus. *Si qui* enim scripsit Cornificius constanter, cum sequitur littera *s*: III, 5, 8 *si qui suadebit* (sic recte Klotzius); III, 19, 32 *si qui satis*; IV, 6, 9 *si qui se*; IV, 19, 27 *si qui spei*; IV, 48, 61 *si qui sibi*; item III, 12, 21 *si qui splendor*, ubi *qui* adiectivi munere fungitur. Contra quotienscumque alia atque *s* sequitur littera consona aut lit-

tera vocalis, non minus constanter Cornificius ait *si quis*, velut II, 20, 32 *si quis hoc modo* bis; IV, 6. 9 *si quis purpuram*; IV, 31, 42 *si commode quis eo*; ib. *si quis cum*; ib. *si quis de*; IV, 32, 43 *si quis Tarpeium*; ib. *si quis Libero*; IV, 33, 44 *si quis ei*; IV, 34, 46 *si quis Drusum*; ib. *si quis hominem*; IV, 38, 50 *si quis dixisset*; IV, 47, 60 *si quis in* etc. etc. Unus huic regulae obstat locus III, 19, 31 *si qui multa* (ubi *si qui* h e π a, *si quis* ceteri codd.), quo loco forma *qui* posita est ante *m* litteram; sed cum reliqui omnes loci congruant cum regula illa, equidem non dubito quin hic quoque emendandum sit *si quis multa*; neque tamen silentio praetereundum est altero quoque loco in codice *h* formam *qui* exstare ante litteram *m*: IV, 32, 43 *si quis Macedonas*, ubi *qui* h.

Adicimus comparativos et superlativos aliquot, qui rarius inveniuntur apud aureae aetatis scriptores (Neue II² pag. 133 sqq.):

Conducibilis comp. Corn. II, 14, 21 || *consceleratus* sup. Cic. Rosc. Am. 24, 67. Catil. III, 16 || *ignavus* sup. Cic. inv. I, 49, 92 || *immanis* comp. Cic. Rosc. Am. 26, 71 || *infans* sup. Corn. II, 11, 16 || *litteratus* sup. Corn. IV, 4, 7 || *truculentus* sup. Corn. IV, 8, 12.

Imus superlativus nunc bis legitur apud Ciceronem Rosc. com. 7, 20 *ab imis unguibus usque ad verticem summum* (cf. Hellmuth act. Erl. I p. 109 sq.) et ep. Brut. 1, 6, 4 *ad imam Candaviam*; praeterea constanter *infimus*. Formam *infimus* bis deprehendi apud Cornificium IV, 9, 13. 10, 14. qui etiam altera utitur forma *imus*: III, 14. 25 *ab imis faucibus*, III, 18. 30 *utrum ab summo an ab imo an a medio nomina eorum dicere incipiamus*, IV, 33, 45 *anhelans ex imis pulmonibus prae cura spiritum ducebat*; cf. Neue II² pag. 109.

§ 2. De verbis.

Erint (= *erunt*) legi apud Corn. III, 2, 2 (ubi cod. *p*¹ *erint*, codd. *h ϱ*¹ *erit*), III, 21, 34 (ubi *erint* cod. *p*¹); cf. Neue II² pag. 596. Hanc autem formam praecipue in cotidiano sermone usitatam fuisse inde videtur apparere, quod saepe legitur in Italae codicibus: cf. Roensch p. 521.

Confieri Cic. inv. II, 56, 169 *quod — confieri atque ad exitum perduci potest* (ubi *confieri* cod. g et Halmius); quamquam idem dixit *confici* inv. I, 16, 21. 27, 41. 42, 79. 47, 88. II, 12, 40. 56, 169 etc., qua forma Cornificius quoque usus est I, 4, 7. Cf. Neue II² pag. 611 et praeterea Colum. 11, 3, 51.

Ex *verbis deponentibus* permulta, cum apud Ciceronem induta sint forma passiva, apud priscos scriptores activam habere formam pervulgatum est; cf. Stuenkel l. l. pag. 9 sq.; Ludwig, *de Petronii sermone plebeio* pag. 25; Rebling pag. 21 ad Sen. suas. 5, 8 *hortavit.* Ego exscribenda putavi exempla haec:

1) *Adsentio* post Plautum Accium Pomponium Sisennam Cicero quoque interdum dixit: cf. Neue II² pag. 270 sq. Koffmane pag. 17. Osann ad Cic. de rep. 3, 47. Antibarb. p. 170 sq. Georges in lexico. Hellmuth act. Erl. I pag. 118. Koehler ibid. pag. 391.

2) *Pervago* semel legitur apud Corn. III, 22, 37 *pervagemus* (ubi *pervagemus* ex primae familiae codd. praebent *ph*); cf. gl. Labb. *pervago pervagor περιφέρομαι.* Saepius inveniuntur apud priscos scriptores verbum simplex *vago* et complura alia eiusdem verbi composita; cf. Neue II² pag. 327. Koffmane pag. 200 sq.

3) *Ludificare* Cic. Quinct. 17, 54 *latitare ac diutius ludificare*; cf. Neue II² pag. 294 sq. Koffmane pag. 108 sq. *Ludificari* sensu activo dixit Cicero Rosc. Am. 20, 55 *ludificari et calumniari.*

Notionem passivam habent verba deponentia haec:
4) *Dignari* apud Cic. frgm. 3 Oecon. p. 50 K *hominum qui apud nos hoc nomine dignantur,* inv. II, 39, 114 *qui — tali honore dignati sunt,* II, 53, 161 *per quam homines cultu quodam dignantur,* de or. 3, 7, 25, or. 19, 64; cf. Neue II² pag. 282 sq. Koffmane pag. 54. Draeger I² § 248, 5. Adde Augustin. conf. 3, 12.

5) *Complecto* verbi participium perfecti passivo sensu adhibitum est a Cicerone Rosc. Am. 13, 37 *quo uno maleficio scelera omnia complexa esse videntur*; ceteris Ciceronis locis omnibus, quibus olim verbi *complecto* edebantur formae,

nunc restitutae sunt formae verbi *compleo*; cf. Tusc. 5, 14, 40. Neue II² pag. 312 sq. Koffmane pag. 37; addantur: Curio apud Prisc. vol. I p. 385, 1 H et Cypr. ep. 21, 1 p. 530, 12 H *complectamus*. Cornificius ait *complecti* activo sensu II, 29, 46. IV, 14, 20, item Cicero inv. I, 40, 73.

6) *Sequi* sensu passivo pronuntiatum esse apud Cornificium III, 3, 5 Neuius putat II² pag. 320. Verba haec sunt: *ostendemus res magnas et celsas sequi et appeti oportere*; equidem potius crediderim coniuncta esse hoc loco duo verbi genera activum (*sequi* scil. homines) et passivum, quae res apud Cornificium concinnitatis non nimis studiosum vix quicquam habet miri.

Ex contrario verba quaedam, quae activam habere solent formam, praeferunt deponentialem:

7) *Punior* apud Cic. inv. II, 22, 66 *per quam peccata punimur* (ubi *punimur* Par. m. pr., *punimus* Angelom. et Tross.); II, 27, 80 *id peccatum, quod sponte sua reus punitus sit*; II, 28, 83 *demonstrando reum se punitum* (*reum* recte delet Kayser); cf. Neue II² pag. 316. Koffmane pag. 158. Cornificius IV, 10, 15 dixit *poenite igitur istum* (si modo vera est Baiteri coniectura), item *puniri* passivo sensu legitur Cic. inv. I, 13, 18.

8) *Miseretur (me) alicuius* apud Cic. inv. I, 30, 48 *ut supplicum misereatur*; in posterioribus libris Cicero ait *miseret me alicuius* aut *misereor alicuius*; cf. inv. I, 56, 109; item Corn. I, 14, 24. Cf. Neue II² pag. 620 sq. Koffmane pag. 118.

9) *Iuratus sum etc.* apud Corn. II, 26, 41 *ita ut iuratus fuerat*; Cic. inv. II, 43, 125 *quid scriptum sit, — quid iuratus* (sc. *sit*) *iudex*; II, 43, 126 *quid iuratus sit*; II, 45, 131 *in quam iurati sitis*; participium *iuratus* apud Corn. IV, 24, 33. Cic. inv. I, 30, 48. 39, 70. Cf. Neue II² pag. 336.

§ 3. De adverbiis et de gradibus comparationis.

a.

Adverbiorum in *e* exeuntium nonnulla memorabilia sunt:

1) *False* Sisenn. pag. 299, 14 P. Cic. inv. II, 11, 36 (ubi *false* codd. p s v n; idem dixit *falso* inv. I, 43, 81. II,

11. 37). Cf. Neue II² pag. 645. Koffmane pag. 72 sq.: adde Cassiodor. in psalm. 63. 10 *false*.

2) *Necessarie* Cic. inv. I. 29, 44 bis. II, 2. 4: idem *necessario* inv. I, 3. 4. 29. 45 etc., qua forma semper utitur Cornificius. Cf. Neue II² pag. 649 sq. Koffmane pag. 123: adde Cypr. de domin. orat. 25 pag. 285. 25 H: inc. auct. ad Novat. 3 pag. 55, 20 H: 11 pag. 62, 12 H. Ceterum de usu *necessario* adverbii post Catonem a Cornificio, Cicerone iuvene, posterioribus scriptoribus ad gerundia gerundivave adiecto acturus est G. Landgrafius in act. Erl. vol. II.

3) *Perpetue* Corn. IV, 56, 69 *firme et perpetue meminerimus* (quem locum Kayserus uncis inclusit): Neue II² pag. 645.

4) *Rare* Corn. III, 8, 15 *eo quod rare accidit in vita*. IV, 17, 25 *sententias interponi rare convenit*: idem dixit *raro* I, 12, 22 etc. Cf. Neue II² p. 645. Koffmane p. 163. Stuenkel p. 57. Cicero dixit *raro* et *perraro*, nusquam *rare*; itaque cum Charisius p. 217, 8 K adnotet *rare Cicero, ut Maximus notat*, Statilium Maximum ipsum, qui fere circa annum ducentesimum post Chr. n. *de singularibus apud Ciceronem positis* scripsit, Cornificii libros Ciceroni falso adscripsisse veri non est dissimile; idem videtur suspicari Hoppe. *zu den fragmenten und der sprache Ciceros*, progr. Gumbinn. 1875 p. 1.

5) *Tute* Corn. III. 5, 9. 7, 13. IV, 43, 55. Cf. Neue II² pag. 648. Koffmane pag. 198 et Vulg. 2 par. 16, 1.

Praeter formam *permixte* (inv. I, 22, 32) Cicero semel usus est forma *permixtim* inv. I, 30, 49 (ubi *permixtim* codices optimi praebere videntur, *permixti* vel *permixte* deteriores). Cf. Neue II² pag. 663.

Suffixo -*iter* formata sunt adverbia haec:

1) *Audaciter*, de qua adverbii forma cf. Quintil. 1, 6, 17; Charis. 2, 13 pag. 185, 23 K; Priscian. 15, 4, 21. Prisciani secuti auctoritatem editores apud Cic. Rosc. Am. 36, 104 scripserunt *audaciter*, quamquam libri ad unum omnes et hoc loco et aliis duobus eiusdem orationis (11, 31. 40, 118) praebent *audacter*. Cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 115. Neue II² p. 661 sq. Koffmane p. 19; adde Corn. III, 11, 19 (ubi *audaciter* cod. *v*, rell. *audacter*), IV, 20, 28 (ubi *audaciter* ex

primae familiae codd. *hep*[1] *π*), Cypr. ep. 63, 1 p. 702, 1 H. inc. auct. ad. Novatian. 5 p. 56, 26 H.

2) *Duriter* Corn. IV, 10, 15 *verbis — duriter aliunde translatis*; cf. Neue II² p. 653. Koffmane p. 61. Draeger § 63 et Vulg. sap. 23; gl. Labb. *dure duriter* σκληρῶς. Cicero dixit *dure* Phil. 12, 10, 25.

Nonnulla addimus adverbia, quae a probatissimis scriptoribus formari non solent:

1) *Idonee* Cic. inv. I, 15, 20 *oratio animum auditoris idonee comparans*; Apul. met. 4, 28. Videtur mihi in Iurisconsultorum sermone adverbium male sonans *idonee* sollemnem suum locum et antiquitus habuisse et diu servasse: cf. Pompon. dig. XXXIX, 2, 41; Gai. dig. V, 3, 41 pr.; id. ib. L, 16, 234 § 1; Ulp. 12, 4. id. dig. XVII, 1, 8 § 6; id. ib. XXVII, 8, 1 § 17; XXXII, 11, 15; id. ib. XL, 5, 2. 5, 4 § 8 quater; cod. Iust. II, 44 (45), 1; VIII, 3, 1; VIII, 51, 3; inst. Iust. 1, 24 § 2.

2) *Nove* Pl. Epid. 2, 2, 38; Corn. I, 9, 15 *ne quid nove dicamus*; Sen. controv. 1, 4; Gell. 17, 2, 13. 19, 7, 2; Apul. dogm. Plat. 3; cf. Charis. I p. 116, 8 K.

3) *Nugatorie* ἅπαξ εἰρ. Corn. IV, 36, 48 *tenuiter et nugatorie responsum*.

Adverbiorum comparativos et superlativos minus usitatos exscripsimus hos:

1) *Impunius* Cic. Quinct. 3, 11 *quo impunius dicax esset*. Cf. Neue II² pag. 690.

2) *Nuperrime* Corn. I, 6, 10 *quod ille nuperrime dixerit*. III, 10, 18. Cic. inv. I, 17, 25. Cf. Neue II² pag. 690.

Enumeramus in fine huius capitis ex Cornificio et ex primis Ciceronis libris adverbia ea a participiis perfecti temporis derivata, quae raro inveniuntur per omnes litterarum latinarum aetates: *commutate* Corn. IV, 42, 54 ‖ *confirmate* Corn. IV, 11, 16 ‖ *conquisite* Corn. II, 31, 50. Afran. Gell. ‖ *descripte* Cic. inv. I, 30, 49 ‖ *electe* Cic. inv. I 30, 49; *electius* Gell. ‖ *implicite* Cic. inv. II, 23, 69.

b.

Denique subiungimus participia ea et praesentis et per-

fecti temporis, quorum apud Cornificium et in primis Ciceronis libris invenimus gradum comparativum et superlativum, nec tamen omnia, sed ea tantum, a quibus rarius illae formae derivantur (cf. Neue II² pag. 119 sqq. Draeger I² pag. 29 sqq.): *confidens* sup. adv. Corn. II, 5, 8 || *egens* sup. Cic. Rosc. Am. 8, 23 || *fervens* sup. Corn. IV, 15, 21 || *patens* comp. adv. Cic. inv. II, 23, 69 || *persequens* sup. Corn. II, 19, 29 || *absolutus* sup. Corn. II, 18, 28. 19, 30. IV, 19, 26; adv. Corn. II, 19, 28 || *accumulatus* sup. adv. Corn. I, 17, 27 || *apparatus* comp. Corn. IV, 9, 13. Cic. inv. I, 34, 58 || *appositus* sup. Cic. inv. I, 14, 19 (*appositissima* rectius, ut videtur, Orellius cum codicibus optimis, *potissima* Kayser) || *attenuatus* sup. Corn. III, 14, 25. IV, 41, 53 || *confirmatus* comp. Corn. II, 7, 10. Cic. inv. II, 11, 35 || *depressus* sup. Corn. III, 14, 24 || *distinctus* comp. adv. Cic. inv. I, 28, 43. II, 3, 11. 29, 89 (spurium ducit Kayser) || *distributus* comp. adv. Cic. inv. II, 59, 177 || *exornatus* sup. Corn. IV, 47, 60 || *invictus* sup. Corn. IV, 53, 66 (hunc superlativum habet Plaut. Mil. 57) || *lectus* comp. Cic. inv. I, 31, 52; sup. Corn. IV, 26, 36. Cic. inv. I, 31, 52. Quinct. 2, 5 || *notatus* comp. Corn. III, 22, 37; id. in eadem paragr. dixit *maxime notatas* || *perfectus* sup. Corn. II, 18, 28. IV, 56, 69 (usum sollemnem huius superlativi in vita publica aetatis imperatorum praetereo) || *perpolitus* sup. adv. Corn. IV, 32, 44 || *perquisitus* comp. adv. Cic. inv. I, 41, 77 || *pervagatus* comp. Cic. inv. II, 14, 47 || *pervulgatus* sup. Corn. IV, 8, 11 || *remotus* sup. Cic. inv. I, 33, 56. 53, 102. II, 11, 36 || *sedatus* sup. Corn. III, 14, 24 || *separatus* comp. adv. Cic. inv. II, 51, 156 || *tectus* comp. Cic. Rosc. Am. 36, 104.

Caput III.

De syntaxi.

§ 1. De casibus.

a. de accusativo.

Cum prisci scriptores praeter *potiri re* et *potiri rei* etiam *potiri rem* dixissent, haec structurarum ubertas paulatim cer-

tioribus circumscripta est finibus. Accusativum enim ex hoc verbo pendere voluerunt de priscis scriptoribus hi: Naev. trag. 37 pag. 11 R; Plaut. Rud. 1, 3, 6. Curc. 1, 3, 14 (cf. Brix ad Pl. Trin. 1); Enn. ann. 78 V; Pac. 56 pag. 84 R, id. 217 pag. 103. id. 289 pag. 113; Caecil. Stat. 109 p. 54 R; Ter. Adelph. 5, 4, 17. 22; Turpil. 146 pag. 103 R: Acc. 40 pag. 141, id. 590 pag. 212; inc. inc. trag. 51 pag. 242 R (cf. Corn. II, 26, 42): Sisenn. pag. 283, 16. 296, 12 P. Eandem constructionem in Cornificii libris bis deprehendi: IV, 39, 51 *at inimici statim sanguinolentam palmam, crudelissimam victoriam potiti* (ubi *palmam* codd. *he* π, *palma* rell.; *uictoriam* cod. *h*, *uictoria* rell.); IV, 44, 57 *amisit animam, potitus est gloriam* (*gloriam* codd. *p* π μ[1] *k f r c b*, rell. *gloria*), quo loco accusativus nescio an simul rhetoricae concinnitatis causa positus sit. Contra in aureae aetatis prosa oratione *potiri* verbum deponens cum accusativo non iam coniungitur nisi a scriptoribus quibusdam, quos vulgari usos esse sermone constat, auct. b. Afr. 36. 39. 68. 87. 89. auct. b. Hisp. 16; certe apud Ciceronem et Nepotem, ubicumque olim accusativus circumferebatur, nuper aut ablativus aut genetivus plerumque ex codicum manuscriptorum fide restitutus est (cf. Wesenberg in Baiteri et Halmii editione ad Cic. Tusc. 1, 37, 90: praeterea vid. fat. 7, 13. off. 2, 23, 81; Lupus, *der sprachgebrauch des Cornelius Nepos* pag. 72, ad Nep. Eum. 3, 4). Usurpatur tamen haud ita raro a probatissimis quoque scriptoribus huius verbi gerundivum *potiendus*; exempla collegit Neue II[2] pag. 264. — Ex aureae aetatis poetis Lucretius *potiendi* verbum cum accusativo coniunxit: 2, 653. 3, 1038. 4, 760 sq. (cf. Holtze. synt. Lucr. lin. pag. 37); ex posterioris aetatis scriptoribus eadem structura usi sunt e. g. hi: Tac. ann. 11, 10: Apul. met. 10, 35. flor. 2, 15: Gell. 13, 1, 5: Iustin. 6, 4, 8. 9, 7, 12. 12, 7, 10 (cf. Draeger I[2] pag. 570. Antibarb. pag. 892. Koehler act. Erl. I pag. 432).

Praeter accusativum apud Cornificium *potiri* vel *potitum esse* genetivum quoque habet: IV, 25, 34 *Atheniensium potiti sunt Spartiatae*. IV, 32, 43 *non tam cito sarissae Graeciae potiti sunt*: quam structuram quamquam ne optimi quidem

scriptores prorsus evitarunt, tamen intra certarum quarundam locutionum fines substiterunt, velut *rerum, regni potiri* (cf. Cic. Rosc. Am. 25, 70 *prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita*[1]) *est, fuisse traditur*). Nec minus tertia illa apud Cornificium exstare dicitur constructio IV, 54, 68 *statim potitur Abydo*[2]). Itaque cum apud Cornificium tres pariter structurae vel saltem duae permixte adhibeantur, ex prioris sermonis copia arbitrio vel iudicio eorum qui saeculo ante Chr. n. primo perpoliendae linguae operam navabant, magna orta est inopia.

Verbi *persuadere* activum ex priscae aetatis scriptoribus Ennius cum accusativo coniunxit fr. inc. libr. 4 V *quis te persuasit*. Haec constructio in aurea latinitate nusquam occurrit; ex prosae orationis auctoribus participio perf. pass. *persuasus* (h. e. *is cui persuasum est, qui persuasum aliquid habet*), usi sunt hi: Corn. I, 6, 9 *cum animus auditoris persuasus esse videtur*, 6, 10 *si persuasus auditor fuerit*: Caecin. ap. Cic. fam. 6, 7, 2 *si scit et persuasus est*; auct. b. Afr. 55 *Caesarisque nomine persuasi*. Ex his igitur scriptoribus unus eo floruit tempore, quo sermo urbanus nondum satis erat excultus, alter Ciceronis auctoritatem non videtur secutus esse, tertius plebeio usus est sermone. Apud Ciceronem olim structura illa semel legebatur Tull. 16, 39 *reciperatores persuaderes*, quem locum equidem Beierum recte emendasse arbitror, cum scriberet *reciperatoribus persuaderes*. Ciceronem enim etiam participio perf. pass. idque in ipso priore de inventione libro de industria prorsus abstinuisse luculenter apparet ex loco inv. I, 17, 23 *si — ab iis, qui ante dixerunt, — auditori persuasum videtur* cum illis Cornificii locis comparato. — Reliqua exempla, quibus *persuadere* constructione transitiva profertur, cum accurate congesserint Neue II²

---

1) De ea quam *potiendi* verbum hoc loco habet significatione vid. Halmium ad h. l.; Heraeum ad Tac. hist. 3, 74.

2) Sed cum optimi codices hoc loco praebeant *abaditem* p¹ π, *adabitem* h e, fortasse restituendum est *Abydi. item sqq.* (quod fere habent bl² c g). Quod si recte conieci, deest apud Cornificium tertia verbi *potiri* structura, qua cum ablativo coniungitur.

p. 261 [1]) et Koehler act. Erl. I pag. 392 sq., ipsi hoc negotio supersedemus; cf. etiam Draeger I § 99. Holtze I pag. 271. Krueger gramm. lat. § 358 adn. 2.

Apud Cornificium semel legitur II, 17, 26 *causa — non visa est supersedenda*; omnibus reliquis locis idem *supersedere* secundum grammaticorum regulam coniunxit cum ablativo (II, 19, 30. 22, 34. III, 9, 17), nec minus constanter Cicero, velut inv. I, 20, 28. 21, 30. 40, 72. II, 19, 57. Denuo *supersedere* transitive usurpatum est a Gellio et Apuleio (cf. Neue II² pag. 260).

Antecello, quod verbum apud optimos scriptores dativum habet casum (velut Cic. inv. I, 4, 5 *ipsis hominibus antecellat*), inde demum ab argentea aetate apud Valer. Max., Plin. mai., Sen., Tac. cum accusativo coniungitur, passivum autem huius verbi iam Cornificius II, 30, 48 admisit: *qui his omnibus rebus antecelluntur*; cf. Antibarb. pag. 147. Draeger I § 99.

Quaeso, quod verbum apud priscos scriptores non raro cum accusativo construitur, probatissimi auctores plerumque aut cum *a* praepositione coniungunt ad similitudinem verbi *quaero* aut absolute ponunt; admodum raro accusativum ex eo pendere volunt, ut Cic. Rosc. Am. 4, 11 *te —, M. Fanni, quaeso,* Brut. et Cass. ap. Cic. fam. 11, 3, 4 *deos quaesumus.* Hae formulae et inprimis altera *deos quaeso* videntur quasi sollemnes remansisse; saepe enim deprehenduntur apud priscos scriptores: Plaut. Merc. 4, 1, 12 *Apollo, quaeso te, ut des pacem propitius.* Aul. 4, 2, 4 *te quaeso, — Fides* (itaque haec quoque formula maxime in deorum invocatione sollemnis erat). Capt. 2, 2, 90 Fleckeis. (*te* deest apud Brixium). ib. 2, 3, 72. Bacch. 4, 4, 94. Rud. 3, 2, 15. Trin. 1, 2, 152; item *quaeso deos* Naev. com. 95 pag. 23 R, Plaut. Cas. 2, 6, 37. 44. Rud. 2, 6, 15; Ter. And. 3, 2, 7. Ad. 2, 4, 11. 3, 1, 11, et postea apud Curt. 6, 5, 3. — Unus Sallustius ex aureae aetatis prosae auctoribus aliquotiens hac verbi constructione praeter locutiones duas quas supra commemoravi usus est (cf. indicem a Dietschio confectum). Cf. Antibarb. pag. 963. Holtze I pag. 284. Cf. etiam Liv. 29, 27, 1/2 *divi divaeque — vos precor quaesoque.*

[1]) adde e. g. Vulg. act. 12, 20; 14, 18.

Rogandi verbum, ubi ex eo pendent duo obiecta, alterum personae alterum rei, coniungitur cum duplici accusativo tum, cum res prolata est genere neutro pronominis alicuius vel adiectivi: alioqui optimi scriptores excepta una locutione *rogare aliquem sententiam* dicere solent aut *rogare aliquem de aliqua re* aut *similiter.* At Cornificius ait *rogare aliquid ab aliquo* IV, 50, 63: *ut — ab avunculo rogetur Aethiops*; item Sall. Iug. 64, 1 *ab Metello — missionem rogat.* Cf Antibarb. pag. 1030.

Pro *facere aliquem benevolum* (quod adiectivum exempli gratia posui vel *reddere aliquem benevolum*, quibus locutionibus in posterioribus libris utitur Cicero, in libris de inventione bis dixit *conficere aliquem benevolum etc.* I, 15, 20 *si eum benevolum attentum docilem confecerit* (Cornificius ubi de eadem re loquitur I, 4, 7, dicit: *principium est cum statim animum auditoris nobis idoneum reddimus ad audiendum*, et paulo infra: *sin humile genus erit causae, (auditores) faciemus attentos*) et I, 55, 106 *animum auditoris mitem et misericordem conficere oportet.* Poteram vel debebam hunc usum *conficere* verbi supra p. 10 cum iis verbis compositis coniungere, quae pro simplicibus usurpantur.

Pergimus ad accusativos aliquot quos vocant absolutos, qui cum magis cotidiani sermonis esse viderentur, in aureae aetatis scriptorum usum rarius sunt recepti (cf. Draeger I § 2). Hi enim eiusmodi accusativos, cum non satis quadrare viderentur ad grammaticorum praecepta, plerumque aspernati sunt: manserunt tamen paucae formulae, velut *magnam, maximam partem*, similia. Nobis inprimis agendum est de *hoc genus, id genus, omne genus*: quibus locutionibus primus videtur usus esse Cato r. r. 8, 2 *hortum omne genus, coronamenta omne genus.* Apud Plautum enim et ceteros Catone antiquiores scriptores nusquam hunc loquendi usum deprehendi. immo Plautus dixit Trin. 2, 2, 13 *ad hoc genus hominum.* 2, 4, 140 sq. *genus quod — hominum.* 4, 3, 39 *id genus hominum.* Poen. 4, 2, 9 *quodvis genus — hominum* etc. Post Catonem *id genus* etc. absolute posuerunt scriptores hi: Lucil. XI, 5 pag. 56 M *id genu' rudus.* XX, 3 pag. 75

aliqua id genus herba; Cic. Att. 13, 12, 3 *aliquid id genus*; Varr. sat. Men. pag. 175. 22 R *de id genus rebus*. id. l. l. 8. 7. 108. 9, 63, 156. r. r. 1, 29, 1. 2. 1, 23. 3, 5, 11. 3, 6. 3: Lucretius (exempla congessit Holtze synt. Lucr. lin. pag. 30); Catull. 114. 3 *aucupia omne genus*: Hor. sat. 2, 6, 44 *nugas hoc genus*: Liv. semel (1, 8. 3) *apparitores hoc genus*; Petron. 71 *omne genus poma*: Suet. Aug. 75 *alia id genus*. Claud. 34 *id genus*. Tit. 7 *quinque milia omne genus ferarum*. Domit. 4 *omne genus rerum missilia*. gramm. 4 *alia hoc genus*; Gran. Licin. pag. 42 b 6 ed. Bonn. *hoc genus alia*; Front. p. 62 N *id genus*. p. 105 N *hoc genus*; Gellius teste Woelfflino *hoc genus* semel scripsit (1, 15, 20). *id genus* fere tricies (e. g. praef. 4 *in id genus libris*): Apul. met. 2, 1 *id genus pecua*. 5, 1 *id genus pecudibus*. 8. 2 *id genus viris*. flor. 1, 3 *hoc genus crimina*. 1, 9 *id genus ferramenta*. 1, 9 *poemata omne genus*. 2, 13 *id genus orationem*. 2, 14 *hoc genus alia*. 4, 18 *in auditorio hoc genus*. de deo Socr. 2. 9. 13. 15 et apol. 9. 10. 11 bis. 23. 26. 32. 36. 82 constanter *id genus*; Tertull. apol. 27 *hoc genus*; etc. In omnibus his locis *id genus* etc. coniunctum est cum substantivo aliquo vel etiam adiectivo et pronomine. Separavimus autem a ceteris locutionem *quod genus*, quippe quae fere numquam cum substantivo coniuncta sit, sed ita cum copula *esse* construi soleat, ut haec aut plane sit addita aut tacite supplenda. Et saepissime legitur *quod genus* apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris eodem fere sensu, quo ceteroqui dicitur *ut*, *velut*, exempli afferendi gratia. Legitur enim *quod genus* a) addita copula *esse*: Corn. II, 30, 48 *quod genus ei sunt, a quibus etc*. IV, 49, 62: Cic. inv. II, 52, 157 bis. 54, 162; b) omissa copula *esse* multo saepius: Corn. I, 9, 14. II, 13, 19 ter. 13, 20. 28, 45. 30, 49. III, 16, 29. 18, 31: Cic. inv. I, 17, 25. 19, 27. II, 11, 35. 22, 67. 54. 165. 57, 172; deest *quod genus* omnino in iis quarum in hoc libello rationem habemus orationibus Ciceronianis. De *quod genus* cf. etiam Lucil. III, 29 pag. 14 M: Varr. r. r. 2, 10; Lucr. (Holtze, synt. Lucr. pag. 30).

Non longe distat ab hac structura, quod *id* (*quid*, *idem*,

hoc, istuc, illuc etc.) *aetatis* scripserunt Plautus Asin. 1, 1, 56 *neque puduit eum id aetatis sucophantias struere.* Bacch. 2, 3, 109 *hoc aetatis senex.* 5, 1, 4 *hocine me aetatis.* [5, 1, 14 *me hoc aetatis*]. Merc. 2, 2, 19 *quid ego tibi aetatis videor.* Mil. 3, 1, 24 *istuc aetatis homini.* 3, 1, 64 *illuc aetatis qui sit.* Pers. 2, 4, 5 *scio ego quid sim aetatis.* Trin. 3, 3, 57 *hoc me aetatis*; Ter. Heaut. 1, 1, 58 *ego istuc aetatis*; Corn. IV, 10, 14 *hic qui id aetatis — appellatus esset* (quo loco sermo cotidianus exprimitur); Cic. inv. II, 30, 92 *cum — id aetatis — essem*[1]. Rosc. Am. 23, 64 *id aetatis duo filii.* Verr. II, 1, 26, 66. II, 2, 14, 37. II, 2, 37, 91. Cluent. 51, 141 *id aetatis filio.* de republ. 3, 29, 41 *qui id aetatis sumus.* de orat. 1, 207 *hominibus id aetatis.* Phil. 8, 2, 5 *illud aetatis.* de domo 45, 118 *id aetatis.* fam. 6, 20, 3. Att. 4, 15; auct. b. Afr. 22, 2 (in oratione Catonis); Liv. 10, 24, 6 *se id aetatis* (cf. Kuehnast synt. Liv. pag. 84); Tac. ann. 13, 16 *idem aetatis*; Front. p. 201 N *quoad aetatis*; etc. Addo *id temporis*[2] Cic. Rosc. Am. 34, 97 *ut — id temporis Romam proficisceretur.* Catil. 1, 4, 10. fin. 5, 1, 1; auct. b. Hisp. 3, 7; *idem temporis* auct. b. Hisp. 3, 1. 4. 12, 3. 13, 3. 20, 4 (Caesar semper scripsit *eodem tempore* et similia. velut b. gall. 2, 24. 7, 73). Cf. Holtze I p. 220; Koehler act. Erl. I p. 428; plura exempla collegit Draeger I § 178.

b. de dativo.

Incumbere gladio dixit Cornificius I, 11, 18 *Aiax in silva, postquam resciit, quae fecisset per insaniam, gladio incubuit*: Cicero constanter *incumbere in gladium*; cf. Antibarb. p. 574.

Sibi temperare a re legi apud Corn. IV, 18, 25 *eum sibi in contionibus credas a mendacio temperaturum*: Sen. clem. 1, 26, 4; Cels. 4, 31 (24). Aureae aetatis scriptores omise-

---

[1]) Corrigenda est igitur Kuehnastii sententia (synt. Liv. pag. 84 adn.), qui *id aetatis* formulam a Cicerone non adhiberi nisi adiecto aliquo substantivo arbitratus est.

[2]) Nonnullis scriptoribus *id temporis* idem fuisse atque *ea hora diei* et respondisse locutioni *id noctis* (cf. *hoc noctis* Plaut. Amph. 1, 1, 159, Apul. met. 1, 15), ita ut *tempus* in certis formulis *diem* significaret, docuit me Woelfflinus.

runt *sibi*, velut Caes. b. gall. 1, 7, 4 *temperare ab iniuria*, qua eadem structura usus est Corn. II, 19, 29 *cui mirum videbitur istum a maleficio propter acerrimam formidinem non temperasse?* (*sibi*, quod codd. omittunt, addiderunt Osann et Kayser in ed. Cic.). Cf. Antibarb. pag. 1128.

Antistare verbum Cicero cum dativo personae et ablativo rei coniunxit inv. II, 1, 2 *omnibus antistiterunt viribus* (altero quo hoc verbum apud Ciceronem legitur loco rep. 3, 18, 28 absolute dictum est), qua eadem constructione usi sunt Claud. Quadr., Nep., etc. Alii scriptores dicunt *antistare aliquem aliqua re* (ita Mela et Apuleius) vel *in aliqua re* (ita Metell. Numid.). Exempla accuratius collegimus supra p. 38 sq.

c. de genetivo.

Primum complures ex Cornificii praecipue libris dicendi formulae, quae in optimae notae scriptorum usum aut raro aut omnino non sunt receptae, ad sollemnem Iurisconsultorum sermonem referendae sunt. Huius modi est *agere* cum genetivis *furti*, *iniuriarum* etc.[1]), et *arcessere* cum genetivis *capitis*, *maiestatis* coniunctum. Quae locutiones quamquam apte ad aliarum similitudinem referri poterant, velut *accusare aliquem furti* etc., tamen optimi scriptores planius et accuratius sententiam exprimere sibi videbantur addito vocabulo aliquo velut *crimine*, *iudicio*, *nomine*, similibus (cf. e. g. Cic. Cael. 7, 16 *ut — ipse alterum ambitus crimine arcesseret*, praecedit *ambitus alterum accusaret*; off. 2, 14. 51 *ne quem umquam innocentem iudicio capitis arcessas*: cf. etiam Verr. II, 2, 58, 142). Inveni autem *agere furti*, *peculatus* apud Corn. I, 12, 22 *secum furti agi, non peculatus oportere*; item *furti agere* Cic. fam. 7, 22; *agere iniuriarum* Corn. I, 14, 24 *cum eo Accius iniuriarum agit*; Cic. inv. II, 20, 59 *agit is, cui manus praecisa est, iniuriarum*; Quintil. 3, 6, 19; *agere mandati* Corn. II, 13, 19 *M. Drusus praetor urbanus, quod cum herede mandati ageretur, iudicium reddidit*. Simili modo legitur *arcessere capitis* apud Corn. I, 11, 18 *Teucer — inimicum fratris cum gladio*

---

[1]) Permultos eiusmodi locos et apud Gaium et apud ceteros iurisconsultos exstare res est notissima; quorum singulos locos enumerare supervacaneum duxi.

cruento videt, capitis arcessit; Cic. inv. II, 31, 97 *tamen quidam (eum) capitis arcessierunt.* Deiot. 11, 30; Sall. Iug. 73, 5; *arcessere maiestatis* Corn. I, 12, 21 *arcessitur Caepio maiestatis.* I, 15, 25 *(C. Popilius) arcessitur maiestatis*; Cic. inv. II, 17, 52. 24, 74; Nigid. Fig. apud Gell. 19, 14, 8; Tac. ann. 2, 50. Semel, ni fallor, deprehenditur *iniuriarum satisfacere* apud Corn. IV, 27, 37 *deinde quod iniuriarum satis fecisti L. Labeoni, nihil ad hanc rem pertinere puto.*

Apud priscos scriptores non secus atque apud Cornificium et Ciceronem in libris de inventione et in epistulis *quoad* aliquotiens coniunctum est cum genetivo *eius* pronominis neutrius. Postea haec constructio cum a grammaticorum praeceptis abhorreret, adeo extrusa est ex sermone urbano, ut in solo sermone cotidiano vigeret. Legi autem *quoad eius* apud Cat. r. r. 32, 1. 33, 1 (cf. Dietze, de serm. Caton. p. 26); Corn. I, 2, 2 *quoad eius fieri poterit*; Cic. inv. II, 6, 20 *quoad eius fieri possit.* fam. 3, 2, 2. 5, 8, 5. Att. 11, 12, 4; Gell. 14, 1, 1 (cf. Holtze I pag. 324).

Numerus participiorum eorum, quae cum genetivo coniunguntur tum, cum perpetuam alicuius subiecti significant actionem, apud priscos multo maior videtur fuisse quam apud aureae aetatis scriptores; nam cum in illorum sermone fere quodlibet participium hoc modo usurpari possit, apud hos certis hic usus circumscriptus est finibus (cf. Holtze I pag. 337; Boetticher lex. Tac. pag. 213 sqq.). Construuntur autem participla hoc modo ideo, quod vis nominalis, quae inest in participio, superat verbalem; de graecismo minime cogitare licet. Sic legitur apud Plaut. Cas. 2, 1, 13 *flagiti persequentem*; similiter apud Corn. II, 19, 29 *inimicitiarum persequentissimum* (de locutione *inimicitias persequi* cf. Caes. b. civ. 3, 83, 5 *de persequendis inimicitiis agebant*); Corn. IV, 20, 28 *hominem laudem egentem virtutis, abundantem felicitatis*, item Nep. Eum. 8, 5 *omnium rerum abundans*, Verg., Cassiodor., (contra Cicero, quantum video, constanter dicit *abundans aliqua re*); Corn. IV, 18, 25 *cognoscentem sui*, si modo sana est lectio; Cic. Quinct. 19, 62 *sui negotii bene gerens* (item *negotii gerentes*, quae locutio ad sollemnem publici usus sermonem

referenda est), cf. Plaut. Truc. 2, 1, 13 *hominum rei male gerentum* (sane ita codd.; vulgo *rem* cum editione principe scribitur); Cic. Quinct. 11, 39 *tui observantem*, fam. 13, 3 *observantissimum studiosissimumque nostri*, Q. fr. 1, 2, 3 § 11 *observantissimus mei*; Plin. ep. 7, 30, 1. 10, 26 (11), 1; Apul. mund. 33; Claudian. IV cons. Hon. 296. Congessimus praeterea haec exempla ex Cornificio et primis Ciceronis libris, quae saepius recurrant per totam latinitatem: Corn. IV, 8, 12 *animus amantissimus rei publicae*, 22, 31 *virum rei publicae amantissimum*; Corn. II, 31, 50 *animum — patientem incommodorum*, item Cic. inv. I, 56, 109, qui locus artissimo cognationis vinculo cohaeret cum Cornificiano; Cic. Quinct. 3, 11 *ceterarum rerum — prudens et attentus*, item Cic. inv. II, 31, 95 *imprudentes legis*; Corn. II, 31, 50 *scientior praeceptorum*. — Ad huiusmodi participiorum similitudinem ex adiectivo *infrequens* genetivum pendere voluit Corn. IV, 27, 37 *et illud praetereo, quod te rei militaris infrequentem tradiderunt* (de notione, quam hoc loco habet verbum *infrequens*, cf. Plaut. Truc. 2, 1, 19 *pro infrequente eum mittat militia domum* [1]), Gell. 16, 4, 5): eadem huius adiectivi structura usus est Gell. 13, 24, 4 *infrequens sum vocum latinarum*.

d. de ablativo.

Ad similitudinem adiectivi *dignus* Cornificius *idoneus* semel coniunxit cum ablativo III, 3, 5 *idoneas dignitate sua*. Fuerunt qui offendentes in ablativo lectionem mutare vellent; sed recte monet Kayserus pag. 270 ed. Corn., eum qui scripserit IV, 14, 20 *vix satis idoneae tibi videbuntur, quae virtutis pedisecae sint*, potuisse adiectivo *idoneus* alteram quoque vocis *dignus* tribuere constructionem.

Singulariter dixit Cornificius I, 17, 27 *si quo tardius* pro *si quid tardius*; cf. Halm, anal. Tull. 7, qui laudat Pompon.

[1]) Cornificium l. l. ipsius Plauti verba ante oculos habuisse non credo. Sed cum summam ille poetis comicis navarit operam, multa insunt in libris eius, quibus pendeat aliquo modo ex duce illorum Plauto. Quod accuratius disquirere non est huius loci; unum moneo, quod legitur IV, 34, 45 *cuius mater cotidianis nuptiis delectatur*, quo loco Cornificius Demosthenem expressisse vulgo putatur, posse sumptum esse ex Pl. Cist. 1, 1, 45 *cotidie viro nubit*.

dig. I, 2, 1 § 26 *ut aliquo plures haberent*, Ulp. ib. XIX, 2, 11 § 2 *ne aliquo deterius faciat.*

In locutionibus iis, quae quamquam plebei magis sunt sermonis, tamen in optimorum scriptorum usum receptae sunt, numerandum est *opus est* cum ablativo participii perfecti generis neutrius coniunctum. Quam structuram cotidiani sermonis magis propriam fuisse inde cognoscitur, quod saepissime exstat apud poetas comicos, qui praeter *opus est* alteram quoque formulam *usus est* simili modo construunt. Et ex Plauto atque Terentio exempla afferre supersedemus, cum in Naudetiano et Lemairiano indicibus permulta sint congesta; ex aliis scriptoribus collegimus haec: Turpil. 34 pag. 89 R *facto est opus*; Cat. orig. V pag. 82, 15 P *quid opus siet facto*; Corn. IV, 15, 21 *tacito opus est* (item Ter. Ad. 3, 2, 44; cf. Plaut. Cist. 1, 2, 10 *tacito usus est*); Cic. Mil. 19, 50 *properato opus est* (item Plaut. Trin. 3, 3, 78); Lucr. 5, 1053 *quid sit opus facto* (cf. Holtze synt. Lucr. pag. 16); Sall. Cat. 1, 6. 20, 10. 43, 3. 45, 1. 46, 2; Caes. b. gall. 1, 42 *opus esset facto*; Nep. Eum. 9, 1; Liv. 1, 58, 5 *ita facto maturatoque opus esse.* 3, 27, 7 *maturato opus esse.* 7, 5, 3 *opus esse sibi domino eius convento.* 8, 13, 17 *maturato opus est.* Consentaneum igitur est ex his exemplis in aureae aetatis oratione prosa hanc structuram restrictam esse ad paucas et certas aliquot formulas. Unus excipiendus est Sallustius in hac quoque re priscos scriptores imitatus; sed hunc ipsum, postquam in *Catilina* quinquies usus est illo dicendi genere, in *Iugurtha* prorsus eo abstinuisse memorabile videtur. Cf. Holtze I pag. 26. 139—141. Zumpt gramm. § 464.

Sicut in probatissimorum scriptorum sermone praeter *dissentire, dissidere a re* dicitur *dissentire, dissidere cum re* (cf. *dissentire cum re* Corn. I, 11, 19. II, 10, 14: *dissidere cum re* Corn. II, 9, 13. Cic. inv. I, 13, 17), ita Cicero ad harum constructionum similitudinem verbum *differre* in libris de inventione aliquotiens cum praepositione *cum* construit: inv. I, 27, 40 *(occasio) cum tempore hoc differt*; 44, 82 *quid res cum re differat*; II. 30. 92 *hoc genus causae cum superiore hoc differt*: 50. 151 *quid res cum re differat.* Huius

structurae cum neque in ceteris Ciceronis libris neque apud alium quemquam scriptorem invenerim exemplum, Kaysero non adstipulor, qui locum illum inv. II, 50, 151 non a Cicerone profectum esse putet. Cf. de simili praepositionis *cum* usu Lorenz ad Pl. Most. 1055; Dziatzko ad Ter. Phorm. 512.

Notum est apud aureae quoque aetatis scriptores interdum transitivae notionis verba admittere praepositionem *de*, velut *postulare de colloquio* Caes. b. gall. 1, 42 (exempla vid. apud Draegerum I² pag. 631). Hunc in modum Cornificius locutus est: *aperire*[1] *de aliqua re*, quod significat quasi *eroeffnungen machen ueber etwas*: I, 6, 9 *deinceps de insinuatione aperiendum est*, II, 31, 50 *si de clementia humanitate misericordia nostra qua in alios usi simus aperiemus.*

§ 2. De adiectivis.

Contrarium substantivi loco ita usurpatum, ut genetivus inde pendeat, rarissime occurrere per totam latinitatem monet Allgayerus Antibarb. p. 292. Praesto mihi sunt haec exempla, in quibus utrum genetivum an dativum habeamus, discerni nequit: Corn. IV, 28, 38 *in contrario causae,* Cic. inv. II, 54, 165 *fidentiae contrarium est diffidentia*; cf. etiam Cic. fin. 4, 24, 67.

In probatissimorum scriptorum sermone cum ad gradum comparativum, cuius vis augeatur, plerumque *multo*, ad superlativum fere semper *longe* addi soleat, *multo* ad gradum superlativum admodum raro adicitur. Quam quasi distributionem singularum in singulos gradus vocum non ab initio in usu fuisse, sed *multo* olim tam ad superlativum quam ad comparativum appositum esse et ex contrario *longe* olim nusquam adhibitum esse superlativi augendi gratia, plane

[1] *Aperire* in iis verbis numerandum est, quibus saepissime et cum studio quodam utitur Cornificius; solet enim, ut est docendi peritissimus, in rebus enarrandis quantum potest isdem et verbis et locutionibus uti. Legi autem *aperire* in duobus primis libris (hos enim solos perscrutatus sum) locis his: I, 3, 4. 4, 7. 5, 8 bis. 6, 9. 8, 13. 10, 17. 16, 25. II, 1, 2. 2, 3. 31, 50 bis. Idem praeterea haec verba saepissime adhibuit: *considerare* I, 3, 5. 6, 9. II, 2, 2. 4, 7. 5, 8. 10, 15. 16, 23. 24 bis. 17, 26. 20, 31. 24, 38. 27, 43 bis. 29, 46. 30, 48; *accommodare* (cf. Destinon, de cod. Corn. rat. I pag. 52), etc.

cognoscitur et ex priscis scriptoribus et ex Cornificio et primis Ciceronis libris. Atque ex prisca latinitate contuli exempla haec, quibus *multo* adiectum est superlativo: Plaut. Amph. 2, 2. 150 *multo maxuma*. 3, 4, 11. Aul. 4, 6, 1 *maxumam multo*. Merc. prol. 69 *m. primum*. Stich. 1, 2, 66 *m. sapientissuma*. 1, 3, 10 *m. maxumam et gravissumam*. Truc. 1, 1, 62 *m. pessumum*; Ter. And. 3, 2, 46 *m. maxumum*. Eun. 2, 2, 22 *m. uberrumus*. Heaut. 4, 8, 1 *m. fortunatissumum*. Hec. 1, 2, 85 *m. maxume*; Aquil. 5 pag. 34 R *m. omnium — optumum et verissumum*; pall. inc. inc. 64 p. 122 *m. maximus*; Acc. trag. 316 pag. 177 R *m. acerrimum*; Lucil. IV, 17 pag. 22 M *optimu' m.*, XV, 11 pag. 66 *primu' — m.*, XX, 9 pag. 76 *maximu' m.*, XXX, 10 pag. 118 *m. optimus*. *Multo* igitur cum hoc modo frequenter usurpetur, ex contrario *longe* superlativo in prisca aetate nusquam adiectum est. Duo videntur obstare loci, quorum alter legitur apud Plaut. Most. 3, 3, 8 *longe longissuma*; attamen hoc loco *longe* non ad superlativum *longissuma* referendum est, sed adverbium ad suum adiectivum, ut vis augeatur, eadem ratione additur, qua dicuntur *misere miser* similia (cf. O. Seyffert, stud. Plaut. pag. 9). In altero exemplo, apud Enn. ann. 94 pag. 15 V *ex alto longe pulcherrima avis* Vahlenus in indice *longe pulcherrima* coniungit. Sed rectius nunc videmur coniungere *ex alto longe*. cum praesertim *longe pulcherrima avis* non eum quem illo loco exspectes praebeat sensum. — Ex aureae aetatis scriptoribus Varro ablativum *multo* superlativo adiecit sat. Men. pag. 198, 6 R *purissimu' multo*, nusquam *longe*; Cornificius *multo* II, 1, 1 *m. difficillimum*, IV, 18, 26 *m. difficillime*, II, 19, 29. IV, 9, 13 *m. maximus*, IV, 44, 58 *m. maxime*, nusquam *longe*; Cicero in libris de inventione *multo* I, 6, 8. II, 22, 67. 56, 168 *m. maximus* etc., I, 31, 52 *m. maxime*, II, 45, 134 *m. turpissima, longe* in his duobus libris nusquam. Primum *longe* deprehenditur Rosc. Am. 12, 33 *longe audacissimum*. Inde per aliquantum temporis *multo* et *longe* pari fere numero adhibentur a Cicerone; ad extremum autem *multo* exceptis locis admodum paucis plane ab eo reiectum est. Legitur enim *multo* divin. Caec. 11, 36 *m. molestis-*

sima. Verr. II, 4, 23, 50 *m. maxima*, II, 4, 49, 109 *m. antiquissimum*, imp. Cn. Pomp. 1, 1 *m. iucundissimus*, 18, 54 *m. maxima*, Cat. 4, 8, 17 item; de or. 1, 57, 241. Contra *longe* iam saepissime legitur, velut Font. 17, 39 (13, 29) *l. ingeniosissimi* etc. etc. Ex ceteris aureae aetatis scriptoribus Varro Atac. p. 263 R scripsit *longe gratissima*; Caesar superlativo constanter addit *longe* b. gall. 1, 2. 23. 3, 8. 21. 4, 1. 5, 3. b. civ. 2, 19. 3, 111: ex contrario Nepos non minus constanter *multo* Alc. 1, 2. Ag. 3, 1. Att. 12, 4; Lucretius ter *multo* 2, 830 *clarissimu' m.*, 2, 1017 *m. maxima*, 4, 953 *m. gravissimus*, nusquam *longe* (nam 6, 80 sq. coniungendum est *longe reiciat*): Sallustius quater *multo* Cat. 36, 4. 52, 20. Iug. 6, 1. 85, 33, semel *longe* Iug. 9, 2. Ex argenteae aetatis scriptoribus utuntur *multo* Liv. (e. g. 1, 11, 5. 30, 18, 14; idem alibi *longe*, e. g. 1, 15, 8. 1, 32, 2. 1, 40, 1. 1, 42, 4. 1, 49, 9 *(l. princeps)*. 2, 31, 1. 6, 32, 5. 7, 25, 5. 9, 1, 2); Quintil. 1, 2, 24. 2, 10, 1. 9, 4, 26. 9, 4, 72. Duo illa vocabula *multo* et *longe* Augusti aetate in cotidiano quoque sermone permixte adhibita esse ex Horatii satiris cognoscitur: *multo* sat. 1, 5, 39. 2, 3, 82; *longe* sat. 1, 5, 3. 1, 5, 89. Cf. Antibarb. pag. 726; Koehler act. Erl. I p. 414.

§ 3. De pronominibus.

Praeter *hoc et illud*, quod apud probatissimos inprimis scriptores usitatum est, in sermone cotidiano dicebatur *hoc et hoc*, velut Corn. II, 25, 40 *hoc aut hoc*, Cic. inv. I, 52, 99. 100. Cf. Hor. sat. 1, 1, 112 *hunc atque hunc*, a. p. 439 *hoc et hoc*, quo loco ipsa Quintilii verba afferuntur. Cf. Catull. 61, 34 *huc et huc errans*; Hor. epod. 4, 7; cf. etiam Antibarb. p. 520. Locutionem *hinc-hinc* (pro *hinc-illinc*) ex Vergilio in argenteam latinitatem transiisse docuit me Woelfflinus.

Quod in enuntiationibus secundariis, quamquam habent indicativum modum, interdum pronomen reflexivum *sui sibi se* legitur pro demonstrativo quod exspectes pronomine *is ea id*. hoc plebeio sermoni in universum tribuendum esse explicat Reblingius l. l. pag. 22. Sed apud Ciceronem quoque hic deprehenditur usus et is quidem saepius, ut recte monet Halmius ad Cic. Rosc. Am. 2, 6, in iis libris quos primos

edidit Cicero. De exemplis diligenter a Draegero I § 30 congestis excerpsimus ea, quae in illis leguntur libris, quorum praecipue rationem habemus: Cic. inv. I, 33, 55 *ei qui sibi ex lege praetor successerat*, II, 2, 7 *qui ante se fuerunt* ubi tamen *se* Kayserus eiecit secutus optimorum codicum Herbipolitani et Parisiensis manus primas), Rosc. Am. 2, 6 *scrupulum qui se dies noctesque stimulat ac pungit*. Cf. etiam Lorenz et Brix ad Plauti Mil. 182; Nipperdey opusc. pag. 167; Hellmuth act. Erl. I pag. 131; Koehler ibid. I pag. 415.

Pronominibus indefinitis, quorum vis magis proferatur, haud ita raro addi *unus* multis exemplis comprobat Draeger I § 49. Quem usum quamquam ne probatissimi quidem scriptores aspernati sunt, magis tamen vulgaris sermonis esse proprium ideo facile mihi persuadeo, quod in linguis Romanicis pronomina indefinita multa cum *unus* sunt composita, velut franc. *aucun*, *chacun* etc., ital. *alcuno* etc. De Cornificio petitum unum nobis praesto est exemplum II, 8, 12 *quivis unus homo*.

Cum neglegentia quadam Cicero scripsit inv. II, 58, 174 *utri potissimum consulendum sit* pro *utri potius*. Cf. tamen Hand Turs. IV p. 520, qui *potissimum* coniungit cum *consulendum*; quod vereor ne artificiosius sit excogitatum. Ceterum Cicero in eodem libro II, 49, 147 ait *ad utram potius legem*.

§ 4. De adverbiis.

Insignite, cuius adverbii usus in comicorum poetarum sermone viget (cf. Brix ad Plaut. Men. 1010) cum *inique* coniunctum est Pl. Rud. 3, 2, 29 (*insignite inique*). Huius usus non immemor Cicero dixit Quinct. 23, 73 *insignite improbus* et Phil. 3, 4, 10 *i. impudens*; cf. Landgraf l. l. p. 37. Alio sensu *insignite* dictum est Corn. III, 16, 29 *insignite — absoluti*.

Citro in certis quibusdam formulis cotidiani usus propriis apparet, velut *ultro et citro* Cic. Rosc. Am. 22, 60 *homines cursare ultro et citro non destiterunt*. Permulta collegit exempla Handius Turs. II pag. 86 sqq.; quibus ipsi addimus: a) *ultro citroque* Cat. r. r. 33 id. orig. p. 84, 1 P; Sisenn. hist. IV p. 289, 22 P; Liv. 3, 5, 11. 30, 3, 7; Gran. Licin. pag. 24, 8 ed. Bonn.; Gai. 3, 24. id. dig. III, 5, 2; Ulp. dig. IX, 4, 38 § 2. X, 2, 52 § 2. XVII, 1, 19. L, 16,

19: cod. Theodos. XIII, 1, 13: Veget. r. mil. 4, 42 pag. 160, 4 L: Dar. Phryg. 26 pag. 32, 9 M: inst. Iust. 3, 2 § 3; agrimens. pag. 150, 10; gloss. Plac. pag. 84, 12 D *ultro citroque, huc atque illuc, citro ad nos, ultro illuc*: b) *ultro citro* Ulp. dig. II, 13, 6 § 3 *rationem autem Labeo ait ultro citro dandi accipiendi sqq.* Ulpianus cum alibi scribere soleat *ultro citroque* (cf. exempla supra allata), hoc loco *ultro citro* non ipsius Ulpiani, sed Labeonis verba esse veri simile est.

De *ocius* adverbii (inv. I, 26, 39 usu in argentea latinitate et praecipue apud poetas cf. Leo, Senec. trag. vol. I p. 91 sq.

Negandi particulam *non* nude positam admodum raro inveniri monet Draeger I § 84 idemque hunc usum in sermone cotidiano multo fuisse latiorem et pervulgatiorem conicit. Exemplis, quae citat: Plaut. Cas. 2, 6, 50. Ter. Heaut. 5, 1, 21. 4, 6, 17. Cic. Cluent. 34, 92, Hellmuth act. Erl. I pag. 137 addit haec: Cic. Rosc. Am. 19, 54 *exhereditavitne? non.* Rosc. com. 14, 41. Verr. I, 7, 20. II, 2, 43, 106: ipse adiungo: Corn. IV, 24, 33 *credo, inimicum si nocentem putabas, in iudicium adduxisti? non: indemnatum necasti*: Vulg. Matth. 5, 37 *sit sermo vester: — non, non.* Vulg. Iac. 5, 12 *sit autem vestrum: est est, non non.* Cf. Antibarb. pag. 760.

Pronomen *nullus*, quo maiore vi efferatur negatio, pro simplici negandi particula *non* in sermone cotidiano substitui Naegelsbachius Hauptius (opusc. I p. 75 sqq. Woelfflinus (l. l. pag. 143) alii docuerunt. Deprehenditur autem apud Plaut. Asin. 2, 4, 2. Bacch. 1, 1, 57. Rud. 1, 2, 55. 2, 2, 17. Trin. 3, 1, 5: Ter. And. 2, 2, 33. Eun. 2, 1, 10. Hec. 1, 2, 4 (cf. Holtze II pag. 202): Cic. Rosc. Am. 44, 128 *haec bona in tabulas publicas nulla redierunt.* Verr. II, 2, 17, 43. Att. 11, 24, 4. 14, 3, 1. 15, 22. 15, 29, 1. fam. 7, 3, 2 etc. (Zumpt § 688: Madvig gramm. § 455 adn. 5). *Nihil* pro *non*, quod et ipsum maiorem habet negandi vim, in urbanum quoque sermonem receptum est.

Reblingius l. l. pag. 21 adnotat in sermone vulgari adiectivi vim augeri solere apposita voce *multum.* Nec minus plebei sermonis est *multum* adverbii loco ad verba intransitiva additum, ita tamen, ut complures locutiones in opti-

morum quoque scriptorum receptae sint usum. Velut apud omnes omnium aetatum scriptores reperias: *multum permultum plus plurimum prodesse* Corn. IV, 32, 44. 55, 69. Cic. inv. II, 11, 36. 48, 142; *multum etc. proficere* ut par est in verbo, cuius transitiva natura multifariam perlucet) Corn. IV, 53, 66. Cic. inv. I, 56, 109. II, 41, 120. 48, 143: *multum obesse* Corn. IV, 19, 27 (paulo post *magnopere obesse*), 29, 40: *nimium obesse* Cic. inv. I, 1, 1, *minimum* ib. II, 35, 107: *m. opitulari* Corn. IV, 41, 53. Cic. inv. II, 2, 7; item *non m. iuvat* Corn. I, 1, 1. IV, 29, 41. Deinde ad ea verba additur *multum*, quae agendi cum aliquo vel similem habeant notionem: *m. uti aliquo* Cic. inv. I, 31, 53. Quinct. 5, 21. Rosc. Am. 10, 27; *m. loqui cum aliquo* Cic. Att. 8, 13.

Denique *multum* cum aliis similibus adverbiis coniungitur, velut *m. et diu* Cic. inv. II, 19, 58; *m. et saepe*, id. Quinct. 1, 3; *saepe et m.* id. inv. I, 1, 1. Haec igitur exempla cum passim legantur, aliae aliquot Cornificii et Ciceronis formulae, quae rarius deprehenduntur apud probatissimos auctores, videntur esse commemorandae hae: 1) *plurimum etc. diligere* Corn. IV, 22, 31, item *tantum diligere* Corn. IV, 21, 29; cf. Nep. Epam. 4, 1. Att. 5, 4; Phaedr. 6, 30, 8; *multum etc. amare* Plaut. Amph. 1, 3, 27. Most. 3, 2, 28. Pers. 2, 5, 2. Truc. 2, 7, 33. 4, 4, 26. Men. 3, 3, 1; Ter. Eun. 5, 8, 61; Nov. 24 pag. 258 R; Afran. 248 pag. 196 R; Cic. Att. 1, 1; Hor. carm. 3, 27, 47. epod. 17, 20; Ovid. rem. am. 547; etc.; 2) *multum etc. consulere* Corn. IV, 44, 57; Pompon. dig. I, 2, 2 § 16; 3) *multum etc. credere* Corn. II, 7, 11, item *nimium creditis* Corn. IV, 37, 49; cf. Plaut. Amph. 1, 1, 281. 2, 2, 125. Capt. 2, 2, 96. Mil. 2, 3, 60. Truc. 2, 6, 6; Nep. Con. 5, 4; Hor. epist. 1, 16, 19; etc.; 4) *multum etc. fallere* Cic. Quinct. 17, 54; cf. Ter. Hec. 5, 1, 2; Nep. Lys. 3, 3; Phaedr. 1, 25, 6; etc. etc. Apparet igitur ex his locis saepissime hunc usum deprehendi apud poetas comicos eosque scriptores, qui elegantiam sermonis minus curent, raro apud prosae orationis auctores severiores. Cf. Hand Turs. III pag. 668 sq. Holtze I pag. 226 sq.

In altera huius paragraphi parte exponendum est de iis adverbiis, quae cum adiectivis vel adverbiis, quorum vis augeatur, coniungi solent. Et primum quidem disseremus de notissimo illo adverbii *bene* usu cum adiectivis coniuncti, quem vulgaris esse sermonis iam pridem inter omnes constat (cf. Woelfflin l. l. pag. 140. Rebling l. l. pag. 7. Draeger I § 77. Hand Turs. II pag. 3 sqq. Sorof ad Cic de or. 2, 259; Fritzsche ad Hor. sat. 1, 3, 61); luculento autem testimonio est, quod in lingua francogallica *bien*, in italiana *bene* simili modo usurpantur. Nec tamen prorsus exclusus est hic usus ex optimorum scriptorum sermone, apud quos ipsos certae aliquot occurrunt formulae, velut 1) ***bene magnus*** Cic. Mur. 33, 69; Cass. ap. Cic. fam. 12, 13, 4; item auct. b. Hisp. 1. 4. 12. 13. 15. 16. 22. 35. 40. 41; cf. Cic. Tusc. 2, 19, 44 *b. plane magnus*; Arnob. 5, 21 pag. 192, 11 R *b. grandis* (idem pag. 192, 19 dicit *b. validus*); 2) ***bene multi***[1] Poll. ap. Cic. fam. 10, 33, 4; auct. b. Hisp. 12. 34. 36; Ovid. Her. 15, 67. trist. 1, 7, 15; 3) ***bene longus*** Cic. de or. 2, 88. 361. fin. 5, 26, 76. Att. 14, 7, 2; carm. Priap. 80, 1 (*bene longa, bene crassa mentula*); *b. longe* auct. b. Hisp. 25; *b. longinquus* Lucil. XXX, 54 pag. 123 M, Cic. fin. 2, 29, 94; *b. latus* Capitol. Gordian. 6. His vocibus multitudinis et spatii notionem continentibus respondet, si temporis rationem respexeris, 4) ***bene saepe*** Cic. rep. 1, 44, 68; Enn. ann. 239; *bene mane* Cic. Att. 4, 9, 2. 10, 16, 1. 14, 18, 1; Petron. 85; *bene diu* Suet. vit. Iuv.; cf. *bene ante lucem* Cic. de or. 2, 64, 259. Item *bene* interdum coniungitur 5) cum adiectivis ***firmus sanus robustus***, quorum notiones inter se sunt simillimae: *bene firmus* Enn. ann. 13; Corn. III, 10, 18 *bene firmam argumentationem*, quod unicum huius usus apud Cornificium exemplum est; Cic. Phil. 6, 7, 18; *bene robustus* apud Cic. Caecil. 15, 48 (quo loco quod sequitur participium *exercitatus* nescio an alicuius momenti fuerit); *bene sanus* Cic.

---

[1]) Sed illo Mummii loco vers. 3 com. lat. pag. 273 R (*nostri maiores velut bene multa instituere, optime hoc sq.*) *bene* cum *instituere* coniungendum est. Hoc contra ipsum Ribbeckium moneo, qui in indice coniungit *bene multa*.

Sest. 10. 23. fin. 1, 16, 52. 21, 71[1]. Hor. sat. 1. 3, 61. 1, 9, 44. Praeterea unum apud Ciceronem deprehendi locum: 6) *bene impudens* paene per iocum fam. 5. 12. 3. Denique cf. 7) *b. penitus* Cic. Verr. II, 2, 70, 169 et 8) *b. maturus* Cic. fam. 9, 5, 1. Haec apud probatissimos scriptores et inprimis Ciceronem (nam Caesar hoc usu plane abstinuit) invenimus exempla; ex ceteris scriptoribus collegi locos hos: Pl. Capt. 5, 2, 13 *b. morigerus*; Enn. ap. Cic. div. 2. 39, 82 *b. serenus* (de Enniano usu adnotat Porphyrio ad Horatii carm. 3. 24, 50 *scelerum si bene paenitet: bene pro valde positum, ut apud Ennium frequenter*); Cat. r. r. 3, 5 *b. frequens*; id. ib. 45 *b. glutus, b. tener.* 76 *b. recens, b. mollis.* 96 *b. purus*; Ter. Eun. 5, 8. 44 *b. lubenter*; Lucil. VII, 27 pag. 39 M *b. plenus*: Varr. sat. Men. pag. 160. 6 R *b. mollis*: Lucr. 5, 706 *b. plenus*; Hor. carm. 2, 12, 15 *b. fidus*: Priap. 61 *b. fructuosus*; Cels. 1, 4 *bene largus.* 6, 18 *b. calidus.* 4, 22 *b. frigidus*; Sen. apocol. 5 *b. canus*: Martial. 4, 10, 2 *b. siccus.* 4, 13, 3 *b. rarus*; Gell. 9, 9. 12 *b. callidus*; Amm. Marc. 14, 2, 17 *b. pertinax*; etc. etc. — Seclusimus ex hoc indice omnia exempla qualia sunt: *b. notus, b. potus, b. tutus, b. quietus*; *b. moratus, b. capillatus, b. barbatus, b. praedatus*: cum his enim vocabulis, cum partim ipsa sint participia partim ad participiorum similitudinem conformata, facilius quam cum aliis coniungitur adverbium *bene*. Similem usum *male* adverbii non curavi.

Simili modo *egregie* aliquotiens coniungitur cum adiectivis (cf. Draeger I § 77). Diligentissime tamen ii loci, quibus *egregie* propriam suam retinet significationem *eximio vel singulari modo*, quae notio in probatissimorum quoque scriptorum sermonem recepta est, separandi sunt ab iis dictionibus, quibus *egregie* imminuta ea quam ab initio habebat notione similiter atque *bene* auget sequentis adiectivi vel adverbii vim (cf. Haase ad Reisig. adn. 402, 6). Itaque nihil

---

[1]) Breviter adnoto videri mihi Ciceronem in libris de finibus compositis complura admisisse, quae in reliquis de philosophia scriptis consulto evitarit; cf. in praecedentibus huius libelli partibus *propterea quod* (supra pag. 18), *depeculari* (supra pag. 37) etc. etc.

miri habent exempla haec: Ter. And. 1, 5. 38 *egregie carus*, Corn. IV, 4, 6 *egr. artificiosus*. Cic. de or. 2, 66, 268 *egr. fortis*, id. Brut. 9, 35 *egr. subtilis*. Singulariter autem dictum est *egregie turpis* apud Corn. III, 22, 35 *at si quid videmus — egregie turpe*. *Egregius* enim apud optimos scriptores non omnino significat id. quod qualibet ratione modum excedit, sed in bonam plerumque partem accipitur, ut in epistulis tantum et in cotidiano sermone *egregius* dicatur de iis rebus, quae malam in partem aliis aliquo modo praestent (cf. Georges lex. lat. s. v.): cf. Ter. Heaut. 3, 1, 11 *ego profecto ingenio egregio ad miserias natus sum*, Gell. 20, 1 *egregie improbus*. Etiam cum adverbiis coniungitur *egregie*: Corn. III, 18, 31 *egr. commode*: primitiva igitur huius adverbii vis iam adeo fuit debilitata. ut quasi procliticae particulae munere fungeretur: quam ob rem Kaysero, qui cum minus apte coniungi eiusmodi duo adverbia censeret, mutata lectione scribendum putaverit *egregia re commode*, non adstipulor. Praeclarum autem testimonium, quo hunc adverbii usum ad vulgarem sermonem referendum esse probatur, illud est, quod *egregie* in isdem invenitur formulis, quibus *bene*: *egregie magnus*, Corn. III, 11, 19 *egr. magnam esse utilitatem*, *egr. multi* Lucr. 1, 735.

Sicuti dicitur *bene, egregie magnus*, item legitur *sane magnus* apud Corn. IV, 49, 63 *cui sane magna est in mendo cicatrix*: Cic. Tull. 6, 14. Qui adverbii *sane* usus, quo ad adiectivum adicitur, cum apud aureae quoque aetatis scriptores haud ita raro occurrat, plura afferre exempla non est opus. Sed memorabilis est formula *sane bene*, cum plebei sermonis videatur esse et *sane bene* et *bene sane*: Plaut. Most. 3, 2, 74 (ita codices Palatini, contra in [*insan*]*um* [*bene*] videri hunc versum exire in codice Ambrosiano exire docuit nos Studemundus in scholis): Ter. Andr. 5, 2, 7. Hec. 1, 2, 103. Adelph. 4, 2, 47; Cic. Quinct. 3, 12 *res rustica sane bene culta*, Att. 13, 33, 2. — Nec minus cotidiani usus est *hercle sane* vel *sane hercle*: Plaut. Trin. 3, 3, 53 (*scite hercle sane*); Ter. Eun. 3, 5, 59. Phorm. 3, 3, 9. Hec. 3, 5, 9; Titin. 105 pag. 148 R; Corn. IV, 50, 63 *ex ea re homo hercle*

sane conturbatur (hoc loco Cornificii narratio iocosi aliquid habet et fere tota sermone cotidiano conscripta est); Cic. leg. 2, 4, 8 *sane quidem hercule* in dialogo; Liv.; Curt.

Ut gradus superlativi exprimendi causa ad positivum additur *maxime*, ita etiam *summe* cum adiectivo coniungitur. Cuius locutionis cum neque apud priscos scriptores neque apud Cornificium ullum invenerim exemplum, legi apud Ciceronem inv. I, 30, 50 *summe necessarius*, II, 45, 134 *s. inutilia*, Verr. II, 1, 24, 63 *s. officiosus*, orat. partit. 23, 79 *s. laudabilis*, fam. 4, 3, 12 *s. studiosus*, fam. 13, 18, 2 *s. iucundus*, fin. 4, 9, 21 *s. miser*, 4, 19, 55 *s. beatus* (quo loco vis verbalis participii *beatus* vix maioris momenti fuit; vid. quae supra pag. 73 adnotavimus de libris de fin.), Quintilianum 12, 1, 23 *s. disertus*, Plinium ep. 10, 11 *mei summe observantissimum*, Gellium praef. 12 *s. nobilis*, Front. p. 18 N *s. optabile*, etc.

Summe adverbium a Cicerone ad verba quoque adiungitur: inv. I, 35, 61 *s. frequentare*, II, 6, 20 *s. augere*, Quinct. 19, 61 *s. constat*, 21, 69 *s. cupere*, 24, 77 *s. contendere*, Rosc. Am. 5, 13 *s. cupere*; cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 134.

Raro *tanto opere* ad similitudinem particulae *tam* conexum est cum adiectivis. Pro ea enim quam ab initio habebat notione cum verbis solum, non cum nominibus potest construi: et revera optimae notae scriptores, qui illam significationem intellexerint, evitarunt quantum poterant cum adiectivis coniungere *tanto opere*. Exempla mihi praesto sunt haec: Corn. III, 24, 40 *quod tanto opere utile sit, quanto labore sit appetendum* (quamquam dubites, utrum *tanto opere* referendum sit ad solum *utile* an potius ad *utile sit*), Cic. inv. II, 25, 75 *si illud, quod comparabitur, aut non honestum aut non utile aut non necessarium fuisse aut non tanto opere utile aut non tanto opere honestum aut non tanto opere necessarium demonstrabitur.*

Ex adverbiis iis, quae coniuncta cum copula *esse* praedicati munere funguntur, apud probatissimos scriptores perpauca in usu sunt, quae ipsa certis constanter proferuntur formulis; est enim hic usus in universum sermonis plebei

(cf. Rebling l. l. pag. 7). Eiusmodi autem formulae sunt *satis est, necesse est*[1]), *abunde est, bene est,* similes. Rarius apud Ciceronem legitur *sic est* (*ita est*) Rosc. Am. 30, 84 *sic vita hominum est* (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 135); item *aliter est* Rosc. Am. 47, 138 *longe aliter est,* pro dom. 12, 31 *quod certo scio aliter esse* (auctore Merguetio hi duo loci soli inveniuntur in orationibus), Att. 11, 23, 1; cf. Liv. 39, 28, 5. Hac in formula apud Plautum et Terentium saepe nomina masculini vel feminini generis locum subiecti obtinent, velut Plaut. Trin. 1, 2, 9 *sin aliter es*; Ter. Adelph. 3, 4, 46 *sin aliter animus voster est.* Phorm. 3, 2, 44. 45. Hec. 4, 4, 15. Adelph. 3, 5, 5; etc.; contra apud aureae aetatis scriptores *aliter est* semper cum pronomine aliquo neutrius generis coniungitur. Cf. Stinner, de Cic. serm. p. 24—30.

Adverbium *probe* raro suam retinet notionem, qua significet *honesto modo* (cf. Ulp. dig. I, 12, 1 § 9. XXXIX, 2, 13 § 11: Iulian. dig. XXXVI, 1, 28 (27) § 4 etc. etc.); plerumque enim debilitata in eo inest significatio ex vulgari dicendi usu desumpta, quam comparare licet cum adverbiis quibusdam Germanicae linguae, velut *rechtschaffen, wacker, ordentlich.* Et ex Plauto quidem atque Terentio permulta laudari possunt exempla (cf. indices), ex ceteris poetis comicis *probe discere* dixit Pomponius 63 pag. 235 R. Huius usus cum apud Cornificium nullum exstet exemplum, Cicero aliquotiens hunc in modum locutus est, plerumque in epistulis et in dialogo: inv. I, 41, 77 *probe tenere*; Rosc. Am. 49, 142 *se ipsum probe novit* (cf. *probe nosse* Ter. Heaut. 1, 2, 6); de or. 3, 50, 194 *pr. meminisse*; Brut. 41, 151 *pr. dicere*; off. 1, 19, 62 *pr. definitur*; fam. 2, 10, 2 *pr. ornatus*; 2, 12, 2 *pr. scire*; Att. 5, 1, 2 *pr. curare* (Ter. And. 5, 2, 6 legitur eadem formula *curasti probe*); 7, 3, 3 *pr. iudicare*;

[1]) In confinio sermonis plebei et urbani versatur locutio *necesse habere* Cic. Quinct. 3, 13 *non necesse habeo dicere*; exemplis a Reblingio l. l. p. 25, Landgrafio l. l. pag. 43, Koehlero act. Erl. I pag. 453 congestis adde Petron. 3; Gai. 3, 206; cod. Iustin. 7, 42, 1. Veget. r. mil. 3, 4 p. 71, 6 L; Vulg. 1 reg. 18, 25 etc.; cf. etiam *necesse putare* Corn. II, 28, 45. Caes. b. civ. 1, 84.

13. 6, 1 *pr. facere* (Ter. Phorm. 4. 4. 18 etc. Cf. etiam e. g. Kuehnast synt. Liv. p. 355.

§ 5. De praepositionibus.

1 Ex duabus formis *a* '*ab*' et *abs* hanc magis sermonis vulgaris esse ideoque a Cornificio in formula *abs te* constanter 'vid. I, 16, 26. II, 21, 33 bis), a Cicerone in primis quos edidit libris saepius quam *a te* usurpari (vid. inv. I. 13. 18) recte monet Woelfflinus l. l. pag. 144. Nunc ex Merguetii lexico quotiens singulae formae in singulis orationibus a Cicerone usurpatae sint, accuratius cognoscitur: dixit enim ille *a te* Quinct. 18, 57. Rosc. Am. 15, 44; *abs te* Quinct. 13, 45. 18. 56. 20. 65. Rosc. Am. 5, 12. 27. 73 bis. 34. 95. 41, 119. 120 bis: de ceteris orationibus cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 120 sq. Cf. etiam Osann ad Cic. de rep. 1. 35; Madvig ad Cic. fin. 5, 25. 75.

Abs formam Cornificius semel ante litteram *q* scripsisse videtur II, 6. 9 *abs quaestionibus*, si modo fides habenda est codicibus p¹π. Quam lectionem cum Kayserus in textum receperit, sprevit similem *abs testibus*, quam eodem loco exhibent codices pπ.

2) Praepositionem *ad* in sermone vulgari, quo dilucidior et copiosior fieret oratio, multo saepius usurpatam esse quam in urbano docemur linguis Romanicis. Aureae enim aetatis scriptores saepe casum aliquem obliquum adhibuisse satis habebant tum, cum in sermone plebeio addi solebat praepositio. Quam autem ad suum arbitrium Cicero sermonem constituerit, hic quoque plane intellegitur: relativam enim locutionem *quem ad modum* cum per omnes libros in suum converteret usum, demonstrativam ei respondentem *ad hunc modum* non item recepit. Est autem *ad hunc modum* simul cum aliis eiusmodi formulis *hoc modo, hoc pacto, quod genus*. quae omnes exempli alicuius nominandi gratia ponuntur, non rarum in libris de inventione I, 6, 8. 12, 17. 14, 19. 29, 45. 33. 55. 34, 58. 59. 39, 70. 40, 73. 44, 83. 47, 88. II, 20, 61. 34, 104. 40, 116, ita tamen, ut in secundo libro multo rarius occurrat *ad hunc modum* quam in priore. Contra in Ciceronis orationibus auctore Merguetio ne unum

quidem eius dictionis exstat exemplum; ex ceteris Ciceronis libris invenitur in Tusc. 2, 4, 10. — Caesar ut in aliis quoque rebus minime est Ciceronis auctoritatem secutus, *ad hunc modum* non aspernatus est b. gall. 2, 31. 3, 13. 5, 24. 27. b. civ. 3, 88. Ex posterioris aetatis scriptoribus dixerunt *ad hunc modum* e. g. Ulp. 22, 28. Apul. met. 6, 8; cf. Liv. 37, 46, 8 *ad modum fugientium*.

Plebeiam autem esse hanc dicendi formulam inde potissimum concludimus, quod frequens est apud poetas comicos: Plaut. Bacch. 3, 4, 12. 4, 8, 67. Curc. 1, 3, 48. Pseud. 1, 5, 40. Rud. 1, 3, 12; Ter. Hec. 4, 4, 55; item *ad eum modum* Plaut. Men. 1, 3, 28: *ad illum modum* Capt. 4, 2, 3. Poen. 5, 2, 28; *ad istum modum* Bacch. 4, 2, 2. 4, 4, 97. Rud. 1, 5, 13. 4, 7, 23: *ad eundem istunc modum* Ter. Adelph. 3, 3, 70.

Item plebei sermonis est *ad villam* »*à la ville*« Cic. Rosc. Am. 15, 44; Plin. ep. 2, 2, 3; cf. Woelfflin l. l. pag. 143, Halm ad loc. Cic., Hellmuth act. Erl. I pag. 146.

3) De collocatione praepositionum memorari attinet in initiis aureae aetatis complures praepositiones identidem poni post vocem eam, quae ex illis pendeat ac praecipue in sententiis relativis. Hunc in modum praepositionem *cum* a Caesare semper, a Cicerone et Sallustio saepius subiungi relativis quam praemitti docuit Greefius Philol. XXXII p. 711 sqq. (cf. id. ib. XXXV p. 671 sqq.); sed aliae quoque huiusmodi particulae, inprimis *contra* apud melioris notae scriptores hunc in modum collocantur: *quem contra etc.* Cic. inv. II, 39, 114. Quinct. 28, 87. Verr. II, 1, 9, 24. 5, 58, 153. Mur. 4, 9. Vatin. 7, 18. Phil. 2, 8, 18. or. 10, 34. Att. 10, 8, 8. Contra aliae in principiis tantum aureae aetatis pronomen relativum sequuntur, velut praepositiones *ad* et *de*. Legi enim *quos ad* Cic. nat. deor. 2, 10 (cf. Pl. Bacch. 2, 1, 7; Ter. Phorm. 3, 2, 39). Item *quo de* Corn. II, 26, 40; Cic. inv. I, 19, 27. 28, 41. 44, 82. 54, 104. II, 11, 37. 30, 94. de or. 1, 48, 209. Caecin. 19, 55; *qua de* Corn. I, 5, 8. II, 12, 18. 29, 46. IV, 12, 17: Cic. inv. I, 43, 81. 44, 82 bis. 49, 92. II, 23, 70. 45, 131. 50, 150: *quibus de* inv. II, 48, 141: quin etiam

quibus sine inv. II, 12, 40. Quem dicendi usum magis sermonis plebei proprium fuisse maxime intellegitur, ni fallor, ex Iurisconsultorum sermone, qui quam fideliter servaverit antiquissimum usum supra aliquot exemplis demonstravimus; videntur autem in illo formulae *quo de agitur, qua de agitur* similes fuisse sollemnes: Cic. Verr. II, 2, 12, 31 *quo de agitur* in sententia iudicis; leg. Malacit. CIL vol. II, 1964, V, 41 *ea res qua de agitur*; complura exempla ex Ulpiano, Iuliano, Gaio, Paulo collegit Neue II² pag. 789; alia (velut Varr. r. r. 2, 2, 6) addere supervacaneum est. Primum autem locum pronomen relativum videtur obtinuisse ad similitudinem eius verborum ordinis, qui in ceteris enuntiationibus relativis in usu erat. In quibus cum plerumque pronomen relativum in principio positum esset, factum est, ut eae quoque pronominis relativi formae, quae ex praepositione aliqua penderent, in initio enuntiationis collocarentur, ipsa praepositio secundo poneretur loco. Inde hic usus paulatim in alias quoque praeter relativas voces videtur transiisse. Cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 147 sq.

4) Memorabilis est locus Cornificianus IV, 11, 16 *post ille convitium fecit et magis magisque praesente multis clamavit* (*praesente* codd. *he*, rell. *praesentibus*), ubi *praesente*, quasi sit praepositio, ad similitudinem particulae *coram* coniungitur cum ablativo plurativi numeri. Viguit autem hic usus iam apud priscos scriptores: Plaut. Bacch. 1, 2, 34 *praesente ibus*; cf. Ter. Eun. 4, 3, 7 *absente nobis*. Cf. Holtze I pag. 352. II pag. 196. E. Bombe, de ablativi absol. usu (Gryph. 1877) p. 40 sq.

§ 6. De coniunctionibus.

Dum coniunctionem quae significet *waehrend* Cicero cum imperfecti indicativo construit locis haud ita multis: Rosc. Am. 32, 91 *dum is in aliis rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat, erant interea qui etc.*; reliqua exempla collegit Draeger II pag. 575. Cf. etiam Antibarb. pag. 388 sq. Hand Turs. II pag. 304.

Itaque particulam Draeger synt. hist. vol. II pag. 179 constanter poni in principio enuntiationis et apud priscos

scriptores et apud Ciceronem. Caesarem, Sallustium monet. Attamen memorandum est Cornificium semel eam in secundo collocasse loco I, 11. 18 *constitutiones itaque, ut ante diximus, tres sunt*; ceteris autem locis ei quam dixi obsecutus est regulae. velut II, 11, 16 *itaque et alieni sermonis etc.*, II, 18, 27 *itaque haec ratione*, etc. etc.

§ 7. De interiectionibus.

Ecce particulam saepissime usurpatam esse in sermone cotidiano cognoscitur cum ex usu poetarum comicorum, qui saepissime formis *eccum eccam eccos eccas*, *ecca* (hac rarissime), *eccillum eccillam eccillud* (?) *eccistam*, *eccere* etc. usi sunt (conf. Holtze I pag. 280 sqq.; Neue II² pag. 814; Brix ad Pl. Capt. 1002. Mil. 789; Lorenz ad Pl. Most. 545. Mil. 1299; Ribbeck com. coroll. p. XXII) tum ex pronominibus aliquot linguarum Romanicarum, velut italicum *questo*, francogall. *ce cet cette*, item ital. *quello*, francogall. *celui celle* orta sunt ex *ecce iste* et *ecce ille*. Nec dissimiliter dixit Corn. IV, 52, 65 *vix haec dixerat, cum ecce iste »praesto ades« inquit »audax?«*. Addo locos eos, quibus *ecce* coniunctum est cum dativo quem vocant ethico, cuius usum universum sermonis esse vulgaris manifestum est: Corn. IV, 10, 14 *ecce tibi iste »heus« inquit etc.*, quo loco Cornificius de industria cotidianum exprimit sermonem; Varro sat. Men. frgm. 411 Buech. *ecce tibi — navicularius irrumpit*; Cic. de or. 2, 22. 94. Cluent. 28, 45. Sest. 41, 89. Pis. 21, 48. Phil. 11, 1, 2. Att. 2, 8. Acad. 2, 38, 121. Tusc. 3, 19, 44. off. 3, 21, 83. Cf. Hand Turs. II pag. 343—351.

§ 8.

Memorandae sunt in hac paragrapho ellipses tres vulgaris dicendi usus propriae:

1) Apud Romanos in usu cotidiano, sicuti apud nos, nomen *hora* post numerum ordinalem saepe omissam esse docemur his locis: Corn. IV, 51, 64 *decimā* (sc. *horā*) bis, Hor. sat. 2, 6, 34. Iuv. 1, 49 (cf. Draeger I § 25). Cf. etiam Fronto p. 8, 24 (ed. Naber) apud Studemundum (Epistulae criticae ad Rudolfum Klussmann p. XV, Berolini 1874), qui locus corruptus fortasse aliquo modo huc pertinet.

2) Haud minus cotidiani sermonis est *rectā* (scil. *viā* Corn. IV, 50, 63 *si ad me recta domum abissetis*; cf. Koehler act. Erl. I pag. 454 sq.

3) De ellipsi infinitivi *fieri* in formulis quibusdam maxime comicis poetis familiaribus cf. Brix ad Plaut. Trin. 705; Lorenz ad Plaut. Most. 361; Antibarb. pag. 886. Item legitur *si potest* pro *si fieri potest* apud Corn. IV, 50, 63 *videto ut diligenter numerentur, si potest, ante noctem*, quo loco Cornificium plebeium imitari sermonem iam supra monuimus.

§ 9. De enuntiationibus compositis.

In Cornificii et iis Ciceronis libris, quos in hoc libello praecipue respicimus, saepe secundi ordinis enuntiationes omissa particula ea, qua probatissimi auctores uti solent, faciliore et quasi expeditiore modo coniunguntur cum praecedente enuntiatione primaria. Quod inprimis fit in enuntiationibus finalibus, in quibus optimi scriptores particulas *ut* et *ne* adhibere solent; in his enim enuntiationibus Cornificius, Cicero in primis libris, denique ex reliquis aureae aetatis prosae orationis auctoribus praecipue Sallustius infinitivo aliquotiens utuntur. Postea autem Cicero et ceteri elegantioris sermonis auctores ubi primum perpoliendae linguae curam impendere et secundum grammaticorum praecepta singula enuntiationum genera accuratius disquirere et in certum ordinem redigere coeperunt, ab initio id egerunt, ut singulis enuntiationum generibus proprios et circumscriptos constituerent fines. Unde factum est, ut multa verba, quae antea cum infinitivo construi licebat, iam ad aliorum similitudinem cum particula aliqua coniungerentur.

Hunc in modum inprimis verba *monendi hortandi suadendi* similia apud Cornificium et in Ciceronis de inventione libris aliquotiens cum infinitivo coniuncta sunt, cum in elegantiore sermone altera constructio apposita particula *ut* fere sola sit legitima.

Sic legi 1) *monere* Cic. inv. II, 22, 66 *quae erga patriam — officium conservare moneat*; fin. 1, 20, 66 *ratio ipsa monet amicitias comparare* (vid. quae supra pag. 74) adnotavimus

de finium libris); Sall. Cat. 52, 3. Iug. 19, 2; Verg. Aen. 10, 439; Plin. n. h. 18, 25, 60; Tac. hist. 4, 33. 5, 24. ann. 1, 63. 4, 67. 12, 46. 13, 37. 16, 11. Cf. Antibarb. pag. 716.

2) *admonere* Corn. II, 20, 31 *haec cognitio — vitare in argumentatione vitium admonebit* (uncis locum inclusit Kayser); idem dixit *admoneo ut* IV, 31, 42; *commoneo ut* III, 11, 20. Constructionem illam praeterea legi apud Verg. Geo. 4, 186. Aen. 9, 109; Hor. sat. 1, 6, 125; Ov. met. 3, 601. 6, 150; Phaedr. 3, 17, 13; etc.

3) *hortari* Corn. II, 19, 28 *metus periculi hortabatur eum interimere*; Cic. inv. II, 5, 17 *quae — facere aliquid hortatur*. Sest. 3, 7 *quae me ad sese rapit, haec minora relinquere hortatur*; Nep. Phoc. 1, 3; Sall. Cat. 5, 9 (cf. Iug. 24, 4); Hor. epist. 1, 1, 69; Verg. Aen. 2, 33. 2, 74. 3, 134. 3, 144. 3, 609. 10, 69; Ovid. met. 8, 215; Suet. Tib. 72; Dict. Cret. 2, 50. 3, 5; Amm. Marc.; etc.

4) *cohortari* Corn. III, 3, 4 *vitare alterum cohortabimur*; auct. b. Alex. 21; Tac. ann. 12, 49 (cf. Draeger ad h. l.); coll. leg. Mos. et Rom. 6, 4 § 1.

5) *dissuadere*[1]) Corn. III, 3, 5 *nimium progredi dissuadebimus*; Sen. Herc. Oet. 933; Quintil. 2, 8, 7. 4, 2, 121 etc.

Insolita est constructio, quae primum legitur Corn. IV, 9, 14 *coepit defricari*; optimi enim scriptores dicere solent *coeptus est*[2]) *defricari* et similia. Cf. Nipperdey quaest. Caesar. pag. 19. opusc. pag. 58; Draeger I § 92.

Huc adicimus *metuere* cum infinitivo coniunctum. Qua structura postquam sexies usus est Plautus, semel Cornificius (IV, 18, 25 *cum eis in campo metuimus dimicare*), Cicero

---

[1]) *Suadere* sequente infinitivo apud Kayserum legitur Corn. III, 5, 8 *tutam rationem sequi qui suadebit*. Quam lectionem cum ipse sibi Kayserus ex varia codicum fide confinxerit, nullius esse apparet auctoritatis; immo restituendum est id quod Klotzius praebet: *tutam rationem si qui suadebit*.

[2]) Ubi *coeptum est* cum infinitivo activi coniunctum est (cf. Cael. ap. Cic. fam. 8, 8, 2 *loqui est coeptum*; Gell. 1, 11, 3 *coeptum — progredi*), forma deponentialis (*loqui*; *progredi*) causa maxima huius structurae videtur fuisse; cf. etiam Woelfflin ad Liv. 21, 58, 10.

quique erant ei aequales prosae orationis auctores non videntur eam amplexi esse. Cf. Draeger II pag. 328 sq.

Pertinet cum infinitivo solus Cornificius construxit loco vix sano IV, 27, 37 *si — ad rem non pertinet planius ostendere etc.*

Cornificius dixit *postulat ignosci* I, 14, 24 bis. II, 16, 23. 17, 25. IV, 14, 20; idem tamen alteram quoque adhibet constructionem I, 14, 24 *postulat, ut sui misereantur.* Itaque apud Cornificium accusativus cum infinitivo legitima est huius verbi structura, alteram structuram sequente particula finali insignem quasi coactus natura verbi *misereri* semel usurpavit. Ex contrario Cicero inv. I, 11, 15, quo loco eum Cornificii explanationem ante oculos habuisse veri non est dissimile, illum quasi corrigens bis dicit *ut ignoscatur postulat*; cf. inv. II, 34, 104. 35, 106. Quamquam Cornificiana quoque usus est structura inv. I, 32, 53 *postulabimus nobis illud — concedi* (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 156); cf. Quinct. 28, 86 *ante quam hominis propinqui bona possideri postularentur.* De priscorum scriptorum usu cf. Holtze I pag. 254 sq. 266. II pag. 37 sq. et e. g. Nep. Eum. 8, 2. Hann. 12, 3.

Apud probatissimos scriptores verba *sperandi pollicendi* similia, ubi de rebus futuris agitur, cum infinitivo futuri temporis coniungi solere constat. Quam regulam cum Cornificius quoque paene constanter observaverit (cf. I, 4, 7 *si pollicebimur nos de rebus magnis — verba facturos.* I, 6, 10. II, 19, 30. III, 4, 8. III, 6, 12 *sperare nos — iis — huius facta probaturos.* IV, 18, 25. II, 17, 25 *si qua spes erit usui futurum*), duobus locis verba illa cum praesentis temporis infinitivo construxit: II, 19, 28 *sperabat illius morte se salutem sibi comparare* (praecedit infinitivus futuri *videbat illo incolumi se incolumem non futurum*) et IV, 3, 6 *quia pollicentur se artem scribere.* Hac structura, qua Plautus et Terentius pro cotidiani sermonis consuetudine saepe usi sunt (cf. Holtze I pag. 250 sqq. 266 sq. II pag. 69), Cicero in ipsis primis libris abstinuit (cf. inv. I, 16, 23. 17, 25 bis. 52, 98 etc.). Neque enim obstat Rosc. Am. 7, 18 *spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficii pertineat,* quo loco

spero idem fere significet quod *puto*. Cf. Krueger gramm. lat. § 564; Antibarb. pag. 877 sq. s. v. *polliceri*.

Singularis est structura verbi *prohibere*, qua coniungatur cum *ut* Rosc. Am. 52, 151 *di prohibeant, iudices, ut hoc, quod maiores consilium publicum vocari voluerunt, praesidium sectorum existimetur*. Cf. Zumpt § 544; Antibarb. p. 933 sq.

Pro *quominus* post verba *impedire*[1]) et similia interdum occurrit *quo secius*, inprimis apud Cornificium; cuius dictionis exempla supra congessimus pag. 46 s. v. *setius*. Cf. Zumpt § 544.

Conficitur ut pro iis quae usitatiora sunt *efficitur ut, sequitur ut* his duobus locis deprehendi: Cic. inv. II, 49, 145 *ex quo conficitur, ut, si leges duae, aut si plures erunt, aut quotquot erunt, conservari non possint, quia discrepent inter se, sed ea maxime conservanda putetur, quae ad maximas res pertinere videatur*; ib. II, 56, 169 *quibus rebus non illud solum conficitur, ut salvae et incolumes, verum etiam, ut amplae atque potentes sint civitates*. Cf. Zumpt § 618 adn. 1.

Non est verisimile ut quater Cicero dixit: Rosc. Am. 41, 121 *non est veri simile, ut Chrysogonus horum litteras adamarit*; Verr. II, 4, 6, 11 *veri simile non est, ut ille homo tam locuples, tam honestus religioni suae monumentisque maiorum pecuniam anteponeret*; Sull. 20, 57 *veri simile non est, ut, quem in secundis rebus, quem in otio semper secum habuisset, hunc in adversis et in eo tumultu, quem ipse comparabat, ab se dimitteret*; Sest. 36, 78 *an veri simile est* (id est: non veri simile est), *ut civis Romanus aut homo liber quisquam cum gladio in forum descenderit ante lucem etc.* Cf. Zumpt § 623; Madvig gr. lat. § 374 adn. 2; Halm ad Cic. Sull. 20, 57; Draeger II p. 270 sq.

Necesse est ut occurrit his locis: Corn. IV, 16, 23 *quos tantopere timeat, eos necesse est, ut, quoquo modo possit, veneficio petat* (praecedit *necesse est eam quae suum corpus addixerit turpissimae cupiditati timere multos*); Cic. inv. II, 57, 172 *ut cibo utantur non necesse est* (praecedit *omnis mortalis necesse est interire*). Brut. 84, 289 *ne illud quidem in-*

[1]) *Non impedire quin* legitur Corn. III, 1, 1 *ne quid impediare, quin ad hunc utilitatem — progredi possis.*

tellegunt, non modo ita memoriae proditum esse, sed ita necesse fuisse, cum Demosthenes dicturus esset, ut concursus audiendi causa ex tota Graecia fierent. de or. II, 29, 129 *nam hoc necesse est, ut is, qui nobis causam adiudicaturus sit, — inclinatione voluntatis propendeat in nos* etc.; Sen. ep. 78, 16. nat. quaest. 2, 14, 2. Cf. Zumpt § 625.

Haud dubie ad vulgarem dicendi usum referenda est structura *visum est ut* (cf. Lupus, annal. philol. 1877 pag. 504, et Liv. 26, 21, 4 *medium visum ut — intraret*) Corn. IV, 10, 14 *ubi visum est, ut in alveum descenderet.* Exstat enim hoc exemplum eo loco, quo de industria Cornificium usum cotidianum imitari monuimus (cf. *coepit defricari, ecce tibi iste, id aetatis, pone scaenam, ad auriculas*). Formata autem videtur esse haec constructio ad similitudinem locutionis *placitum est ut* Corn. II, 1, 1.

De modorum in secundi ordinis enuntiationibus ratione, cum apud ipsum Cornificium fere certae leges sint constitutae, pauca monenda sunt. In enuntiatis interrogativis quae dicuntur obliquis, in quibus Plautus, quo alacrior et planior fiat oratio, saepe indicativum modum adhibet, et Cornificius et Cicero coniunctivum praetulerunt. Illum indicativi usum proprium esse sermonis plebei nec, quod olim vulgo putabatur, translatum ex lingua Graeca, nunc inter omnes fere viros doctos convenit (cf. Haase ad Reisig. adn. 504 et praecipue Ed. Becker in Studemundi »Studiis« I, fasc. 1). Huius constructionis unum est apud Cornificium exemplum IV, 9, 13 *quibuscum bellum gerimus videtis*; cf. e. g. Fulg. myth. 2, 16 *quid ex hac re concipitur, videamus*, id. Verg. cont. pag. 760 *vide, quid filium docet*, etc. etc. Alia est condicio loci huius: Corn. I, 10, 17 *cum dicemus numero quot de rebus dicturi sumus* (sic Kayserus in recentiore Cornificii editione ad omnium codicum fidem; in priore contra illorum auctoritatem dederat *simus*); enuntiatum enim a *quot* incipiens est relativum, non interrogativum. Quamquam vereor ut totus ille locus persanatus sit. In ceteris enim exemplis, quibus hac loquendi formula utitur Cornificius, omnibus habemus aut enuntiationem interrogativam quam vocant obliquam (I, 3, 4

per quam exponimus, quibus de rebus simus dicturi: I, 4, 6 *breviter quibus de rebus simus dicturi exponere*; III, 7, 13 *exponemus quas res laudaturi simus*: cf. IV, 40, 52 *illa dividit — per expositionem, quibus de rebus in tota oratione disputatio futura sit*) aut enuntiationem relativam praecedente substantivo eo, ad quod pertinet sequens pronomen relativum (I, 4, 7 *et si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus*; I, 10, 17 *cum res quibus de rebus dicturi sumus exponemus*). Quodsi huius loquendi usus iustam habebimus rationem, loco illo scribendum est aut quod Kayserus in priore Cornificii editione dederat *dicturi simus*, aut si indicativum malemus, supplendum erit ante *quot* substantivum *res*, quod post syllabam ultimam *ro* vocis *numero* facile intercidere poterat; quodsi lectionem a nobis propositam comprobaveris, hic locus aptissime respondet alteri loco supra laudato I, 4, 7 *si numero exponemus res, quibus de rebus dicturi sumus*. Denique haec substantivi in enuntiatis relativis repetitio (*res* quot de *rebus*) vere est Cornificiana (vid. supra pag. 24).

Formula *sunt qui* ut apud aureae aetatis scriptores fere semper coniunctivum adsciscit, ita non minus constanter apud cotidiani sermonis auctores cum indicativo construitur: Plaut. Cist. 4, 2, 38; Hor. sat. 1, 4, 25. 2, 1, 1. 2, 4, 47, item in carminibus 1, 1, 4. 21. 1, 7, 6; coniunctivus apud eundem poetam legitur epist. 1, 6, 5, duae constructiones mixtae inter se epist. 2, 2, 182, quo loco coniunctivum *habeant* unius metri causa positum esse apparet, cum forma *curet* non minus bene quam *curat* numeris satisfaciat. Cornificius ex *sunt qui* uno, quo apud eum legitur, loco coniunctivum suspensum esse voluit II, 11, 60 *sunt qui arbitrentur*, Cicero autem bis indicativo usus est inv. I, 40, 72. II, 55, 167 *sunt qui putant*, ceteris locis coniunctivo, velut inv. II, 49, 144 *sunt qui — dicant*. Omnibus enim reliquis locis, quibus olim indicativus ferebatur, nunc ex codicibus manu scriptis restitutus est coniunctivus. Sallustii calamo semel excidit *sunt qui ita dicunt* Cat. 19, 4, reliquis locis coniunctivum et ipse praetulit: Cat. 17, 7. 22, 1. 48, 7. 61, 8. Iug. 25, 1. 32, 3. 36, 3. 106, 6.

— Similis locutio *est cum* apud Cornificium constanter indicativum habet modum: II, 19, 30 bis. IV, 26, 36.

Caput IV.

De verborum formatione.

Ex vocabulis huc spectantibus non ea solum attuli, quae aut ipsi formasse videntur Cornificius et Cicero in iis quorum potissimum rationem habemus libris aut quae primum apud illos inveni, sed ea quoque addidi, quae omnino raro leguntur per omnes litterarum Latinarum aetates.

Ac primum pertractemus

Nomina.

§ 1. Substantiva a) Masculina.

Suffixo *-tor* vel *-sor* formata sunt substantiva haec:

1) *Adsensor* Corn. III, 23, 38 *non omnis habemus adsensores*; Cic. fam. 6, 21, 1; Val. Max. 6, 3 n. 6; Sen. Phaedr. 1216.

2) *Comprobator* Cic. inv. I, 28, 43 *auctoritatis eius et inventionis comprobatores atque aemuli*; Boeth. de differ. topic. 4.

3) *Diversor* vel fortasse potius *deversor* (*ἅπαξ εἰρ.*) Cic. inv. II, 4, 15 *cum quibusdam diversoribus*; cf. *deversitor* Petron.

4) *Elector* Corn. IV, 4, 7 *alienorum boni electores*; Ambros. de Abrah. 1, 3, 13; Augustin. contra Faust. 3, 5 et c. litt. Petil. 2 § 239; etc.; cf. etiam *electrix* Vulg. sap. 8, 4.

5) *Explicator* Cic. inv. II, 2, 6 *ad quendam multo commodiorem explicatorem*; or. 9, 31; Augustin. ep. 31, 7; cf. etiam *explicatrix* Cic. Acad. 1, 8, 32; Cassian. coll. patr. 19, 16.

6) *Ostentator* Plaut. Curc. 4, 1, 15; Corn. IV, 50, 63 *ostentatorem pecuniae gloriosum*; Liv. 1, 10, 5; Tac. hist. 2, 80. ann. 1, 24; Auson. ep. 4, 36; Augustin. de civ. dei 14, 18; Gloss. Labb. *ostentator ἐνδείκτης*; cf. etiam *ostentatrix*, quod vocabulum inde ab Apuleio saepius occurrit.

Adicimus duo nomina feminina in *-trix* exeuntia:

1) *Dominatrix* Cic. inv. I, 2, 2 *caeca ac temeraria dominatrix animi cupiditas*; Sen. Phaedr. 90; carmen anonymi ap. Terentian. Maur. 2061; Vulg. Ierem. 13, 18; eccl. 37, 21.

2) *Imitatrix* Cic. inv. I, 2, 3 *commoditas quaedam prava virtutis imitatrix*. id. leg. 1, 17, 47. Tusc. 3, 2, 4; Ovid. amor. 2, 6, 1; Plin. n. h. 10, 23 (33) § 68 et 26 § 16 (ex Detlefseni coniectura); Apul. de dogm. Plat. 2, 9 pag. 87, 15 Goldb.; Auson. monosyll. 1, 1 p. 197 Bipont.

Ex substantivis in *-tus* desinentibus unum enotavimus:

Inductus, *-us*, cuius ablativus *inductu* legitur apud Corn. II, 17, 26 *alieno inductu*; Cic. ap. Quintil. 5, 10, 69 (Neue I pag. 522).

§ 2. Substantiva b) Feminina.

Suffixo *-tio* vel *-sio* derivata sunt substantiva verbalia haec:

1) *Adceleratio* Corn. III, 13, 23 *continuatio est orationis enuntiandae adceleratio*; Hilarius in psalm. 119, 11.

2) *Amandatio* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. Rosc. Am. 15, 44 *relegatio atque amandatio*.

3) *Apparatio* Corn. I, 8, 12 *alicuius apparationis causa*. II, 4, 7; Cic. inv. I, 18, 25. off. 2, 16, 56; Alfenus Varus dig. XXXIV, 2, 28; Vitruv. (cf. index Nohlii).

4) *Inapparatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. II, 4, 7 *stultitia imprudentia inapparatio demonstrabitur fuisse*; quam vocem, cum praecedat *consilium scientia apparatio*, ab ipso Cornificio formatam esse apparet.

5) *Arrisio* Corn. I, 6, 10; Cael. Aurel. acut. 2, 37, 214.

6) *Attenuatio* Corn. II, 2, 3 *cum attenuatione suspicionis*. IV, 11, 16; Cael. Aurel. sign. diaet. pass. 60.

7) *Cachinnatio* Corn. III, 14, 25 *sine ulla suspicione nimiae cachinnationis*; Cic. Tusc. 4, 31, 66; Augustin. serm. 175, 2. 351, 5.

8) *Calumniatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. IV, 15, 22 *vestris calumniationibus*, quamquam lectio minime certa est.

9) *Certatio* Corn. IV, 30, 41; Cic. Quinct. 21, 68. 22,

73; cf. Landgraf l. l. p. 46. Georges in lexico s. v.; Fronto p. 42 N.

10) *Compellatio* Corn. IV, 15, 22 *per — rei cuiuspiam compellationem*; Cic. fam. 12, 25, 2. Phil. 3, 7, 17; Gell. 1, 5, 2.

11) *Conductio* = *actus contrahendi*? Cic. inv. I, 40, 74 *aut ex conductionibus* (= ἀνακεφαλαιώσεσιν συναγωγαῖς?) *aut ex contrario complecti oportet* (Kayserus totum locum spurium habet). In reliquis omnibus apud Ciceronem locis *conductio* significat contrarium vocis *locatio*. — *conductio* (= συναϑροισμός) legitur in Carm. de fig. 139 p. 68 Halm. — Deinde proprio sensu hoc vocabulum sollemniter adhibent medici, veluti Cael. Aurel. saepius (e. g. acut. 3, 6, 61, ubi opponitur conductioni extentio).

12) *Confictio* Cic. Rosc. Am. 13, 35 *criminis confictionem accusator suscepit*; Aquil. Rom. § 3; Cael. Aurel. acut. 1, 11, 81.

13) *Contortio* Corn. IV, 19, 26 *ex — contortione dexterae*; Cic. fat. 9, 17; Augustin. retr. 1, 5 § 1.

14) *Derogatio* Corn. II, 10, 15 *num qua obrogatio aut derogatio sit*; Cic. frgm. or. Corn. 11c vol. XI pag. 11 Kayser; Tryfoninus dig. XXIII, 4, 30.

15) *Elaboratio* Corn. IV, 22, 32 *quod non haec videntur reperiri posse sine elaboratione*; Iul. Firm. math. 5, 1, 2.

16) *Exsuscitatio* apud solum Cornificium IV, 42, 55 bis. 43, 56.

17) *Improbatio* Corn. II, 6, 9 *haec ad improbationem testium pertinebunt*; Cic. inv. II, 10, 32. Verr. II, 3, 74, 172; Labeo dig. XIX, 2, 60 § 3.

18) *Inambulatio* Corn. III, 15, 27; Cic. Brut. 43, 158; Catull. 6, 11; Vitr. 1, 3, 1; Plin. n. h. 14, 1, 3.

19) *Instigatio* Corn. II, 30, 47 *instigationis auditorum causa*; Gai. dig. V, 2, 4; Lactant. 5, 19, 2.

20) *Interpositio* Cic. inv. I, 6, 8 bis. fam. 16, 22, 1; Vitr. 6, 3, 8; Quintil. 9, 3, 23. 10, 3, 32.

21) *Iocatio* Corn. III, 13, 23 bis. 14, 23; Cic. fam. 9, 16, 7. Att. 2, 8, 1.

22) *Maturatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. III, 2, 3 *dolus consumitur in maturatione mentione.*

23) *Mentio* = mentitio Corn. III, 2, 3 (ubi *mentitione* Lugdun. 3 et ed. Lamb., rell. *mentione,* nisi quod Herbipol. *mentione* prorsus omittit). Idem dixit *mentio* = *commemoratio* II, 28, 45. Cf. gl. Labb. *mentio ἀνάμνησις καὶ ψεῦσμα.*

24) *Obambulatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. III, 19, 31 *frequentia et obambulatio hominum.*

25) *Obrogatio* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. II, 10, 15.

26) *Occisio* Corn. IV, 22, 31. 41, 53 ter; Cic. inv. I, 26, 37. II, 4, 14. Caecin. 14, 41; Liv. (teste Hildebrandio, Specim. lex. Liv. 1868, p. 6); Apul. met. 6, 26; Ulp. dig. IX, 2, 23, 2; Vulg. (saepe). Probatissimi scriptores dicere malebant *occidio,* qua cum voce altera *occisio* in codicibus saepe videtur esse confusa. Cf. praeterea gl. Plac. pag. 72, 1 D *occidio — melius quam occisio.*

27) *Offensatio* Corn. II, 8, 12 *ut ne parvola quidem — offensatione impediremur*; Sen. ben. 5, 25, 6; Plin. n. h. 28, 16 (62), 221; Quintil. 11, 3, 130.

28) *Permansio* Cic. inv. II, 54, 164 *stabilis et perpetua permansio.* fam. 1, 9, 21. Att. 11, 18, 1; Amm. 27, 5, 7.

29) *Pollicitatio* vocem apud Ciceronem nusquam inveni, cum apud alios scriptores aureae aetatis haud ita raro usurpetur. Locos enotavi hos: Pl. Trin. 3, 3, 10; Ter. Phorm. 5, 6, 17; Corn. III, 2, 3; Caes. b. gall. 3, 18, 2. 26, 1. 6, 12, 2. 7, 1, 5. 7, 31, 1. b. civ. 1, 56, 2. 3, 9, 2. 3, 108, 2; auct. b. Afr. 35. 40; Nep. Eum. 2, 4; Sall. Iug. 20, 1. 61, 4; Asin. Poll. ap. Cic. fam. 10, 32, 4; Sen. ben. 3, 19, 3. 4, 2; Plin. ep. 10, 39 (48), 3; Apul. met. 8, 10; saepe in Iurisconsultorum libris, cf. dig. L, 12 *de pollicitationibus* etc.; quater in Vulgata. Cicero dixit *promissio promissum*, cf. Antibarb. pag. 878 s. v. *pollicitari.*

30) *Porrectio* = *actus porrigendi* Corn. III, 15, 27 *porrectione celeri bracchii*; Cic. nat. d. 2, 60, 150; *porrectio manuum suarum* Cassian. collat. 3, 12.

31) *Praepositio* = *actus praeponendi* Cic. inv. I, 28, 42 *disparatum — est id quod ab aliqua re praepositione nega-*

tionis separatur: fin. 3, 16, 54: Ulp. dig. XIV. 1, 1 § 12. id. dig. XIV, 3, 11 § 2.

32) *Redintegratio* Corn. IV, 28, 38 *eiusdem redintegratio verbi*; auct. orat. »pridie quam« 4. 10: Apul. de mundo 23: Tertull. adv. Marc. 4, 10: Arnob. 7, 45: Serv. ad Verg. ecl. 2, 14; Macrob. sat. 1, 11, 5.

33) *Titubatio* Corn. II, 8, 12: Cic. inv. II, 12. 41: Sen. ep. 95, 16: Hieron. de Cain et Abel 1, 5. 19: Macr. sat. 7, 6, 9.

Suffixo *-io* formatum est:

Irreligio Corn. II, 21, 34 (alii non improbabiliter legunt *religio*; cf. apparatus criticus); Pseudo-Apul. Herm. trismeg. 26; cf. Roensch pag. 222.

Ex nominibus, quae in suffixum *-tas* (*-itas*) desinunt, exscribenda putavi haec:

1) *Fatuitas* Cic. inv. II, 32, 99 *hanc — fatuitatem nominari oportere*; Apul. de dogm. Plat. 2, 4; Iul. Firm. math. 8, 19; Vulg. prov. 14, 24. 16, 22. Ierem. 23, 13: Paul. Festi 68, 2; cf. praeterea de Iurisconsultorum usu Dirkseni Manuale s. h. v.

2) *Incommoditas* Plaut. Aul. 3, 5, 58. Mil. 3, 1, 49: Ter. And. 3, 5, 35. Heaut. 5, 1, 59; Corn. IV, 7, 10 *ergo hanc quoque incommoditatem fugimus*; Cic. Att. 1, 17, 7: Liv. 10, 11, 3; Gai. dig. IV, 7, 3 § 4; Ulp. dig. XLIII, 19, 1 § 6. id. dig. XLIII, 21, 3 § 2; Paul. dig. IV, 8, 16 pr.; Arnob.

3) *Inhonestas* Cic. inv. I, 49, 92 *turpe est quod — indignum propter inhonestatem videtur*; cf. Tertull. adv. Marc. 5, 5. id. adv. Iud. 14 (Roensch pag. 221).

4) *Inutilitas* Cic. inv. II, 26, 77 *et facti inutilitatem aut turpitudinem* (suo iure suspectum habet Kayserus). II, 52, 158; Lucr. 5, 1272; Vulg. Hebr. 7, 18; cod. Iust. 3, 34, 14 § 1.

His formis cum simillima sit notio earum, quae in *-udo* suffixum exeunt, hae deinceps a nobis tractentur. Atque quod in prima huius libelli parte exposui, probatissimos scriptores, ubi duo praesto essent nomina abstracta alterum *-tudo* alterum *-tas* suffixo instructum, pro sua con-

suetudine alterum retinuisse, alterum abiecisse (cf. *firmitudo* —*firmitas*; *necessitudo* — *necessitas*) id his quoque exemplis comprobatur:

1) *Concinnitudo* Cic. inv. I, 18, 25; Albin. rhet. pag. 535, 32 Halm; Cicero postea constanter dixit *concinnitas,* velut Brut. 83, 287. 95, 325. or. 12, 38. 25, 83. 44, 149. 49, 165. 50, 167 etc.

2) *Habitudo* inprimis apud priscae et posteriorum aetatum scriptores, Ter. Eun. 2, 2, 11; Corn. IV, 10, 15 *corporis bonam habitudinem*; Apul. met. 1, 20. 2, 8. 9, 39. apol. 4. 14: Cyprian. ad Fortunat. 3 pag. 318, 15 H; Capitol. Pert. 12; Spartian. Hadrian. 24; Arnob. 4, 6; Auson. grat. act. § 64; Cael. Aurel. chron. 2, 12. acut. 1, 6, 50. 2, 9, 39. 3, 5, 52; Boeth.; inst. Iust. 1, 22 pr.; Vulg. gen. 41, 4. 2 Macc. 15, 13; cf. gl. Plac. pag. 51, 14 D *habitudine habitu*; Antibarb. pag. 514. Roensch pag. 66. Compares recentium Italorum vocabulum *abitudine* et francogallicum *habitude.* Optimi auctores dicebant *habitus,* velut Cic. inv. I, 24, 35, qua voce Cornificius quoque praeter alteram illam usus est III, 11, 19.

3) *Plenitudo* Corn. IV, 20, 28 *longitudo aut plenitudo harum* (*syllabarum*); Colum. 4, 30, 4; Plin. n. h. 11, 37 (87), 216; Cyprian. de domin. orat. 4 pag. 268, 26 H. id. ep. 63, 4 pag. 704, 9; auct. vit. Cyprian. 10 pag. CI, 2; Veget. r. mil. 3, 1 pag. 63, 18 L. 3, 11 pag. 92, 20; agrimens. pag. 408, 16 Lachm.; Vulg. (saepissime). Altera vox *plenitas* cum apud solum inveniatur Vitruvium, ne ipsa quidem a probatissimis scriptoribus usurpatur, quippe qui prout sensus postularet dixerint *copia crassitudo* similia.

4) *Suavitudo* (probatissimi auctores praeferunt *suavitas,* velut Cic. inv. II, 2, 6. II, 15, 49) Plaut. Stich. 5, 5, 14. id. frgm. ap. Non. 173, 3; Turpil. 110 pag. 99 R (idem dixit *suavitas* vers. 190 pag. 108 R); Corn. III, 12, 22 *res — easdem — pronuntiationis suavitudini prosunt* (ubi *suavitati* Turic. et Opiz., rell., ut vid., *suavitudini*; paulo post *de suavitate*[1]. item IV, 56, 69); Lactant. 6, 22, 5. Cf. Roensch pag. 69.

[1]) Sed nescio an hoc quoque loco scribendum sit *de suavitudine* (cum Klotzio); quod licet non optimae notae praebeant codices, tamen,

Suffixo *-monia* formatum est substantivum hoc: *Sanctimonia* Corn. IV, 33, 44; Cic. Quinct. 17, 55. 30, 93. Rabir. Post. 10, 30; Tac. ann. 2, 86. 3, 69. 12, 6; Tertull. de pudic. 17; Vulg. psalm. 95, 6. Hebr. 12, 14. Optimi scriptores, cum una sufficeret vox *sanctitas*, tertium quoque eiusdem notionis vocabulum *sanctitudo* ex sermone suo excluserunt, quod quidem legi locis his: Acc. 593 pag. 213 R, id. 646 pag. 219; Turpil. 114 pag. 99; Afran. 326 pag. 206; Claud. Quadr. pag. 205, 5 P (ap. Gell. 17, 2, 19 q. v.); Cic. rep. 4, 8, 8; Capit. Ver. 8; Vulg. psalm. 92, 5. Cf. Gell. 13, 3; Antibarb. pag. 1039; Roensch pag. 68.

Denique addimus *-ia* suffixo formatum substantivum

Reduvia. De huius vocis significatione primaria vid. Fest. pag. 270 M *rediviam quidam, alii reluvium appellant, cum circa unguis cutis se resolvit*: cf. gl. Plac. pag. 78, 19 D. Hanc verbi notionem habes locis his: Titin. com. 132 pag. 152 R; Plin. n. h. 30, 12 (37), 111. 28, 4 (8), 40. 29, 2 (9), 32; Arnob. 1, 51; item Cic. Rosc. Am. 44, 128 *qui cum capiti Sex. Roscii mederi debeam reduviam curem*, ubi proverbium facile agnoscas. Idem fere est quod *reliquiae* apud Solinum 9, 9. 32, 15. Cf. *reduviosus* Laevius ap. Fest. pag. 270 M. Equidem non dubito quin horum verborum usus in vulgari sermone late patuerit. Ceterum cf. L. Lange in Curtii »Stud.« X pag. 250.

§ 3. Substantiva c) neutra.

Unum commemorandum est substantivum in *-ium* suffixum desinens

Matricidium (ἅπαξ εἰρ.) Cic. inv. I, 13, 18 *Orestes si accusetur matricidii* (cf. Corn. I, 16, 26 *Orestes confitetur se occidisse matrem*). — *matricida* saepe legitur, conf. lexicon Georgis, qui praeterea hos locos mihi benigne subministrat: Cic. har. resp. 18, 39; Vulg. 1 Tim. 1, 9.

§ 4.

Haud alienum videtur enumerare ea vocabula (nomina

---

cum uno vel duobus versibus ante legamus *suavitudini*, aptius atque concinnius videtur esse.

verbalia pleraque omnia) in arte rhetorica sollemnia, quae primus e graeca lingua in latinum sermonem transtulerit Cornificius. Qua de re ipse haec exponit (IV, 7, 10): *Nomina rerum Graeca convertimus: ea remota sunt a consuetudine; quae enim res apud nostros non erant, earum rerum nomina non poterant esse usitata; ergo haec asperiora primo videantur necesse est, id quod fiet rei, non nostra difficultate.* Longe maximam partem horum vocabulorum ipse primus finxit Cornificius; si quod iam apud priscos scriptores invenitur, adscripsimus.

Abscisio = παράλειψις Corn. IV, 54, 67. *Abusio* = κατάχρησις IV, 23, 45. *Adnominatio* = παρονομασία IV, 21, 29. *Circuitio* = περισσολογία περίφρασις IV, 32, 43: cf. Ter. And. 1, 2, 31 *nil circumitione usus es*. *Commoratio* = ἐπιμονή IV, 44, 58. *Commutatio* = ἀντιμεταβολή IV, 28, 39; cf. Claud. Quadr. pag. 206, 3 P. *Compar* = πάρισον παρίσωσις IV, 20, 27; cf. Pl. Cas. 4, 2, 18. Pseud. 1, 1, 66. 4, 3, 9. *Complexio* = συμμετοχή κοινότης IV, 14, 20. *Conduplicatio* = ἀναδίπλωσις IV, 28, 38; cf. Pl. Poen. 5, 5, 18. *Conformatio* = προσωποποιία IV, 53, 66. *Coniunctio* = ἐπεζευγμένον IV, 27, 38. *Contentio* = ἀντίθεσις IV, 15, 21. *Conversio* = ἀντιστροφή ἐπιφορά IV, 13, 19. *Correctio* = ἐπανόρθωσις ἐπιδιόρθωσις IV, 26, 36. *Definitio* = ὁρισμός IV, 25, 35. *Deminutio* = ἐπιείκεια IV, 38, 50. *Demonstratio* = ὑποτύπωσις διατύπωσις IV, 55, 68. *Denominatio* = μετωνυμία IV, 32, 43. *Disiunctio* = διεζευγμένον IV, 27, 37. *Distributio* = διαίρεσις μερισμός IV, 35, 47. *Divisio* = διλήμματον IV, 40, 52. *Dubitatio* = ἀπορία διαπόρησις IV, 29, 40. *Effictio* = εἰκονισμός IV, 49, 63. *Expeditio* = διαίρεσις (?) IV, 29, 40. *Expolitio* = ἐξεργασία IV, 42, 54. *Frequentatio* = ἀνακεφαλαίωσις ἀνάμνησις παλιλλογία συναθροισμός IV, 40, 52. *Gradatio* = κλῖμαξ IV, 25, 34. *Intellectio* = συνεκδοχή IV, 33, 44. *Licentia* = παρρησία IV, 36, 48; est iam apud priscos scriptores. *Mitigatio* = ἐπιδιόρθωσις IV, 37, 49. *Nominatio* = ὀνοματοποιία IV, 31, 42. *Notatio* = ἠθοποιία IV, 50, 63. *Occultatio* = παράλειψις IV, 27, 37. *Permissio* = ἐπιτροπή

IV, 29, 39. *Permutatio* = παραβολή IV, 34, 46. *Praecisio* = ἀποσιώπησις IV, 30, 41. *Pronominatio* = ἀντονομασία IV, 31, 42. *Ratiocinatio* = αἰτιολογία IV, 16, 23. *Repetitio* = ἀναφορά ἐπιβολή IV, 13, 19. *Sermocinatio* = διάλογος IV, 43, 55. 52, 65. *Significatio* = ἔμφασις IV, 53, 67. *Subiectio* = ὑποφορά IV, 23, 33. *Superlatio* = ὑπερβολή IV, 33, 44; cf. I, 6, 10. *Transgressio* = ὑπερβατόν IV, 32, 44. *Traductio* = διαφορά ἀντίστασις IV, 14, 20. *Transitio* = μετάβασις IV, 26, 35; cf. I, 9, 14. *Translatio* = μεταφορά IV, 34, 45.

§ 5. De deminutivis.

Nomina quae vocantur deminutiva quanti momenti fuerint in sermone vulgari, cum inter omnes constet (cf. Woelfflin l. l. pag. 153. Ludwig l. l. pag. 28 sq. Stuenkel l. l. pag. 52 sqq.), tum luculentissimo docet exemplo Cornificius. In quarti enim libri § 11, ubi loquitur de tribus dicendi generibus, tertium ex iis, attenuatum genus, describit his verbis: *Attenuata* (*figura*) *est, quae demissa est usque ad usitatissimam puri consuetudinem sermonis*; item § 14 *in attenuatae figurae genere, quod ad infimum et cotidianum sermonem demissum est*; hoc est, ut hodie loqui solemus, quod demissum est ad sermonem vulgarem. In eo igitur exemplo, quod § 14 Cornificius huius generis illustrandi causa affert, cum alia ad sermonem vulgarem referenda adhibeat (velut *visum est ut, ecce tibi*), tum nomini deminutivo *auricula* eandem tribuit significationem, quam nomini primitivo *auris*; ait enim: *cui etiam nunc paedagogi lites ad auriculas versarentur*. Aliis locis Cornificius hoc deminutivum non adhibuit; cf. III, 9, 17. IV, 14, 21. 23, 32. 25, 35. 51, 64. 52, 65. Qui verbi usus cum late pateat, plura proferre exempla non videtur opus esse; cf. Roensch 94.

Exscripsimus praeterea deminutiva haec:

1) *Carbunculus* Corn. IV, 6, 9 *si Prometheus — carbunculos conrogaret*; Apul. met. 7, 19; sensu tralaticio apud Pl. Most. 4, 2, 70[1].

[1] Eos locos, ubi *carbunculus* gemmam vel simile aliquid vel morbum significat, consulto omisi.

2) *Lectulus* Corn. IV, 50, 63 *ut — domi lectuli sternantur*; idem apud optimos scriptores legitur, velut Cic. Cat. 1, 4, 9. fin. 2, 30, 97 etc.

3) *Servolus* vocabulum a nomine primitivo ita differre a multis putatur, ut aut parvum aut elegantem aut in malam partem nequam servum significet. Ac possunt quidem hoc modo explicari loci huiusmodi: Cic. Rosc. Am. 49, 141 *ut ad libidinem suam liberti servolique nobilium bona — vexare possent,* ubi interpretari licet = *contempti servi*; Corn. IV, 51, 64 *accedit servolus* et paulo infra *servolus non inurbanus* (ubi *servolus* = *elegans servus*). Sed minime apta est haec interpretatio in huiusmodi locis: Cic. Quinct. 6, 27 *servolum unum — abducit*; hoc enim loco qualis fuerit servus, nec refert quicquam nec disertis verbis additum est. Et revera nullum prorsus inter haec duo vocabula intercedere discrimen planum fit locis his: Plaut. Merc. prol. 107. 108: *Modo eam reliqui ad portum in navi et servolum. Sed quid currentem servom a portu conspicor,* ubi in medio versu dictum est *servom*, in extremo, quia aptam praebebat clausulam iambicam, *servolum* 1); item Alfen. dig. IX, 2, 52 § 4 *quidam servulum impulit, servus cecidit; — dominus servuli* etc. (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 123).

4) *Testiculi* Corn. III, 20, 33 *testiculos arietinos tenentem*; exempla passim inveniuntur.

Nominibus a nobis allatis illud confirmatur, quod nuper monuit Woelfflinus l. l., deminuendi forma inprimis ea in-

---

1) Moneo apud poetas comicos huius verbi *servolus* formas trisyllabas maximam partem aut in extremo versu legi aut decurtari elisione. In extremo enim versu leguntur locis his: Pl. Stich. 3, 1, 37; Ter. And. 1, 1, 56 *servolos*; Pl. Capt. 4, 2, 100. Cist. 1, 3, 34. Merc. prol. 107; Caec. St. 203 pag. 69 R; Ter. Heaut. 3, 2, 19. Ad. 4, 2, 27 *servolum*; Cas. arg. 4 *servolus*; item Poen. 5, 2, 134 *servolae*. Eliditur syllaba tertia locis his: Pl. Poen. 3, 1, 20 *servoli esse*; Amph. 3, 4, 4 *servolo in*; Ter. Heaut. 1, 2, 17 *servolum ad*; ib. 3, 1, 62 *servolum: etsi*. Obstant Pl. Merc. 171 et Men. 2, 2, 64; quamquam notandum videtur his quoque locis formas *servolo -os* certa quadam versus parte esse positas ita ut utroque loco post illas sequatur clausulae iambicae numerus hic: ⏑⏑ — ⏑ —.

strui solere nomina, quae significent aut partem aliquam corporis humani (velut *auricula testiculi*) aut eas res, quae ad communem vitae usum pertineant (velut *carbunculus lectulus servolus*). Quod qua de causa fiat, manifestum est; eodem enim sensu dicta sunt Homericum illud χερσὶ φίλῃσι et similia.

Adiectiva huc referenda sunt haec:

1) *Vetulus* Cic. Quinct. 7, 29 *vetulus gladiator*; cf. Woelfflin l. l. pag. 144 et praecipue Hellmuth act. Erl. I pag. 123.

2) *Celeriuscule* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. III, 14, 24 *strenue quod volumus ostendere factum, celeriuscule dicemus*; cf. Priscian. vol. I p. 104, 6 H. Huiusmodi autem comparativi formationes cum paene omnes vulgaris sint sermonis, in Ciceronis epistulis et apud posterioris aevi scriptores saepius inveniuntur.

Adiectiva.

§ 6.

Agamus primum de adiectivis verbalibus (maximam partem vulgaris sermonis propriis: cf. Stinner l. l. p. 11: Lorenz ad Pl. Pseud. 571. 933 et quos citat Koehler act. Erl. I p. 378) in *-bilis* cadentibus:

1) *Commutabilis* Cic. inv. I, 18, 26 bis. Mil. 26, 69. nat. d. 3, 12, 30. Lael. 25, 92. parad. 1, 1, 7. Att. 1, 17, 8: Varr.; Quintil. 4, 1, 71.

2) *Comparabilis* Cic. inv. I, 28, 42. 30, 47. 30, 49. 42, 79. 44, 82; Liv. 39, 52, 7.

3) *Conducibilis* apud Plautum Bacch. 1, 1, 18. Epid. 2, 2, 71. 76. 3, 3, 12. Cist. 1, 1, 80. Trin. 1, 1, 3. 14; cod. Theod. 5, 13, 30. 11, 5, 3; Cael. Aurel. chron. 2, 13, 164 (notione diversa); gradus comparativus est apud Corn. II. 14, 21 *utrum honestius facilius conducibilius*; Sidon. ep. 6, 1; adverbium *conducibiliter* apud August. lib. arbitr. 3, 23 (Paucker, *spicilegium addendorum lexicis latinis* pag. 31). Cf. gloss. Plac. pag. 29, 18 D *conducibile utile συμφέρον*: Antibarb. p. 262; Roensch pag. 114.

4) *Ignorabilis*[1]) Cic. inv. II, 32, 99 *quod — non ignorabile — fuerit*; Apul. met. 11, 22; comparativus *ignorabilius* est apud Gell. 9, 12, 4; adverbium *ignorabiliter* apud Apul. met. 3, 17. Cf. Antibarb pag. 541.

Adiectiva in *-alis* exeuntia memoranda putavi haec duo ad artem rhetoricam spectantia:

1) *Negotialis* Cic. inv. I, 9, 12 *pars negotialis* II, 21, 62; Quintil.; Iul. Val. rhet.; schol. Iuven.

2) *Ratiocinalis* Corn. II,.12, 18 *in causa ratiocinali* (ubi Klotzius *rationali* legit); ceterum cf. gloss. Labb. *ratiocinale* *λογικόν*; *ratiocinalia* *λογικά*.

De vocabulis in *-osus, -icius, -aster* cadentibus hoc loco non agam, quippe quae perculiarem flagitent tractationem.

In *-arius* desinens affero adiectivum

Salsamentarius, quod substantivi munere fungitur: Corn. IV, 54, 67 *ut si salsamentarii filio dicas: quiesce tu, cuius pater cubitis emungi solebat*; Suet. vit. Hor.: *Horatius — patre — salsamentario, cum illi quidam in altercatione exprobrasset: Quotiens ego vidi patrem tuum cubito se emungentem?* Apparet ex his duobus locis illud *cubitis se emungere* de salsamentariis quasi proverbialiter dici solitum.

Suffixo *-ius* formatum est adiectivum:

Neptunius[2]) Pl. Mil. 2, 5, 3; Corn. IV, 10, 15 *si prae-*

---

1) Plaut. Pseud. 2, 1, 18 cogentibus numeris cum codice Ambrosiano et Festo nunc editur *ignobilis*.

2) Hoc verbum inprimis esse sermonis poetici manifestum est. Ipse Cornificius l. l. cum exemplum ponat sufflati generis dicendi, de industria poeticam adhibet vocem; spectat enim illa vox ad ea quae antea nominata sunt vocabula *graviora quam res postulat*.

Adiungimus non ita multa illa ex Cornificii libris, quae quodammodo sermonem poeticum oleant; videntur autem omnia redundasse ex poetis praecipue tragicis, quibus magnam ille impendit operam:

I) *Niveus* Naev. trag. 7 p. 7 R (coni. Buecheler); Corn. IV, 33, 44; Catull. 64, 240; Verg.; Hor. carm.; Tibull.; Ovid.; Sen. trag.; Calpurn.; Valer. Flacc.; Iuven.; Auson.; idem in oratione prosa admisit Sen. N. Q. 2, 36. Cf. Antibarb. p. 755.

II) *Spumans scelus, anhelans crudelitatem* Corn. IV, 55, 68; cf. *scelus anhelantem* Cic. Cat. 2, 1, 1.

ceps in Neptunias depulsus erit lacunas; Cic. Arat. 129. 436; Verg.; Hor. epod. 9, 7; Tibull.; Ovid.; Lucan.; Auson. Cf. etiam Liv. 39, 44, 6; Pseudo-Apul. herb. 57.

In *-ivus* exeunt adiectiva haec, quae ad unum omnia rhetoricae artis sunt propria:

1) *Adsumptivus* Corn. I, 14, 24 etc.; Cic.; Quintil.; rhetor. min. (cf. Halm in edit. p. 630 et 651).

2) *Definitivus* Cic. inv. I, 8, 10 etc.; cod. Iust.; Eccl. (Tertull. [alia significatione]).

3) *Ratiocinativus* Cic. inv. I, 13, 17 (locum spurium censet Kayserus); Quintil. (saepius).

4) *Translativus* Cic. inv. I, 8, 10; Quintil. 3, 6, 46.

Denique cum negandi particula *in* composita sunt adiectiva memorabilia haec:

1) *Immisericors* Acc. trag. 33 pag. 140 R; Cic. inv. II, 36, 108 *ipsum immisericordem — fuisse*; Gell. 14, 4, 3; Vulg. Ierem. 50, 42; adverbium *immisericorditer* legitur apud Ter. Adelph. 4, 5, 29, substantivum *immisericordia* apud Tertull. spect. 20; cf. Antibarb. pag. 549, Roensch pag. 221.

2) *Indiligens* Pl. Bacch. 2, 2, 23. Most. 1, 2, 29. Ter. Adelph. 4, 5, 50; Caes. b. gall. 7, 71, 3; Nep. Att. 4, 3; Plin. n. h. 19, 4 (19) 57; Gell. 15, 28, 1. Adverbium *indiligenter* Pl. Asin. 2, 2, 7. Mil. 1, 1, 28; Ter. Phorm. 5, 3, 5; Cic. inv. II, 3, 11 *non indiligenter expositum est*. Att. 16, 3, 2; Caes. b. gall. 2, 33, 2; Front. princ. hist. p. 202 N; Gell. 4, 12, 1. Substantivum *indiligentia* Plaut. Pers. 4, 4, 9; Cic. Q. fr. 1, 2, 2, 7; Caes. b. gall. 7, 17, 3. b. civ. 3, 8, 3; Plin. 14, 4 (5), 50; Tac. hist. 4, 49; Paul. dig. XXXIX, 4, 9 § 6.

3) *Informis*, quod idem fere est ac *deformis*, apud Cornificium IV, 53, 66 id significat quod omnino forma caret: *cum res muta aut informis fit eloquens et forma ei et oratio attribuitur.*

III) *Tempus* (= pars corporis) singulari numero usurpatum poetici sermonis est: Corn. IV, 55, 68. Cf. quae congessit Neue I² p. 387.

Verba.

§ 7. De verbis incohativis.

Unum affero exemplum:

Nitesco inc. trag. fab. 133 pag. 254 R (quod fragmentum vulgo Ennio tribuitur); Corn. III, 16, 29 *fit ut — praeceptione natura nitescat*; Cic. Arat. 174; Verg.; Plin. mai.; Plin. min. Haec igitur vox cum in aurea litterarum latinarum aetate poetici inprimis sermonis propria esse videatur, ab argenteae demum aetatis scriptoribus in prosam orationem translata est. Cf. quae supra pag. 99 de poeticis apud Cornificium verbis exposuimus. — Saepius legitur verbum compositum *enitesco*: Corn. IV, 44, 57; Sall.; Hor.; Quintil.; Tac.

§ 8. De verbis frequentativis.

Verba quae vocantur frequentativa in sermone cotidiano saepissime usurpata esse cum inter omnes constet, pluribus exponere supersedeo; cf. Woelfflin l. l. pag. 157. Ludwig l. l. pag. 31. Stuenkel l. l. pag. 62. Hellmuth act. Erl. I pag. 123 sq. Exempla exscripsi haec:

1) *Adfectare*, quod verbum apud reliquos aureae aetatis scriptores haud ita raro adhibetur, Cicero improbavit; formula enim *adfectare iter*, quae bis apud eum legitur, Rosc. Am. 48, 140 *quam viam munitet, quod iter adfectet,* leg. agr. 1, 2, 5 *quod iter adfectent,* sine dubio priscum comicorum ducit colorem (cf. Hellmuth act. Erl. I pag. 124; Landgraf l. l. pag. 17; Halm ad Cic. Rosc. Am. 48, 140; Seyffert pal. Cic. p. 121 § 16; Antibarb. pag. 105); contra apud Cornificium legimus IV, 22, 30 *similitudo non tam adfectata* (coni. Kayser.; codd. *affectanda*). IV, 26, 36 *cum adfectatius verbum accedat* (coni. Kayser; primae familiae codd. *adfectantis (affectantis)* vel *adfectis (affectis)* praebent).

2) *Examplexari* (ἅπαξ εἰρ.) Corn. IV, 52, 65 *hunc examplexare.* (Idem habet verbum simplex *amplexari* IV, 28, 38).

3) *Reclamito* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. Rosc. Am. 22, 63 *reclamitat istius modi suspicionibus ipsa natura*; cf. Woelfflin l. l. p. 143.

4) Saepe adhibuerunt probatissimi scriptores *curso* (velut Cic. Rosc. Am. 22, 60) *concurso* (Rosc. Am. 29, 81) *incurso*

(Corn. IV, 39, 51); rarius duplex frequentativum *cursito* Corn. IV, 3, 4 *quomodo Ladas aut Boeotus Sicyonius cursitarint,* Cic. nat. d. 2, 44, 115 *corpora huc et illuc cursitantia*; idem legi apud Ter. Eun. 2, 2, 47; Hor. sat. 2, 6, 107. carm. 4, 11, 10; Phaedr. app. 2, 8, 10; Quintil. 9, 1, 12; Plin. ep. 6, 5, 5; Suet. Tib. 38. Vesp. 8; substantivum *cursitatio* cod. Iust. 11, 73, 3; Solin. 42, 2.

5) *Fugito* Pl. Asin. 2, 4, 78. Capt. 1, 2, 53. 55. 3, 4, 9. 13. Poen. 3, 1, 5; Ter. Eun. 5, 2, 8. Heaut. 3, 1, 25. Phorm. 5, 5, 7. Hec. 5, 2, 10. Adelph. 5, 4, 18; Nov. com. 2 pag. 254 R (*fugitas* ex coni. Merceri; libri *fugit has*); Cic. Rosc. Am. 28, 78 *qui quaestionem fugitant*; Lucr. 1, 658. 4, 322. 1055. 1168. 6, 753. 973. 1236; Valer. Max. 6, 8, 1; Phaedr. 1, 2, 26; Mart. 7, 15, 2; Front.; Lactant.; Auson. epist. 5, 4; Ammian. 15, 9, 5; de participio praesentis *fugitans* cum genetivo coniuncto cf. Charis. I pag. 99, 29. 100, 1 K, Diomed. 311, 28 K, Priscian. vol. II p. 217, 19—22 H, et quos laudat in testimoniis ad Ter. Phorm. 4, 3, 18 Umpfenbachius: cuius rei exempla habes apud Ter. Phorm. 4, 3, 18 *fugitans litium* et complura apud Ambrosium. Cf. Antibarb. p. 490.

6) *Latito* (intensivum a *latendi* verbo derivatum) apud Pl. Trin. 4, 2, 82; Afran. 49 p. 172 R; Cic. Quinct. 17, 54. 19, 60. 23, 75. 27, 84. 28, 86. frgm. orat. Quinct. apud Ulp. l. 59 ad edict. (Kayser vol. XI pag. 1) *latitare est non,* u t C i c e r o d e f i n i t, *turpis occultatio sui.* Ed. praet. apud Cic. Quinct. 19, 60. Cic. Cluent. 13, 39. dom. 31, 83; Lucr. 1, 642. 875. 877. 890; Hirt. b. gall. 8, 31, 5; auct. b. Afr. 91, 1; Hor. carm. 3, 12, 15; Ovid. met. 4, 405. 9, 211. 10, 449. 13, 786. 14, 214. trist. 1, 1, 111. 3, 4, 71; Val. Max. 9, 7, 4; Lucan. 6, 712; Amm. 22, 7, 5; Vulg. (decies). (Cf. Woelfflin l. l. pag. 143). Apparet ex locis maxime Ciceronianis *latitandi* verbum sollemne fuisse in Iurisconsultorum sermone; quem ad usum magis illustrandum cf. Ulp. dig. XLII, 4, 7 § 1 sqq. § 8 *latitare autem est cum tractu aliquo latere, quemadmodum factitare frequenter facere*; Pompon. dig. XXXV, 1, 8; Gai. 3, 78 etc. etc. Substantivum *latitatio* habent Quintil. 7, 2, 47; Ulp. dig. XLII, 4, 7 § 9.

7) *Munito* (ἅπαξ εἰρ.) Cic. Rosc. Am. 48, 140, ubi *munitet* respondet sequenti *affectet*. Locum ex poeta haustum videri supra diximus.

8) *Quaerito* saepe invenitur apud Plautum (cf. indicem Naudeti), Enn., Ter. (And. 1, 1, 48. Eun. 3, 3, 17. Adelph. 1, 2, 1. 3, 2, 23. 3, 3, 9), Pompon. com. 80 pag. 238 R; Corn. IV, 6, 9 *sic ipsi qui venditant, aliunde exemplum quaeritent*. IV, 15, 21 *in pace bellum quaeritas*; Catull. 55, 32; Amm. 29, 1, 35. Cf. Antibarb. pag. 963.

9) *Territo* Pl. Bacch. 4, 8, 44. Cas. 2, 5, 5. Curc. 4, 4, 12. 5, 3, 35. Epid. 4, 1, 4. Most. 3, 1, 80; Ter. And 4, 4, 22; Corn. IV, 20, 28 *audaciter territas, humiliter placas*; Caes. b. gall. 5, 6, 4. 5, 54, 1. 5, 57, 3. 7, 63, 3; Verg. Aen. 4, 187. 11, 351. 12, 262. 852; Liv. 2, 26, 1. 3, 24, 1. 3, 28, 4. 4, 1, 6. 6, 11, 8. 8, 28, 3. 21, 25, 13. 28, 33, 5; Lucan. 5, 225; Valer. Flacc. 2, 656. 5, 260. 6, 323; Stat. Theb. 3, 322; Flor. 2, 15, 4[1]).

§ 9.

Magnificare, quod verbum in prisca latinitate legitur apud Plautum Cist. 1, 1, 18. Men. 2, 3, 19. Pseud. 4, 1, 33. Stich. 1, 2, 44 et Terentium Hec. 2, 2, 18, semel repperi apud Corn. III, 4, 8 *rei dilucide magnificandae causa*; moneo autem haec verba a Kaysero uncis esse inclusa, cum *magnificare* hoc loco non eum quem exspectes praebeat sensum. *Magnificare* postea legitur apud Plin. n. h. 17, 9 (6), 50. 35, 12 (45), 155 etc. et inprimis in scriptis ecclesiasticis; cf. Roensch pag. 177. Antibarb. pag. 679.

---

[1]) Moneo et apud Plautum et apud Terentium verbi *territare* formas, ex quibus apud eos trisyllabae tantum inveniuntur, constanter positas esse in fine versuum in iambum exeuntium, excepto uno loco Pl. Epid. 4, 1, 4, ubi in versu bacchiaco legitur. Item adnotandum videtur apud epicos poetas, qui iis tantum trisyllabis huius verbi uti poterant formis quae dactylum conficiunt, formas illas suam habere sedem aut in primo aut in quinto versus hexametri pede. Ac primi pedis exempla sunt haec: Verg. Aen. 12, 262; Lucan. 5, 225; Valer. Flacc. 5, 260. 6, 323; Stat. Theb. 3, 322; quinti haec: Verg. Aen. 4, 187. 11, 351. 12, 852; Valer. Flacc. 2, 656.

Epimetrum

emendationum ad Cornificii rhetorica spectantium.

Corn. I, 2, 3. *Memoria est firma animi rerum et verborum et dispositionis perceptio*[1]. Cod. *e* primae familiae habet *rerum ac uerborum*[2], cod. ϱ^1 m. pr. *rerum uerborum*, codd. r c *rerum uerborumque*; item in altero membro codd. t τ l^1 vo^1 ϱ^2 v omissa particula copulativa praebent *uerborum dispositionis*. Quod igitur codices partim nullam omnino partim alii aliam habent coniungendi particulam, recte concludere videmur ab initio tria illa membra nulla adhibita particula ἀσυνδέτως fuisse composita, particulas autem copulativas *(et ac que)* postea demum esse insertas; quod cur fieret, eo magis causa esse videbatur, quo accuratius genetivus subiectivus *animi* ab iis qui secuntur genetivis obiectivis seiungeretur. Hoc autem modo in Cornificii libris particulas saepe esse additas accurate docet I. Simon, *die Hdss. der Rh. an Her.* p. II. 1864. Accedit quod ἀσύνδετον magis ex natura totius loci videtur esse; cf. quae secuntur: *vocis voltus gestus moderatio*; item *arte imitatione exercitatione.* Scribendum est igitur: *firma animi rerum verborum dispositionis perceptio.*

Simili de causa Corn. II, 1, 2 *ubi de sex partibus orationis primum scribere incepimus*, particula *ubi*, quam soli exhibent codd. *e t* postea addita est, ut artius inter se duae enuntiationes coniungerentur. Restituendum est igitur quod omnes ante Kayserum praebent editiones: *De sex partibus*

[1] Dixerit quispiam: Cur non potius: *rerum et dispositionis et verborum* servato eo quem in iis quae proxime praecedunt voluit esse Cornificius ordine, cum *res* sine dubio pertineant ad inventionem, *verba* ad elocutionem? Sed simili modo conversae enumerationes aliis quoque apud Cornificium locis haud ita raro leguntur: cf. I, 16, 23. 24. *Ea dividitur in necessitudinem fortunam imprudentiam*; tunc primum dicit de necessitudine, deinde de imprudentia, postremo de fortuna; 4, 41, 53 *non sine maxima occultandi et perficiundi spe*, ubi exspectes *perf. et occ.* (vid. Kayserum ad h. l.).

[2] Ex optimae notae codd. h p π, cum sint in initio lacunosi, res diiudicari nequit.

orationis primum scribere incepimus: *in primo libro locuti sumus sqq.*

Corn. I, 7, 11. *Nunc ne quando vitioso exordio utamur quae vitia vitanda sint docebo: [in] exordienda causa etc.* Cornificius quotiens de se ipso loquitur, paene constanter plurali utitur numero (exempli gratia cf. I, 1, 1. I, 17, 27. II, 1, 1. II, 31, 50. III, 1, 1 et passim), exceptis verbis aliquot communi praeditis sensu, velut *arbitror* I, 9, 16. III, 1, 1 bis, *puto* IV, 52, 65, *scio* III, 23, 38, item *non sum nescius* III, 15, 27 (ubi reliqua quoque quae deinceps leguntur verba singulari efferuntur numero) etc. Quam late autem pateat usus ille apud Cornificium, ex ipsis locis, ubi horum verborum singularem adhibuit numerum, facile perspicitur: fere enim ubique a singulari quam primum ad pluralem transit numerum: cf. I, 9, 16 *adhuc quae dicta sunt* a r b i t r o r *mihi constare cum ceteris artis scriptoribus, nisi quae de insinuationibus nova* e x c o g i t a v i m u s; III, 1, 1 *in quarto libro scribere* m a l u i m u s, *quem ut* a r b i t r o r *tibi librum celeriter absolutum* m i t t e m u s; III, 23, 38 s c i o *plerosque Graecos — fecisse, ut multorum verborum imagines conscriberent; — quorum rationem —* i m p r o b a m u s; III, 15, 27 *sum — susceperim — conatus sim — confisus sum — putabam — voluimus.*

Huic regulae pauci admodum obstant loci: 1) II, 20, 31 *nisi exempla subiecero* (contra IV, 28, 39 *subiecimus exempla*; IV, 37, 49 *exempla subiciemus*); sed hunc locum totum suspectum esse perspexit Kayserus. 2) Alter locus is est quem supra laudavimus I, 7, 11 *docebo.* Quem locum quare totum spurium esse censeamus quoniam causa est nulla, *docebo* mutandum videtur in *docebimus*, cum praesertim *docebimus* scripserit Cornificius I, 2, 2. Sed ex codicibus quoque illud in archetypo quondam fuisse scriptum haud iniuria suspicari nobis videmur: praebent enim hoc loco primae familiae codd. hep[1]πk *docebo: exordienda*, cod. b tert. fam. (m. pr.) *docebis*, rell. *docebo: in exordienda* (quod in peculiari Cornificii editione Kayserus quondam dederat). Videntur igitur in codice archetypo scripta fuisse fere haec: *doceb(imus)* (vel *doce-*

b(im')] *exordienda,*' sed ita ut incerta *imus* [vel *im'*] litterarum vestigia superessent. Huiusmodi autem lacunis non raro aliquot litteras haustas esse in codice archetypo docet Simon, l. l. I pag. 7 sq. Itaque alterius codicis ex ipso archetypo descripti librarius[1]) lacunam, quae erat in archetypo, in suum quoque librum transtulit addita una quae ad explendum sensum necessaria videretur littera *o*; contra alterius eiusmodi codicis librarius lacunam explere studebat additis litteris *o in,* quam vocem perspexisse sibi videbatur ex *im(us)*. Similiter quam cod. b pr. m. praebet, lectio *docebis* explicari posse videtur (cf. quae de cod. b adnotavit Kayser pag. XXVII, 24). Legendum est igitur loco illo: *docebimus: exordienda etc.*

Corn. I, 10, 17. *Primum enim re narrata debemus aperire etc. Re narrata* scripsit Kayserus maxime secutus codicis n lectionem *per narrata* (*re narrata* dixit Cornificius III, 10, 18). Reliquorum codicum lectiones hae sunt: *per narrationem* prim. fam., f m. pr.; *per narratione* (erasa littera) a^1; *post narrationem* f m. sec., rl^{3}v; *narrationem* t, *perorata narratione* a^2, t m. s., c o, tert. fam. Hinc equidem maxime secutus codicis a^1 lectionem *per narratione* concludo in codice archetypo scripta fuisse haec: *per . . . . . narratione* i. e. praecedebat vocem *narratione* ablativus participii verbi alicuius cum *per* praepositione compositi et in ipso codice archetypo foede mutilati. Inde primae familiae codd., ut solent (cf. quae supra ad I, 7, 11 disputavimus), lacunam integram exhibuerunt addita una quae necessaria videretur littera *m* post *narratione*; contra secundae et tertiae familiae codd. librarii, ut sensui sufficerent, alii aliud moliti sunt: scripserunt enim partim *post narrationem* mutato *per* in *post,* partim cum lacunam explere conarentur, *perorata narratione,* quod non satis quadrare ad sensum manifestum est. Contra verba *per narrationem* vel, quod in deterioribus libris legitur, *perorata narratione* delenda esse censet Petrus Langen in Philologi vol. XXXVI pag. 583.

Cum vero alio loco III, 7, 13 Cornificius eodem sensu

[1]) De his rebus cf. Simon, l. l. I pag. 7 sqq.

dixerit *principio tractato,* equidem suspicor fuisse *pertractata narratione*. Altera tamen praeterea patet via emendandi: Sane vere Cornificianum est *persolvere* (fere = *absolvere*) II, 31, 50 *nos alacriores ad reliquum persolvendum*; III, 1, 1 *ut omnis inveniundi praeceptio tibi quam primum persolveretur* (eodem sensu paulo infra dixit *quem — tibi librum celeriter absolutum mittemus*); IV, 1, 1 *tibi id quod reliquum est artis — persolvemus*. Scribas igitur non minus probabiliter: *persoluta narratione*.

Corn. I, 10, 17. *Enumeratione utemur cum dicemus numero res* (si modo recte hoc restituimus) *quot de rebus dicturi sumus; eam plus quam trium partium numero non oportet esse*. Displicet illud *numero* brevi intervallo bis positum. Ac priore quidem loco *numero* cum suam habeat significationem, altero loco post *trium partium* plane est supervacaneum, ut interpretandi causa super verba *trium partium* superscriptum esse[1]) videatur. Deleto igitur altero *numero* legendum conicio: *eam plus quam trium partium non oportet esse*.

Corn. II, 16, 23. *Purgatio est cum consulto a nobis factum negamus. ea dividitur in necessitudinem fortunam imprudentiam . . . primum considerandum est num culpa ventum sit in necessitudinem etc*. Supposita esse ea quae antecedunt ultimam enuntiationem verba *de his partibus etc*. recte perspexit Kayserus, sed qua de causa hoc potissimum loco interposita sint non intellexit. Deerat enim ea quam nus-

[1]) Ut apud Cornificium, ita apud Ciceronem quoque in libris de inventione multa glossemata Kayserus e textu eiecit. Huiusmodi additamentum nobis investigasse videmur loco hoc: inv. I, 49, 92 *ut si qui Ulixen accuset, in hoc maxime commoretur, indignum esse ab homine ignavissimo virum fortissimum Aiacem necatum*. Languere mihi videtur vox *Aiacem*. Pervulgatum enim erat apud rhetores hoc exemplum ab Ulixe et Àiace petitum (cf. Corn. II, 19, 29 ubi eodem modo Aiax dicitur *vir fortissimus*), qua de causa Ciceroni minime opus erat ipsum Aiacis nomen addere. Accedit quod deleto vocabulo *Aiacem* habemus membra duo ex binis vocibus constantia et chiasto quem Graeci vocant ordine sibi respondentia. *Aiacem* ortum est ex glossemate supra verba *virum fortissimum* interpretandi causa superscripto.

quam omisit Cornificius dicendi formula, qua transiretur a tribus purgationis partibus generaliter dictis ad primam i. e. necessitudinem proprie tractandam. Itaque interciderunt verba fere haec: *Cum in necessitudinem causa conferetur*, vel alia eiusmodi. Haec igitur verba postquam evanuerunt, quae erat lacuna in ipso codice archetypo falso expleta est. — Alibi quoque apud Cornificium eiusmodi transitionis formulae interciderunt: II, 13, 20 in fine; IV, 13, 18 in fine.

Corn. II, 16, 23. *Primum considerandum est, num culpa ventum sit in necessitudinem; deinde quaerendum, ecquo modo vis illa vitari potuerit ac levari.* Eodem actu vis aliqua nequit simul et vitari et levari; aut enim vitatur, ut cum vitatio comprehendat in se levationem, levando non sit opus, aut levatur neque igitur vitatur. Itaque scribendum est *vitari potuerit aut levari*; *aut* enim hoc loco, ut saepe, significat *aut certe*, *aut saltem*. Simili modo *aut* et *ac* confusa sunt in codicibus II, 1, 2 (in fine) *aut partes*, ubi *ac p.* μ^2, 2, r v.

Corn. II, 18, 28 *ratio est quae causam demonstrat veram esse in quam intendimus*. Codicum lectiones hae sunt: *est quae causam* hp$^1\pi$, *est quae causa* p$^2\mu^1$, *causa est que* μ^2, *est causa quae* rell.; *ueram esse in quam* π, *uerum esse in quod* p^2, *uerum esse id quod* rell. Verbum *causa* cum in codicibus partim nominativo partim accusativo prolatum sit casu, et partim in enuntiatione relativa partim ante eam legatur, videtur esse glossema vocabuli *ratio* interpretandi causa superscriptum. Quod si recte suspicamur, simul altera adsciscenda est lectio, quam plerique codices (hp^1) exhibent *uerum esse id quod.* Neque enim respicienda esse ea quae in codice p^2 legimus *uerum esse in quod intendimus*, ex ipso Cornificii dicendi usu cognoscitur, qui ex *intendendi* verbo constanter pendere velit accusativum: II, 28, 45 *intendere controversiam*; IV, 27, 37 *intendisse orationem*; IV, 29, 40 (*ratio*) *una relinquitur, quam nos intendimus.* Restituendus igitur totus locus est hunc in modum: *ratio est quae demonstrat verum esse id quod intendimus.*

Corn. II, 28, 45. *Ut si, cum comparetur, utrum satius*

sit populum frumentum accipere an non accipere, quae incommoda sunt in altera re, severe curet enumerare. Sic Kayserus in Corn. ed. peculiari, idem pro *severe* in appendice eiusdem editionis proponit *vere*; in novissima Cornificii editione secutus secundae et tertiae familiae codices dedit *in altera re, curet enumerare*. Atque optimorum codicum lectiones hae sunt: *altera seuera curet enumeret* hep[1], πk[1] (nisi quod k[1] *reuera*), *alteram rem uera curet enumeret* k[2], *altera re uera curet enumerare* μ. Primum igitur quod codd. hep[1]π praebent *altera se* . . . id falso scriptum esse videtur pro *altera re*, quod rell. omnes praebent codd.; in scriptura enim quam vocant Langobardica facillime litteras *s* et *r* inter se commutari constat (cf. e. g. Spengel Rh. M. XVI pag. 413). Deinde ab optimorum codicum lectione *seuera curet enumeret* progrediendum est, non cum Kaysero ad deteriorum codicum fidem scribendum *curet enumerare*; immo corruptum videtur *curet*. Scripserim *a(c)curat(e)*, quod adverbium optime ad totius pronuntiati sensum quadrat. In iis autem quae restant tribus litteris *uer* latere videtur, quod iam Kayserus perspexit, adverbium *vere*, ut addita particula copulativa vel *et* vel potius *atque*, quae ante *accurate* facile intercidere potuit, totius loci lectio haec fere sit: *quae commoda sunt in altera re, ver(e atque) a(c)curat(e) enumeret.* Respondent autem haec duo adverbia iis quae secuntur duobus membris *aut* — *aut*. Error inde videtur ortus esse, quod in codice archetypo aliquot litterae interciderant hoc fere modo:

ALTERAREVER . . . . . A . CVR(A)T . ENVMERET

Simili ratione in loco ex quarto libro deprompto aliquot litterae interciderunt: IV, 18, 25 *nam quem in amicitia perfidiosum cognoveris, eum qua re putes inimicitias cum fide tenere posse?* In codicibus cum legantur haec: *cum fide reposse* p[1]f, *cum fide reposcere* p[2], *confidere posse* h, *cum fide tenere posse* gr[1], [1]ox, φ, *cum fide retinere posse* e o, *cum fide habere posse* rell. (μ[2]acp[3]), vix est dubium quin in codice archetypo scripta fuerint haec: CVMFIDE . . . . REPOSSE, ita ut inter *fide* et *re* lacuna esset quattuor littera-

rum. Haec sicut invenerant accurate tradiderunt codd. p^1f, paulum mutata p^2 et *h*; ceteri codices pro sua consuetudine explere studebant lacunam scribendo partim *tene-re* partim *habe-re* (in lectione *retinere* quod supererat *re* bis positum est). Ad explendam lacunam equidem propono: *inimicitias cum fide gerere posse*; cf. III, 7, 14 *inimicitiis gerundis,* paulo post *qua fide benevolentia officio gesserit amicitias.*

Corn. III, 8, 15 *nunc absoluta a nobis difficillima parte rhetoricae — tempus est ad ceteras partes proficisci.* In codicibus haec invenimus: *partes* h^1, *partes orationis* $h^2 e \pi k a n l^2 v o^1 c \varrho^2 \delta \varphi$ et Lamb., *artis partes* v, *partes rhetoricae* dl^{14} etc. etc. Intercidit igitur in codice archetypo verbum aliquod post *partes*, quam lacunam alii alio modo explere conantur codices. Nec minus manifestum est quid interciderit, cum cod. v, nisi quod ordinem neglexit, veram lectionem exhibeat; scribendum enim est: *ad ceteras partes artis proficisci*; *artis* autem post *partes* facillime omitti potuit. Item Cornificius IV, 5, 8 dicit *omnes artis partes,* fortasse etiam II, 1, 1 cum Klotzio restituendum est *partibus artis*; cf. III, 1, 1 *partes artifici.*

Corn. IV, 1, 1. *Quoniam in hoc libro, Herenni, de elocutione scripsimus etc.* Sic Kayserus ex uno *h*; sed acquiescendum est in reliquorum codicum lectione *conscripsimus,* quam omnes ante Kayserum receperunt editores. Facile enim intercidit *con* praepositio in cod. *h,* praesertim post *elocutione* (cf. Corn. III, 5, 8 *conlocarit* codd. fere omnes praeter *h, locarit* cod. *h* praecedente *non* particula). Similiter locutus est Cornificius I, 1, 1 *ut de ratione dicendi conscriberemus*; cf. III, 1, 1 et Catull. 68, 2 et quae supra p. 10—12 diximus.

Corn. IV, 2, 3 *hoc igitur ipsum maximum artificium est in arte sua posse et alienis exemplis uti.* Huiusmodi ἀνακεφαλαιώσεις in fine explicationum positas cum multas vel iure vel iniuria spurias censeat Kayserus, non item censet hanc, quamquam videtur tollenda his de causis: Eadem fere verba, a quibus haec enuntiatio incipit, in ipso eiusdem paragraphi initio legimus: *hoc ipsum summum est artificium,*

ex quibus verbis illa paene descripta esse videntur. Accedit quod Cornificius non *maximum artificium*, sed *summum artificium* dicere solet: cf. exemplum quod supra laudavi, praeterea IV, 2, 3 med. *sine summo artificio*, IV, 4, 6 fin.; item IV, 2, 3 fin. *summus artifex*. Postremo *et* illud pro *etiam* positum ipsi Kaysero suspectum visum est.

Corn. IV, 9, 13 *in mediocri figura versabitur oratio, si hanc, ut ante dixi, aliquantum demiserimus*. Neglecta ea quam optimi et paene omnes lectionem habent codices *aliquantulum* Kayserus *aliquantum* recepit ex uno *o*; nam quod *h* praebet *aliquantum tunc* et ipsum ortum esse videtur ex *aliquantulum*. Deminuendi autem vim in eiusmodi vocibus multum esse debilitatam apud Cornificium supra diximus, ut idem significet hoc loco *aliquantulum* quod apud nos *etwas, zum teil*. Cf. Cic. Lael. 12, 40 *deflexit iam aliquantulum de spatio curriculoque consuetudo maiorum*.

Corn. IV, 16, 23. *Maiores nostri si quam unius peccati mulierem damnabant, simplici iudicio multorum maleficiorum convictam putabant. Quo pacto? quam impudicam iudicarant, eam veneficii quoque damnatam existimabant*. Exempla ponit Cornificius *ratiocinationis, per quam*, ut ipse dicit, *ipsi a nobis rationem poscimus qua re quidque dicamus*. Per duo autem quae ponit exempla eam observat rationem, ut postquam particula aliqua interrogativa (*quid ita*, *cur*, *quare*) causam a semet ipso poposcit, sequatur illa praecedente particula *quia*; cf. pag. 148, 5 K *quid ita? quia*; 148, 10 *cur? quia*; 148, 14 *qua re? quia*; pag. 149, 2. 6. 9. 13 sq.; item IV, 37, 49 pag. 183, 9 sq. K. Desideratur haec particula uno loco pag. 148, 4 *quo pacto? quam inpudicam etc.* (ita h$\pi\mu^2$, 2, l^3vo^3; rell.: *quo pacto? quoniam quam*). Equidem hoc quoque loco scribendum esse censeo: *quo pacto? quia quam etc.* (cf. lectionem codicis ϱ^1: *quo pacto quia qui*). Facile enim in codice archetypo *quia* intercidit ante *quam*. Tum lacuna, non secus atque saepe alibi, a primae et secundae familiae librariis integra tradita, a reliquis falso suppleta est.

Corn. IV, 29, 39. *Imponite in me quidlibet, quidlibet*

statuite. Miror qua de causa Kayserus eam, quam optimi praebent codices, lectionem aspernatus sit: *impunite in me quidlibet statuite* (*impunite* enim exhibent primae familiae codices omnes, de sec. fam. Frising., Pal. 4. 6, Bruil., de tert. fam. Voss. 1, de codd. mixt. orig. Lugd. 1 m. pr., Rhedig. 1. 2; rell. partim *imponite* partim *impune*, utrumque ex *impunite* corruptum). Adverbium autem *impunite* (= *impune*) quamquam rarum est, invenitur tamen apud Cic. fin. 2, 18, 59; Matium ap. Cic. fam. 11, 28, 3; Ennod. vit. S. Epiphan.[1]) Optime autem referri videtur illud *impunite* ad id quod praecedit *vos me — abutamini licebit*. Quodsi *impunite* scribitur, non opus est bis ponere *quidlibet*, cuius lectionis in uno cod. Voss. 3, qui praebeat *quisquid quilibet* nimis incertum exstat vestigium.

Corn. IV, 33, 44. *Intellectio est, cum res tota parva de parte cognoscitur aut de toto pars*. Qua de causa pars ea, unde totum cognoscitur, parva esse debeat, equidem non intellego, cum utrum magna an parva sit, dummodo sit pars, nihil interesse videatur; languet igitur vox *parva*. Accedit quod duobus versibus post, ubi rei illustrandae causa exemplum affertur, legitur *de parte totum sic intellegitur* omissa voce *parva*. Itaque mihi quidem delendum videtur *parua*, quippe quod ortum sit ex duplici scriptione verbi *parte*.

Corn. IV, 40, 52. *Inter hanc divisionem et illam, quae de partibus orationis tertia est, hoc interest: illa dividit per enumerationem aut per expositionem, quibus de rebus in tota oratione disputatio futura sit etc.* Exponit igitur hoc loco Cornificius, quae differentia intercedat inter divisionem eam, quae sit pars aliqua totius orationis, et illam, quae cum sit figura dicendi hic et illic orationi sit inspersa. Dicit autem de priore divisionis genere: *illa dividit per enumerationem aut per expositionem*, h. e. si quibus de rebus sumus dicturi, eas aut enumerabimus aut quales sint exponemus. Quod omnino falsum esse plane cognoscitur ex libro I, 10, 17,

[1]) Plautus constanter dicit *inpune*, nusquam *inpunite*.

ubi loquitur Cornificius de priore illa divisione: *ea dividitur in duas partis: enumerationem et expositionem. enumeratione utemur, cum dicemus numero ⟨res⟩, quot de rebus dicturi sumus; — expositio est, cum res, quibus de rebus dicturi sumus, exponimus,* h. e. primum quot de rebus dicturi simus, deinde quae sint eae res exponemus. Exemplum vide apud Cic. Rosc. Am. 13, 35 *tres sunt res etc.* (*enumeratio*), *crimen — audacia — potentia* (*expositio*). Scribendum est igitur: *per enumerationem ac per expositionem*; nam *aut* et *ac* in codicibus saepe confundi supra vidimus ad Corn. II, 16, 23. Ceterum IV, 40, 52 *divisio* idem significat quod I, 10, 17 *distributio* quae pars est *divisionis*.

Corn. IV, 47, 60 *cum magnam populo commoverit his rebus exspectationem*; ubi fere *commorit iis rebus* p, *cum noriticis rebus* h, *comitiis rebus* π. Restituenda est lectio codicis *p* iam ab Orellio probata mutata una littera: *conmorit iis rebus*. Testimonio est cod. *h*, cuius lectio *cum norit* inde videtur esse orta, quod primus litterae *m* tractus falso coniunctus est cum praecedente *n*; item *iis* paulo propius ad codicum lectiones accedit quam *his*.